THESAURUS
DOCTRINAE CATHOLICAE

EX DOCUMENTIS

MAGISTERII ECCLESIASTICI

EIUSDEM SCRIPTORIS

Ascétisme et Liturgie. — In-8, 128 pages. — Paris, Gabriel Beauchesne et ses Fils.

Le schisme d'Antioche (IVe-Ve s.). — In-8, XIX-342 pages. — Paris, Picard.

S. Eustathii episcopi Antiocheni in Lazarum, Mariam e Martham homilia christologica... accesserunt fragmenta Flaviani I Antiocheni. — In-8, VIII-182 pages. — Paris, Picard.

(Ouvrages couronnés par l'*Association pour l'encouragement des études grecques*, prix Zappas).

S. Athanase (collection *La Pensée chrétienne*). — In-12, XVI-355 pages. — Paris, Bloud et Gay.

Patrologiae cursus completus accurante J.-P. Migne : Series graeca, Indices digessit F. C. — In-4°, 2 col., V-218 col. — Paris, Garnier.

Saint Jérôme : sa vie et son œuvre *(Première partie)*. (Spicilegium sacrum Lovaniense, fasc. 1-2). — 2 vol. de 344 et 229 pages. — Louvain.

(Ouvrage couronné par l'Académie française, prix Thérouanne.)

Précis de la doctrine sociale catholique. — In-12, 380 pages. — Paris, Spes.

W. J. Prendergast

THESAURUS
DOCTRINAE CATHOLICAE

EX DOCUMENTIS

MAGISTERII ECCLESIASTICI

Ordine methodico disposuit

FERDINANDUS CAVALLERA

LECTOR THEOLOGIAE POSITIVAE IN FACULTATE THEOLOGICA TOLOSANA

Nova editio recognita e aucta.

APUD GABRIELEM BEAUCHESNE ET FILIOS
EDITORES, PARISIIS, VIA DICTA DE RENNES, 117

MCMXXXVI

NIHIL OBSTAT

Tolosae, 26 ian. 1920

L. Maisonneuve
can. hon., decanus.

IMPRIMATUR

Tolosae, 27 ian. 1920

F. Saleich
Vic. gen.

IMPRIMATUR

Tolosae 11 februarii 1936

M. Clermont
Vic. gen.

PRAEFATIO

Etsi non desunt collectiones documentorum ecclesiasticorum authenticorum, etiam pro scholis, is mihi semper de studiis theologicis optime meriturus esse visus est qui haec documenta, methodica ratione, pro variis theologiae tractatibus, ex ordine describens, faciliora usu redderet. Quod exsequendum ut tentarem, non parum me movit auctoritas et exemplum scriptoris anonymi S. I. qui, anno 1844, rem sat feliciter aggressus, Vallibus Anicii privatim edidit librum cui titulum imposuit : *Definitiones fidei ex conciliis generalibus et Sum. Pontificum decretis excerptae.* Quare eius vestigia premens, curavi et documentorum copia et methodo servanda utiliorem etiam navare operam, id praecipue intendens ut ex his documentis tum ad expositionem, tum ad historicam tractationem, doctrina catholica plenius eluceret.

Haec causa est cur praesertim ex epistolis Romanorum Pontificum antiquorum vel recentium multa excerpserim, quae gratissima fore spero iis quibus cordi est theologia positiva. Iamvero quaedam documenta omissa sunt quae vel spectant ad res morales, de quibus uberrime tractat *Enchiridion morale* P. I. Bucceroni S. I., vel dubiae sunt fidei sive spectatur eorum origo sive assertiones quas referunt, vel ad Patrum scripta potius pertinent, quae alterius sunt tractationis. Cetera qua meliore ratione theologiae studiosi iuvarentur seligere et digerere nisus sum, non eodem ubique modo ea distribuens,

verum mox logicum mox historicum ordinem sequens, quo aptius perspicuitati aut eruditioni consulerem, Index additus est chronologicus ubi, non modo fontes, indicantur sed ipsa tractatio completur et interdum emendatur, praesertim in quaestionibus chronologicis. Nec omittendus erat index alphabeticus in quo non tantum rerum sed etiam verborum seu lexici theologici ratio habita est. De ipsorum autem documentorum valore et magisterii ecclesiastici notione non est hic locus disserendi cum de his libri theologici abunde tractent.

Hoc thesauro qualiscumque est, nobili rerum theologicarum studio fovendo et fidei catholicae illustrandae faxit Deus Optimus Maximus utiliter inserviam.

F. C.

In hac nova editione praeter menda correcta, quaedam suis locis addita sunt documenta, ex iis praesertim quae a Sancta Sede ab anno 1920 emanarunt. Ne moles libri his incrementis nimis augeretur, sublatae sunt in fine *Concordantiae* quibus *Index chronologicus* facile supplere visus est.

Tolosae, ex Instituto catholico Tolosano,

F. C.

ORDO LIBRI

PARS SECUNDA : De Ecclesia Christi.

PARS TERTIA : De Deo Trino.

PARS QUARTA : De Dei natura et creatione.

PARS QUINTA : De Christo.

PARS SEXTA : De Iustificatione.

PARS SEPTIMA : De Sacramentis.

ABBREVIATIONES PRAECIPUAE.

AAS = Acta Apostolicae Sedis. Commentarium officiale. Romae 1909 sq.

AG = Bernasconi Acta Gregorii papae XVI. Romae 4 vol. 1901-4.

AIP = Analecta Iuris Pontificii, t. 17. Romae 1878.

AS = Acta SS. D. N. Pii PP. IX, ex quibus excerptus est Syllabus. Romae 1865.

ASS = Acta Sanctae Sedis. Romae 1865 sq.

BaR = Baronii et Raynaldi Annales Ecclesiastici; numeri significant annum et paragraphum.

Balgy = Historia doctrinae catholicae inter Armenos unionisque eorum cum Ecclesia Romana in Concilio Florentino. Viennae 1878.

BLE = Bulletin de littérature ecclésiastique, publié par l'Institut catholique de Toulouse.

BR = Bullarium Diplomatum et Privilegiorum sanctorum Romanorum Pontificum. Augustae Taurinorum 1857.

BRC = Bullarii Romani continuatio. Romae 1835.

BRL = Magnum Bullarium Romanum a beato Leone Magno usque ad Benedictum XIV. Luxemburgi 1727 sq.

CB = [Corpus Berolinense] Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte. Leipzig.

CIC = Codex Iuris Canonici Pii X p. m. iussu digestus Benedicti papae XV auctoritate promulgatus.

CL = Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentium... Collectio Lacensis, 1870 sq.

CP = Constantinopolis; Constantinopolitanus.

CPF = Collectanea S. Cg. de Propaganda fide. Romae 1907, 2 voll.

CT.V = Concilium Tridentinum... edidit Societas Goerresiana. Tomus Quintus, Actorum pars altera. Friburgi Brisgoviae 1911.

CV = [Corpus Vindobonense] Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum... Vindobonae 1866 sq.

DA = Dictionnaire apologétique de la Foi catholique (A. d'Alès). Paris, 1911 sq.

DAL = Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie. (Dom Cabrol et Dom Leclercq). Paris, 1907 sq.

DArm = Decretum pro Armenis editum in conc. Florentino.

DCh = Denifle O. P. et Chatelain, Chartularium Universitatis Parisiensis, Parisiis 1889 sq.

DGr = Decretum pro Graecis editum in conc. Florentino.

DIac = Decretum pro Iacobitis editum in conc. Florentino.

DL = Decretum *Lamentabili* (1907).

DPA = Du Plessis d'Argentré, Collectio Iudiciorum de novis erroribus, qui ab initio XII saeculi... ad a. 1713 in Ecclesia proscripti sunt et notati. Lutetiae Parisiorum 1755 sq. 3 voll.

DTC = Dictionnaire de théologie catholique (Vacant-Mangenot). Paris 1903 sq.

EW = Eusebius Werke in CB.

EH = Ewald-Hartmann, Gregorii I papae Registrum epistolarum, Berolini, 1891-9, 2 voll in MGH Epist. 1-2.

Fd = Friedberg, Corpus Iuris Canonici, editio Lipsiensis IIa, 2 voll. Lipsiae 1879-1881.

Hahn = Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche, 3a ed: Breslau 1897.

HE = Historia Ecclesiastica.

HL = [Hefele-Leclercq] Histoire des Conciles, nouvelle traduction française. Paris, 1907 sq.

J = Jaffé-Wattenbach Regesta Pontificum a condita Ecclesia ad a. p. Chr. n. 1198. Ed. altera tomi duo. Lipsiae 1885-1888.

JTS = Journal of theological studies, Oxford.

Künstle = Antipriscilliana. Friburgi 1905.

Le Plat = Monumentorum ad historiam Concilii Tridentini potissimum illustrandam spectantium amplissima collectio. Tomus II. Lovanii, 1782.

Loewenfeld = Epistolae Pontificum Romanorum ineditae. Lipsiae 1885.

M = Mansi. Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio. Florentiae 1759 sq.

Malou = L'Immaculée Conception de la Bse Vierge Marie, Bruxelles, 1857, 2 voll.

MGH = Monumenta Germaniae historica.

Pastor = Histoire des Papes depuis la fin du moyen âge, t. III. Parisiis 1892.

P = Potthast, Regesta Romanorum Pontificum 1198-1304 tomi duo. Berolini 1874-5.

PG, PL = Migne, Patrologiae cursus completus, series Graeca ; series Latina.

Recueil = Recueil historique des Bulles et Constitutions, Brefs, Décrets et autres Actes concernant les Erreurs de ces deux derniers siècles... Mons 1697.

S = Syllabus.

Schneeman = Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus. Friburgi 1881.

Thiel = Thiel, Epistolae Romanorum Pontificum... a S. Hilario usque ad Pelagium II. Brunsbergae 1868.

TU = Texte und Untersuchungen, edd. a Gebhardt-Harnack-Schmidt. Lipsiae.

WH = Wicleffitae et Hussitae.

PROOEMIUM

Vaticanum (1870), *in const.* Dei Filius *initio, habito sermone de conciliorum oecumenicorum, Tridentini praesertim, uberrimis fructibus addit* : **1.** Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, immo mythicis commentis accenseri coeperunt.

2. Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae, utpote supernaturali instituto, per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

3. Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. *Variis* enim ac *peregrinis doctrinis abducti* (Heb., XIII, 9), naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum

sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiantur.

4. Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I Ti., II, 4); quemadmodum Christus *venit, ut salvum faceret, quod perierat* (Lc., XIX, 10), et *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (Io., XI, 52) : ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere, parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate *quae sanat omnia* (Sap., XVI, 12), testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans : *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, amodo et usque in sempiternum* (Is., LIX, 21).

PARS PRIMA

De revelatione seu de fide et ratione.

I

DE IPSA REVELATIONE (OBIECTIVE)

A) De cognitione Dei naturali.

5. VATICANUM (1870), *De fide cap. 2, de revelatione* : Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur* (Ro., I, 20).

6. *Idem, ibid., can. 1* : Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse : anathema sit.

7. *Iam antea* : a) *Inter propositiones a Bautain subscriptas (1840)* : 1. Ratiocinatio potest cum certitudine probare exsistentiam Dei et infinitatem perfectionum eius. Fides, donum caeleste, posterior est revelatione; hinc non potest allegari contra atheum ad probandam Dei exsistentiam. — b) *a Bonnetty (1855)* : 2. Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione. — c) *de ontologismo vide appendicem in fine partis IV.*

8. *Recens error modernistarum sic exponitur in encyc.* Pascendi Pii X (1907) : Iam, ut a *philosopho* exordiamur, philosophiae reli-

giosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi huius humana ratio phaenomenis omnino includitur, rebus videlicet, quae apparent eaque specie, qua apparent : earundem praetergredi terminos nec ius nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius exsistentiam, utut per ea, quae videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiae obiectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subiectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt et ad *intellectualismum* amandant : ridendum, inquiunt, systema ac iamdiu emortuum. Neque illos plane retinet, quod eiusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia : siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat : *Si quis*, etc., (*De revelatione* can. 1 et 2, *De fide*, c. 3; *supra*, nº 6; *infra*, nº 14).

9. Qua vero ratione ex agnosticismo, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contra totus est in inficiatione positus : quo idcirco ratiocinationis iure, ex eo quod ignoretur, utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eandem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit, novit plane qui possit. Illud tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam, in quarum finibus non nisi phaenomenis possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

10. *Infra autem doctrina ipsa refutatur* : Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam illam *agnosticismi* doctrinam. Ea scilicet ex parte intellectus omnis ad Deum via praecluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cuiusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis non videat? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum; homo externos sensus, ad quos iam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum; nam phantasiae quaevis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt : communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, non adiumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquimus ut in se est, nam verum illud alterum subiectivum, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil admodum homini confert, cuius scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cuius in manus aliquando incidet. — Experientiam enim-

vero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi adiiciat? Nil plane praeterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate obiecti. Iam haec duo profecto non efficiunt, ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque eius immutant naturam semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu; immo vero illum confirmant et iuvant, nam sensus quo intensior, eo potiore iure est sensus.

11. Cum vero de religioso sensu hic agamus deque experientia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina, quae ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorundam praecipue, in quibus eminet sensus : nostis ex librorum consuetudine, qui de ascesi tractant; qui quamvis modernistis in nullo sunt pretio, doctrinam tamen longe solidiorem subtilioremque ad observandum sagacitatem prae se ferunt, quam ipsi sibi arrogant. Equidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris nulla facta investigatione experientias intimas habere, cuiusmodi modernistae venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi, quam plura catholicorum milia se habere asserunt de devio itinere, quo modernistae incedunt? Haecne tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia nullo mentis ductu atque lumine ad Dei notitiam pertingi nunquam posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla.

12. *Hinc* iusiurandum adversus modernismum (*1910*) : — Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tanquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor.

D) De revelationis exsistentia.

13. VATICANUM, *De fide*, cap. 2 : Attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (Heb. 1, 1-2).

14. Can. 2 *ibidem* : Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur : A. S.

15. *Errores damnati :* a) *In* Pii IX S (1864): 6. Christi fides humanae refragatur rationi divinaque revelatio non solum nihil prodest verum etiam nocet hominis perfectioni. (Enc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; All. *Maxima*, 9 iun. 1862). — b) *In* Pii X DL (1907) : 20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia. — 22. Dogmata, quae Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit. — 26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, id est tanquam norma praeceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi.

16. *Sic exponuntur in enc.* Pascendi (1907) *Primum de revelatione :* Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim sensu modernistae non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligunt, revelationi locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, sensum illum religiosum in conscientia apparentem; quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese in eodem religioso sensu animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei Deus obiectum sit aeque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet pro diverso aspectu naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc conscientiae ac revelationis promiscua significatio. Hinc lex, qua conscientia religiosa ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive haec doceat sive de sacris disciplinave statuat.

17. *Tum de dogmate :* Hac usque tamen, Venerabiles Fratres, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse praestat.

In sensu illo, inquiunt, quem saepius nominavimus, quoniam sensus est, non cognitio, Deus quidem se homini sistit; verum confuse adeo ac permixte, ut a subiecto credente vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eundem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exsiliat ac secernatur. Id nempe ad intellectum pertinet, cuius est cogitare et analysim instituere; per quem homo vitalia phaenomena in se exsurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat.

Hinc vulgata modernistarum enuntiatio: debere religiosum hominem fidem suam cogitare. — Mens ergo, illi sensui adveniens, in eundem se inflectit inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae cuiusdam diagraphen collustret, ut nitidius efferat: sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur: primum, naturali actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari; secundo vero, reflexe ac penitius, vel, ut aiunt, cogitationem elaborando, eloquiturque cogitata secundariis sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae secundariae sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent dogma.

18. Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam praecipuum, videlicet ad *originem dogmatis* atque ad ipsam *dogmatis naturam*. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quae quodam sub respectu necessariae sunt fidei; nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit. Ipsum tamen dogma *secundariis* proprie contineri *formulis* affirmare videntur. — Eius porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quaenam intercedat relatio inter formulas religiosas et religiosum animi sensum. Id autem facile intelliget, qui teneat formularum eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suae fidei rationem reddat. Quamobrem mediae illae sunt inter credentem eiusque fidem: ad fidem autem quod attinet, sunt inadaequatae eius obiecti notae, vulgo symbola vocitant; ad credentem quod spectat, sunt mera instrumenta. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam qua symbola imagines sunt veritatis atque idcirco sensui religioso accommodandae, prout hic ad hominem refertur; qua instrumenta sunt veritatis vehicula atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem sensus religiosi, utpote quod absoluto continetur, infinitos habet aspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam evolutionem dogmatis expeditum est iter. — Sophismatum profecto coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat ac delet.

19. *Et iterum paulo infra:* Atque ut dogma initium ponamus, huius quae sit origo et natura iam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cuius qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor in rimando totus expoliendoque primigeniam mentis formulam, non quidem in se illam secundum logicam explicationem, sed secun-

dum circumstantia, seu, ut minus apte ad intelligendum loquuntur, vitaliter. Inde fit ut, circa illam, secundariae quaedam, ut iam innuimus (n. 18), sensim enascantur formulae; quae postea in unum corpus coagmentatae vel in unum doctrinae aedificium, cum a magisterio publico sancitae fuerint utpote communi conscientiae respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendae sunt probe theologorum commentationes quae ceteroqui, quamvis vitam dogmatis non vivunt, non omnino tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia componendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam praeparando.

20. *Quae sic refutantur :* Nec modernistae meliora sibi promittant ex asserta symbolismi doctrina. Nam si quaevis intellectualia, ut inquiunt, elementa nihil nisi Dei symbola sunt, ecquid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatis divinae? quod si ita, iam de divina personalitate ambigi poterit patetque ad pantheismum via. — Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, ducit doctrina alia de immanentia divina. Etenim hoc quaerimus : an eiusmodi immanentia Deum ab homine distinguat necne. Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt, aut doctrinam de externa revelatione cur reicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui immanentia haec modernistarum vult atque admittit omne conscientiae phaenomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine : ex quo pantheismus.

C) De revelationis munere et necessitate.

1. *Ad veritates ordinis naturalis :*

21. Vaticanum (1870), *De fide, cap. 2 :* Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, cognosci possint.

2. *Ad ordinem supernaturalem :*

22. *Ibid. :* Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit

hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ; siquidem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* (I Cor. II, 9.)

23. *Hinc, can. 3, ibidem, de revelationis possibilitate :* Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere : A. S.

24. a) *Error damnatus in* Pii IX S (1864) . 3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. — (All. *Maxima quidem*, 9 iun. 1862.)

b) *Alius modernistarum, ex enc.* Pascendi (1907) : Religiosus igitur sensus, qui per vitalem immanentiam e latebris subconscientiae erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis eiusmodi sensus paulatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem : sunt nempe illae religiosi sensus merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet, immo vero ceteris omnino parem ; nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, vitalis processu immanentiae, non aliter, nata est.. Non hic iam de veteri errore agitur quo naturae humanae supernaturalis ordinis velut ius tribuebatur. Longius admodum processum est ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo, aeque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana synodo iure summo sancitum fuit : *Si quis*, etc (Can. 3. de *rev. supra*, nº 23.)

D) De revelationis fontibus seu de Verbo Dei scripto et tradito.

1. — IN GENERE

25. Vaticanum (1870), *de fide, cap. 2, commemorans* Tridentinum : Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.

26. *Et paulo infra, cap. 3 :* Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

27. *Ipsum* Tridentinum, *sess.* IV, 8 *apr.* 1546, *in Decreto de canonicis Scripturis :* Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit ; deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari (Mc., xvi, 15) iussit : perspiciensque, hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.

Tum enumeratione facta librorum sacrorum (*infra n.* 37), *addit :* Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit : A. S.

Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.

28. *Eiusdem generis anathema,* Nicaenum II, *oec.* vii (787), *edidit actione 8 :* Εἴ τις πᾶσαν παράδοσιν ἐκκλησιαστικὴν ἔγγραφον ἢ ἄγραφον ἀθετεῖ, ἀνάθεμα ἔστω.

29. *Unde* Pii X DL (1907) *damnat propositionem :* 21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

2. — DE VERBO DEI SCRIPTO

a) De canonicitate et inspiratione librorum V. et N. T.; de Vulgata

30. Vaticanum (1870), *de fide, cap. 2,* Tridentini *superiores de canonicitate assertiones renovans, simul doctrinam catholicam de* inspiratione *declaravit :* Qui quidem Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt.

Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore

---

28. Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam reicit, anathema sit.

contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

31. *Ibid. can. 4 :* Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta TRIDENTINA Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit : A. S.

1. — De Inspirationis natura et extensione.

(Cf. *infra*, *enc.* Providentissimus LEONIS XIII, n. 89-91.)

32. *Errores damnati, in* PII X DL (1907) : 9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt, qui Deum credunt vere esse Scripturae sacrae auctorem. — 10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam adspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt. — 11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

33. *In enc.* Pascendi (1907) *haec etiam de modernistarum erroribus circa inspirationem :* De librorum etiam sacrorum natura et origine aliquid iam delibavimus. Eos ad modernistarum scita definire probe quis possit syllogen experientiarum non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum Veteris tum Novi Testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant : quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis aeque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum praesentium vivit, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem ; sed, uti fert theologia modernistarum, per immanentiam solummodo et permanentiam vitalem. — Quaeremus, quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione ; quare quidam aiebat : « Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. »[1] Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris

1. *Ovidii Fasti*, VI. 5.

libris quod illa careat. Quod cum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, cum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per immanentiam divina praedicandi, qui demum inspiratio coarctari possit? Generalem utique modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant : catholico tamen sensu nullam admittunt.

34. De Deo auctore utriusque Testamenti *adversus Marcionistas, Manichaeos ceterosque haereticos saepe sermo fit in documentis ecclesiasticis :* a) *In* TOLETANO I [*libello Pastoris*] (V[i] s.) : 8. Si quis dixerit vel crediderit, alterum Deum esse priscae Legis, alterum Evangeliorum, A. S. ; — b) *In* Statutis ecclesiae antiquis (VI[i] s.) *de eo qui episcopus ordinandus est dicitur :* Quaerendum etiam ab eo si N. et V. T., id est, legis et prophetarum et apostolorum unum eundemque credat auctorem et Deum ; — c) *In* professione fidei LEONIS IX (*1053*) *et in ea quam recitavit* MICHAEL PALAEOLOGUS (*1274*) : Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem, Deum et Dominum omnipotentem[1] ; — d) *In alia* INNOCENTII III *de Waldensibus* (*1208*) : Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum.

35. *Iam de Spiritu Sancto in CP symbolo* (IV[i] s.) : τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν.

36. *Unde* DIac. (*1442*) *quo fonte tum* TRIDENTINUM *tum* VATICANUM *usum est :* Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem : quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt : quorum libros suscipit et veneratur (n. 37, *b*.).

2. — De canone.

37. a) *Indicem librorum canonicorum his verbis* TRIDENTINUM, *sess. IV (1546), texuit :* Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit [Synodus], ne cui dubitatio

35. Qui locutus est per prophetas.

1. M. Pal. dicit *credimus*, legis ac, Deum ac.

suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiunt... Sunt vero infra scripti :

Testamenti Veteris : V Moysis, id est : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, IV Regum, II Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum CL psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, XII Prophetae minores, id est : Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; II Machabaeorum, primus et secundus.

Testamenti Novi : IV Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; XIV Epistolae Pauli Apostoli : ad Romanos, II ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, II ad Thessalonicenses, II ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli II, Ioannis Apostoli III, Iacobi Apostoli I, Iudae Apostoli I, et Apocalypsis Ioannis Apostoli.

b) *Haec fere eadem in* D. Iac. *(1442) :* Quorum libros (v. et n. t.) suscipit et veneratur qui titulis sequentibus continentur :

Quinque Moysis id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Iosue, Iudicum, Ruth, IV Regum, II Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele, XII Prophetis minoribus, id est Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michaea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggaeo, Malachia, II Machabaeorum.

IV Evangeliis Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, XIV epistolis Pauli ad Romanos, II ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, II ad Thessalonicenses, II ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri II, III Ioannis, I Iacobi, I Iudae, Actibus Apostolorum et Apocalypsi Ioannis.

38. *Inter antiquiora hac de re documenta :* **a)** *magnam auctoritatem sibi vindicavit* GELASIANUM, *(Damaso, Gelasio, Hormisdae tributum), propter insertionem in collectionibus canonicis, a privato tamen, ut nunc opinio est, homine s. VI conscriptum :* Item dictum est : Nunc vero de Scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica

recipiat Ecclesia vel quid vitare debeat. 1. *Incipit ordo Veteris Testamenti.* Genesis liber unus, Exodus l. I, Leviticus l. I, Numeri l. I, Deuteronomium l. I, Iesu Nave l. I, Iudicum l. I, Ruth, l. I, Regum ll. IV, Paralipomenon ll. II, Psalmorum CL l. I, Salomonis ll. III, Proverbia l. I, Ecclesiastes l. I, Cantica Canticorum, l. I, item Sapientiae l. I, Ecclesiasticum l. I — 2. *Item ordo Prophetarum*, Esaiae l. I, Hieremiae l. I, cum Cinoth, id est lamentationibus suis, Ezechielis l. I, Danielis l. I, Oseae, l. I, Amos, l. I, Micheae, l. I, Ioel; l. I, Abdiae l. I, Ionae l. I, Naum l. I, Abbacuc l. I, Sophoniae, l. I, Aggei l. I, Zachariae l. I, Malachiae l. I. — 3. *Item ordo historiarum.* Iob l. I, Tobiae l. I, Esdrae ll. II, Hester l. I, Iudith l. I, Machabeorum ll. II. — 4. *Item ordo scripturarum N. T. quem sancta et catholica romana suscipit et veneratur Ecclesia.* Evangeliorum libri IV, secundum Matthaeum l. I, secundum Marcum l. I, secundum Lucam, l. I, secundum Ioannem l. I. — *Item Actuum apostolorum l. I, Epistolae Pauli numero quattuordecim.* Ad Romanos ep. una, ad Corinthios ep. duae, ad Ephesios ep. una, ad Thessalonicenses ep. duae, ad Galatas ep. una, ad Philippenses ep. una, ad Colossenses ep. una, ad Timotheum ep. duae, ad Titum ep. una, ad Philemonem ep. una, ad Hebraeos ep. una. — *Item Apocalypsis Iohannis* liber unus. — *Item canonicae epistolae numero septem* Petri Apostoli epistolae duae, Iacobi Apostoli ep. I, Iohannis Apostoli ep. I, alterius Iohannis presbyteri ep. II, Iudae Zelotis apostoli ep. I.

b) *Item* INNOCENTIUS I *in epist. ad Exsuperium ep. Tolos., 20 feb. 405 :* (7) Qui vero libri recipiantur in canone, brevis annexus ostendit. Haec sunt, quae desiderata moneri voce voluisti : Moysi libri V, id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii et Iesu Nave, Iudicum I, Regnorum libri IV, simul et Ruth, Prophetarum libri XVI, Salomonis libri V, Psalterium. Item historiarum, Iob liber I, Tobi liber I, Esther I, Iudith I, Machabeorum II, Esdrae II, Paralipomenon libri II.

Item *Novi Testamenti* : Evangeliorum libri IV, Pauli Apostoli epistolae XIV, epistolae Iohannis III, epistolae Petri II, epistola Iudae, epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Iohannis.

c) *Africanae Ecclesiae* CARTHAGINIENSE III *a. 397. can. 36 vel 47 :* (Placuit) ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, duodecim libri Prophetarum, Esaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Iudith, Esther, Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo.

Novi autem *Testamenti* : Evangeliorum libri quatuor, Actus Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis.

Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur. Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

d) *Ecclesiae Graecae*, Laodicenum *(post med. saec. IV)* : *LX*. Ὅσα δεῖ βιβλία ἀναγινώσκεσθαι τῆς παλαιᾶς διαθήκης· α'. Γένεσις κόσμου. β'. Ἔξοδος ἐξ Αἰγύπτου. γ'. Λευιτικόν. δ'. Ἀριθμοί. ε'. Δευτερονόμιον. ς'. Ἰησοῦς Ναυῆ. ζ'. Κριταί, Ῥούθ. η'. Ἐσθήρ. θ'. Βασιλειῶν πρώτη καὶ δευτέρα. ι'. Βασιλειῶν τρίτη καὶ τετάρτη. ια'. Παραλειπόμενα πρῶτον καὶ δεύτερον. ιβ'. Ἔσδρας πρῶτον καὶ δεύτερον. ιγ'. Βίβλος Ψαλμῶν ἑκατὸν πεντήκοντα. ιδ'. Παροιμίαι Σολομῶντος. ιε'. Ἐκκλησιαστής. ις'. Ἆισμα ᾀσμάτων. ιζ'. Ἰώβ. ιη'. Δώδεκα προφῆται. ιθ'. Ἡσαΐας. κ'. Ἱερεμίας καὶ Βαρούχ, Θρῆνοι καὶ ἐπιστολαί. κα'. Ἰεζεκιήλ. κβ'. Δανιήλ.

Τὰ δὲ τῆς καινῆς διαθήκης ταῦτα· Εὐαγγέλια τέσσαρα, κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. Πράξεις ἀποστόλων. Ἐπιστολαὶ καθολικαὶ ἑπτὰ οὕτως· Ἰακώβου μία, Πέτρου δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰούδα μία. Ἐπιστολαὶ Παύλου δεκατέσσαρες· πρὸς Ῥωμαίους μία, πρὸς Κορινθίους δύο, πρὸς Γαλάτας μία, πρὸς Ἐφεσίους μία, πρὸς Φιλιππησίους μία, πρὸς Κολοσσαεῖς μία, πρὸς Θεσσαλονικεῖς δύο, πρὸς Ἑβραίους μία, πρὸς Τιμόθεον δύο, πρὸς Τίτον μία, πρὸς Φιλήμονα μία.

39. a) **Libros apocryphos** *damnat* Innocentius I, *in sua ad Exsuperium epistola (a. 405)* : 7. Cetera autem, quae sub nomine Mathiae sive Iacobi minoris, vel sub nomine Petri et Ioannis, quae a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreae, quae a Nexocharide et Leonida philosophis, vel sub nomine Thomae, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. — *Item* Toletanum I *(lib. Pastoris)* (s. V.) : 12. Si quis dixerit vel crediderit alias scripturas praeter quas Ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas vel esse venerandas, A. S. — Bracarense, *(a. 563)* : 17. Si quis scripturas quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii, quos ipse Dictinius, antequam converteretur, scripsit, vel quaecumque haereticorum scripta sub nomine Patriarcharum, Prophetarum vel Apostolorum suo errori consona confinxerunt, legit et impia eorum figmata sequitur aut defendit, A. S. — *Fides* Leonis IX *(1053)* : Pariterque eum [anathematizo], quicumque aliquas scripturas praeter eas, quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas esse crediderit vel veneratus fuerit.

b) *Horum apocryphorum indicem copiosissimum exhibet* Gelasianum *(saec. VI), in quo non tantum pseudocanonici sed etiam variorum scriptorum libri reiciuntur, addita haereticorum enumeratione* :

V. Cetera quae ab haereticis sive schismaticis conscripta vel praedicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia ; e quibus pauca, quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda :

ITEM NOTITIA LIBRORUM APOCRYPHORUM :

1. Imprimis Ariminensem synodum a Constantio Caesare Constantini filio congregatam mediante Tauro praefecto ex tunc et nunc et in aeternum confitemur esse damnatam.

2. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri numero novem,	apocryphum
Actus nomine Andreae apostoli	apocryphi
Actus nomine Thomae apostoli	apocryphi
Actus nomine Petri apostoli	apocryphi
Actus nomine Philippi apostoli	apocryphi
3. Evangelium nomine Mathiae	apocryphum
Evangelium nomine Barnabae	apocryphum
Evangelium nomine Iacobi minoris	apocryphum
Evangelium nomine Petri apostoli	apocryphum
Evangelium nomine Thomae quibus Manichaei utuntur	apocryphum
Evangelia nomine Bartholomaei	apocrypha
Evangelia nomine Andreae	apocrypha
Evangelia quae falsavit Lucianus	apocrypha
Evangelia quae falsavit Hesychius	apocrypha
4. Liber de infantia salvatoris	apocryphus
Liber de nativitate salvatoris et de Maria vel obstetrice	apocryphus
Liber qui appellatur Pastoris	apocryphus
Libri omnes quos fecit Leucius discipulus diaboli	apocryphi
Liber qui appellatur Fundamentum	apocryphus
Liber qui appellatur Thesaurus	apocryphus
Liber de filiabus Adae Leptogeneseos	apocryphus
Cento de Christo virgilianis conpaginatus versibus	apocryphus
Liber qui appellatur Actus Theclae et Pauli	apocryphus
Liber qui appellatur Nepotis	apocryphus
Liber Proverbiorum ab haereticis conscriptus et sancti Sixti nomine praesignatus	apocryphus
5. Revelatio quae appellatur Pauli	apocrypha
Revelatio quae appellatur Thomae	apocrypha

Revelatio quae appellatur Stephani apocryph...
6. Liber qui appellatur Transitus sanctae Mariae apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Adae apocryphus
Liber de Ogia nomine gigante qui post diluvium cum dracone ab haereticis pugnasse perhibetur apocryphus
Liber qui appellatur Testamentum Iob apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Origenis apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia sancti Cypriani apocryphus
Liber qui appellatur Paenitentia Iamne et Mambre apocryphus
Liber qui appellatur Sortes apostolorum apocryphus
Liber qui appellatur Lusa apostolorum apocryphus
Liber qui appellatur Canones apostolorum apocryphus
Liber Physiologus ab haereticis conscriptus et beati Ambrosii nomine praesignatus apocryphus
7. Historia Eusebii Pamphili apocrypha
opuscula Tertulliani apocrypha
opuscula Lactantii sive Firmiani apocrypha
opuscula Africani apocrypha
opuscula Postumiani et Galli apocrypha
opuscula Montani, Priscillae et Maximillae apocrypha
opuscula Fausti Manichaei apocrypha
opuscula Commodiani apocrypha
opuscula alterius Clementis Alexandrini apocrypha
opuscula Thascii Cypriani apocrypha
opuscula Arnobii apocrypha
opuscula Tichonii apocrypha
opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha
opuscula Victorini Petabionensis apocrypha
opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha
opuscula Frumentii Caeci apocrypha
8. Epistula Iesu ad Abgarum apocrypha
Epistula Abgari ad Iesum apocrypha
Passio Cyrici et Iulittae apocrypha
Passio Georgii apocrypha
Scriptura quae appellatur Salomonis Interdictio apocrypha
Phylacteria omnia quae non angelorum, ut illi confingunt, sed daemonum magis nominibus conscripta sunt apocrypha

Haec et his similia quae Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus sive Manichaeus, Faustus

Africanus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Calistus, Donatus, Eustatius, Iovinianus, Pelagius, Iulianus Eclanensis, Caelestius, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis nec non et omnes heresei herescorumque discipuli sive schismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinuimus, non solum repudiata verum ab omni Romana catholica et apostolica ecclesia eliminata atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnata.

3. — De Vulgata.

40. Tridentinum *haec statuit (sess. IV, 1546) in decreto « circa abusus ex scripturis provenientes*[1] *» seu « decreto de editione et usu sacrorum librorum*[2] *» Vulgatam authenticam declarans :* Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat : statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Quare Vaticanum (1870), *de fide cap. II (supra n. 30) :* Qui quidem V. et N. Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus prout in eiusdem Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis suscipiendi sunt.

b) De interpretatione scripturae.

41. Tridentinum *(sess. IV, 1546), in eodem decreto de editione et usu ss. ll. addit :* Praeterea ad coercenda petulan-

1. Sic in C. T. ed Ehses — 2. Sic textus vulgatus et authenticus.

tia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur.

42. *Quod renovans* VATICANUM (1870), *de fide, cap. 2, sic declarat:* Quoniam vero, quae sancta TRIDENTINA Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

43. *Hinc in professione fidei* PII IV (1564): Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Qua de re iterum sermo erit infra occasione encyclicae Providentissimus *et modernistarum (n. 68, sq.).*

c) DE EDITIONE ET USU LIBRORUM SACRORUM.

44. TRIDENTINUM, *sess. IV, decr. de editione et usu ss. librorum* (1546), *haec practice observanda statuit:* Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens qui iam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet,

sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito prelo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt; alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent: decernit et statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone concilii novissimi LATERANENSIS apposita[1].

Concludit hac reprobatione abusuum in allegandis Scripturis sacris: Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat et praecipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare; ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur.

45. a) *In regulis Indicis Tridentini* PII IV, *a. 1564, haec edicuntur:* Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem Veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis et piis iudicio episcopi concedi poterunt; modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus Vulgatae editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sano textu utantur. Versiones vero Novi Testamenti ab auctoribus primae classis huius Indicis factae nemini concedantur; quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero annotationes cum huiusmodi quae permittuntur versionibus, vel cum Vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis catholicae, aut inquisitione

1. Const. *Inter sollicitudines*, sess. X. (M. 32. 912-13).

generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes eius, concedi viris piis et doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus et prolegomena praecidantur : eius vero textum, nemo textum Vulgatae editionis esse existimet.

Reg 4. Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte iudicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse : quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum amittant, aliisque poenis pro delicti qualitate eiusdem episcopi arbitrio, subiaceant.

Regulares vero nonnisi facultate a praelatis suis habita, ea legere aut emere possint.

b) *De qua regula haec observatio iussu* CLEMENTIS VIII (1596) *facta est*. Nullam per hanc impressionem et editionem de novo tribui facultatem Episcopis vel inquisitoribus aut regularium superioribus concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita cum hactenus mandato et usu sanctae romanae et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria aut alias sacrae Scripturae tam N. quam V. T. partes quavis vulgari lingua editas.

c) *Verum sub* BENEDICTO XIV, *ex decreto S. C. Indicis, 13 iun. 17..., additum est :* Quod si huiusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris conceduntur.

46. DE LECTIONE SACRAE SCRIPTURAE : a) *Propositiones damnatae a* CLEMENTE XI *inter errores* QUESNEL *in bulla* Unigenitus (1713) :
79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturae. — 80. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus. — 81. Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab eius lectione. — 82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est, velle Christianum ab hac lectione retrahere. — 83. Est illusio sibi persuadere quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses. — 84. Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. — 85. Interdicere Christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

b) A PIO VI *de synodo Pistoriensi, in bulla* Auctorem fidei (1794) :
67. Doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*; subiungens, ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis : falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata (*hic, sub a*).

47. ***Promiscuam lectionem versionum vulgarium et Societates biblicas non semel, saeculo XIX, Summi Pontifices damnaverant, ut*** PIUS VII, ***a. 1816, ep. ad arch. Mohilovensem, reprehendens illum quod litteris*** populo tuae curae concredito hortator aderas et auctor ut recentiores hasce Bibliorum versiones sibi compararet, vel oblatas animo reciperet lubenti easque assiduo intentoque studio pervolutaret. .

Obversari enim tibi debuisset ante oculos, quod constanter et praedecessores Nostri monuerunt, nimirum, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde detrimenti quam utilitatis oriri. Porro Romana Ecclesia solam vulgatam editionem ex notissimo TRIDENTINI Concilii praescripto suscipiens, aliarum linguarum versiones respuit, easque tantum permittit quae cum adnotationibus ex Patrum et catholicorum doctorum scriptis opportune depromptis eduntur, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, atque ut Ecclesia toto orbe diffusa sit labii unius et sermonum eorundem.

Sane cum in vernaculo sermone creberrimas animadvertamus vicissitudines, varietates commutationesque, profecto ex immoderata biblicarum versionum licentia immutabilitas illa convelleretur, quae divinum decet testimonium, et fides ipsa nutaret, cum praesertim ex unius syllabae ratione quandoque de dogmatis veritate dignoscatur. In id proinde pravas teterrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt haeretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen mira varietate ac discrepantia ipsi se invicem accusant et carpunt) suos quisque errores sanctiore divini eloquii apparatu obvolutos per insidias obtruderent.

« Non enim natae sunt haereses, inquiebat S. Augustinus, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur[1] ». Quod si viros pietate et sapientia spectatissimos in Scripturarum interpretatione haud raro defecisse dolemus, quid non timendum si imperito vulgo, qui ut plurimum non delectu aliquo, sed temeritate quadam iudicat, translatae in vulgarem quamcumque linguam Scripturae libere pervolvendae traderentur ?. .

Quare in celebri illa sua ad fideles ecclesiae Metensis epistola sapienter omnino haec praecipit decessor Noster Innocentius III : « Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed ab eis tantum qui ea fideli possunt concipere intellectu. Propter quod simplicioribus, inquit Apostolus, *quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis non escam* (I Cor. III, 2). Maiorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat *Sapientiam loquimur inter perfectos* (I Cor. II, 6) *inter vos autem nihil iudicavi me scire, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum* (I Cor. II, 2). Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illitterati, sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura Quia multi *defecerunt scrutantes scrutinio* (Ps LXIII, 7) Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quae montem tetigisset lapidaretur (Ex. XIX, 12 sq.), ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem sacrae Scripturae pertingere vel eam aliis praedicare. Scriptum est enim : *Altiora te ne quaesieris* (Eccli. III, 22). Propter quod dicit Apostolus : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Ro. XII, 3) ».

At notissimae sunt non mox laudati Innocentii III solum, sed et Pii IV, Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutiones, quibus praecavebatur, ne, si ad liquidum cunctis pateret Scriptura, forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Sed, quae sit Ecclesiae mens de Scripturae lectione atque interpretatione, noscat luculentissime fraternitas tua ex praeclara alterius praedecessoris Nostri Clementis XI Constitutione « Unigenitus... » (*supra*, n. 46 *a*)[2].

1. In Io. tr. 18. 1 ; PL. 35. 1536. — 2. Innocentii III, Regest. l. II, ep 141 a. 1199, PL. 214, 690 CD. Alia documenta in libro Malou (*La lecture de la sainte Bible en langue vulgaire*, 1846, t. II, pp. 5-47).

48. *Hodierna disciplina continetur.* **a)** *In const.* Leonis XIII *de prohibitione et censura librorum (1897), tit. I, cap. 2 et 3*.

C II. — De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium sacrae Scripturae : — 5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

C. III. — De versionibus vernaculis sacrae Scripturae : 7. Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur : iis servatis quae supra (n. 5) statuta sunt.

b) *In* CIC, *c. 1385*, § I : Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur etiam a laicis : 1° Libri sacrarum Scripturarum vel eorundem annotationes et commentaria ; — 2° Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, etc. spectant. — *c. 1391 :* Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. — *c. 1399 :* Ipso iure prohibentur 1° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae ; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae. — *c. 1400 :* Usus librorum de quibus in can. 1399, n. 1, ac librorum editorum contra praescriptum can. 1391, iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam

cant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata.

d) De studiis Scripturae sacrae.

Integram Ecclesiae doctrinam Leo XIII *exhibuit in litteris encyclicis* Providentissimus (18 nov. 1893), *quas hic referimus.*

Horum studiorum excellentia.

49. *Praestantia Scripturae et theologiae scripturisticae.* — Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem*[1]. Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem*, continetur tum *in sine scripto traditionibus*, tum etiam *in libris scriptis*, qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*[2]. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia, eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur[3], eandemque esse oracula et eloquia divina[4], litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas[5]. Iam, tanta cum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae.

1. Conc. Vat. sess. III, cap. 2. *de revel.* — 2. *Ibid.* — 3. S. Aug. *de civ. Dei.* 11, 3. PL. 41.318. — 4. S. Clem. Rom. 1 ad Cor. 45; S. Polycarp. ad Phil. 7; S. Iren. c. *haer.* 2, 28, 2. PG. 1.300 A; 5. 1012 B; 7.805 A. — 5. S. Chrys. *in Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *in Ps.* 30, *serm.* 2, 1; S. Greg. M. ad Theod. *ep.* 4, 31. PG 53.28; PL. 36.239; 77.706 A.

50. *Eius studium amplius fovendum.* — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eundem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eandem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

51. *De multiplici horum studiorum utilitate.* — Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* (II Tim. III, 16-17). Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum.

52. *Usus Scripturae a Christo.* — Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem »[1], ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earundem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum

1. S. Aug. *de util. cred.* 14, 32. PL. 42.88.

opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit.

53. *Ab Apostolis.* — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* (Act. xiv, 3), magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum contionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis Veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis : luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter : *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* (II Co. x, 4.) »[1].

54. *Copia doctrinae in Scriptura.* — Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi[2] » : ab illis nimirum exstat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit : « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae[3]. » Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici : plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denuntiatio poenarum.

1. S. Hier. *de studio Script.* ad Paulin. *ep.* 53, 3, PL. 22.542. — 2. *In Is. Prol.*, PL. 24.178. — 3. *In Is.* 54, 12, PL. 24.525 A.

55. *Eloquentiae fons.* — Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (I. Th. 1, 5.) Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei (Ier., xxiii, 29) eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute : *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (Heb., iv, 12). Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam : id quod Augustinus pervidit diserteque arguit[1], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

56. *Patrum testimonia.* — Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu cum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium[2], vel perennes fontes salutis[3], vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur[4]. Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum : « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit[5] »; conveniatque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera : « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant[6]. » — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non

1. *De doctr. ch.* iv, 6, 7. PL. 34.91. — 2. S. Chrys. *in Gen. hom.* 21, 2; 60, 3; S. Aug. *de discipl. chr.* 2, PG. 53.175 et 523; PL. 40.670. — 3. S. Athan. *ep. fest.* 39, PG. 26.1437 B. — 4. S. Aug. *serm.* 26, 14; S. Ambr. *in Ps.* 118, *serm.* 19, 2, PL. 38.178, 15.1469. — 5. S. Hier. *de vit. cleric. ad Nepot.* *ep.* 52, 7, PL. 22.533. — 6. S. Greg. M., *Regul. past.* 2, 11 (al. 22); *Moral.* 18, 26 (al. 14), PL. 77.50 A; 76.58.

sit intus auditor[1] », eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant[2] ». Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere* (Act. I, 1), vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* (I Ti., IV, 16.)

57 *Necessitas bonae dispositionis in legente* — Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata : iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est ; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus indigemus adventu[3], hoc est lumine et gratia eius : quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

58. *Varia Ecclesiae instituta ad fovendum studium S. S.* — Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae *ne caelestis ille Sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret*[4], optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam ; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit[5]. Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis.

59. *Brevis conspectus historicus a tempore apostolorum : Patres.* — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere : Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata.

1. S. Aug. *serm.* 179, 1, PL. 38, 966. — 2. S. Greg. M., *Regul. past.* 3, 24 (al. 48), PL. 77, 95 A. — 3. S. Hier. *in Mich.* 1, 10, PL. 25, 1159 BC. — 4. Conc. Trid. *sess.* 5, *decret. de reform.* 1. — 5. *Ibid.* 1, 1-2.

60. Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt ; ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum ; Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum ; Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum ; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum, clarissima Augustini et Hieronymi, quorum alter mire acutus exstitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus.

61. Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, opera praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis ; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorundem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt ; in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt[1].

62. *Scholastici.* — Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica*

id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti, cuiusque pondus in re theologica perpensum, definitae librorum partes, argumenta partium, investigata scriptorum proposita, explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et conexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria, quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam.

63 *Saec. XIV-XIX* — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint; adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina.

Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit; qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, cum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, cum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit; quos inter non pauci, iique studiosiores Ss. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia; cum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint.

64. Haec omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

De horum studiorum ordinandorum ratione.

65. *Quinam potissimum adversarii nunc temporis profligandi*: Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est *Rationalistis*, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta; illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam; evangelia et scripta apostolica, aliis plane auctoribus tribuenda. — Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tanquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae*, obtrudunt: quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Cum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes

nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt: id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent abstractas ab Ecclesiae tutela, adulescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere. — Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae* (I Tim. VI, 20) antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae sacrae exsurgant.

66. *Idonei Bibliorum magistri seligendi et formandi.* — Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquamdiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet.

67. *De introductione biblica.* — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter tum divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione*, ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, cum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat.

68. *De interpretationis ratione.* — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via

interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis carsim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita.

69. *De usu Vulgatae et ceterorum textuum.* — Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit[1], atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino, proficiet[2]. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, cum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere[3] ».

70. *Leges interpretandi.* — Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur; cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti.

71. *De usu Scripturae in re theologica; obscuritas Scripturae.* — Ex hoc, tutus erit gradus ad usum divinae Scripturae in re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occur-

1. Sess. 4, *decr. de edit. et usu sacr. libror.* (n. 40). — 2. *De doctr. chr.* 3, 4, PL. 34, 68. — 3. S. Hier. ad Pammach. ep. 48, 17, PL. 22.507.

runt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnumquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur; alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda, vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit[1]. Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas, mentibus animisque altius infigerent, intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturae nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus[2] cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari*[3].

72 Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis.

1. S. Hier. ad Paulin. *de studio Script.* ep. 53, 4, PL. 22,543. — 2. *Adv. haer.* 4, 26, 5, PG 7,1053 A. — 3. Sess. 3, c. 2, *de revel.*; *cf.* Conc. Trid. sess. 4, *decr. de edit. et usu sacr. libr.* (n. 41-2).

73. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis Novi Testamenti aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio*[1], eadem ipse ratione interpretetur, atque ex adiumentis disciplinae suae convincat eam solam interpretationem ad sanae hermeneuticae leges posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, cum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur.

74. *Adiumentum ex Patribus.* — Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus[2], multumque Augustinus, qui iusta cum querela, « si unaquaeque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere![3] » Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat[4]. »

75. Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit[5] », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorundem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum

1. Conc. Vat. sess. 3, c. 3, *de fide* (n. 26). — 2. Ad Paulin. ep. 53, 6, 7, PL. 22,544. — 3. Ad Honorat., *de utilit. cred.* 17, 35, PL. 42,91. — 5. Rufin, *Hist. eccl.*, 2, 9, PL. 21, 518 B. — 4. S. Aug. c. Iulian. 2, 10, 37, PL. 44, 700.

Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu.

76. *De variis sensibus Scripturae.* — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere[1]; quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit: non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti.

77. *De acatholicis exegetis.* — Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quendam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis[2], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt[3].

78. *Scriptura anima theologiae.* — Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima: ita nimirum omni

1. *De Gen. ad litt.* l. 8, c. 7, 13, PL. 34, 378. — 2. Cf. Clem. *Strom.* 7, 16; Orig. *de princ.* 4, 8; *in Levit. hom.* 4, 8; Tertull. *de praescr.* 15, seqq.; S. Hilar. Pict. *in Matth.* 13, 1, PG. 9.530; 11.356; PL. 2. 28; 9-99. — 3. S. Greg. M. *Moral.* 20, 9 (al. 11), PL. 76.119.

aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta. « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis. » Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem Aquinatem[1]: qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri. « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur: sicut per auctoritates sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem[2]. »

79. ***Praeparatio philosophica et theologica necessaria.*** — Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparatuque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si qua Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, cum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

80. *Vindicanda auctoritas Bibliorum.* — Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrarum Bibliorum interpretatione probasse, expo-

1. *Summ. theol.* p. 1, q. 1, a. 5 ad 2. — 2. *Ibid.* a. 8.

fuisse, illustrasse, multum id quidem est : altera tamen, aeque tum gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur.

Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae, quae *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile*[1]. Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est : quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur.

81. — Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apostolus (Eph. vi, 13), neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti. Quod pulchre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus : « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter* (Col. iii, 16) ; neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes : neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus : nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere[2]. »

82. — Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus : iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est primum in *studio linguarum veterum orientalium* simulque in *arte* quam vocant *criticam*. Utriusque rei scientia cum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum ; nam ipse *omnia omnibus* (I Cor., ix, 22) fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in ipso est spe* (I Pet., iii, 15).

---

1. Conc. Vat. sess. 3, c. 3, *de fide* (n. 179). — 2. *De sacerd.*, 4, 4. PG. 48, 666.

83. *De studio linguarum orientalium.* — Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factum erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur.

84. *De arte critica.* — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina : perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historica testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quandam confirmationem, possint advocari. Secus si fiet, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant : illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur : inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae : inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur.

85. *Quomodo cum physicis agendum.* — Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes cum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem ; quae, semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori

cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat.

86. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant[1]. » Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata : « Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium ; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum[2]. » De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura[3] » ; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone cum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est quae sensibiliter apparent[4] », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more.

87. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint : qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis, » ut est S. Thomae sententia[5]. Qui et alio loco prudentissime habet : « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria,

---

1. *In Gen. op. imperf.* 9, 30, PL. 34, 233. — 2. *De Gen. ad litt.* 1, 21, 41; ib. 262. — 3. *Ib.* 2, 9, 20, ib. 270. — 4. *Summa theol.* p. 1, q. 70, a. 1, ad 3. — 5. *In Sent.* 2, dist. 2, q. 1, a. 3.

ne, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur[1]. » Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas[2].

88. *Quomodo cum historicis.* — Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia, magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint, quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum. Fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae.

89 *De universali inspiratione et absoluta inerrantia Scripturae.* — At nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. —

---

1. *Opusc.* 10. — 2. *Nescio quo iure aliqui scribant : eas... refutandos.*

Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio VATICANO, a quo absolute edictum : *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati : nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant : sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem*[1].

90. Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres : « Itaque, ait Augustinus, cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit : quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt[2] » : pronuntiatque S. Gregorius M. : « Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit : ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit[1]. »

91. Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas Litteras, quales ab Hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarium aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit : « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero Litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam[1]. »

1 Sess. 3, c. 2, *de revel.* (n. 30). — 2. *De consensu Evangel.*, l. 1, c. 35, 54, PL. 34, 1070. — 1. *Praef. in Iob*, n. 2, PL. 75, 517.

92 *De externis adiumentis : Doctrina scientifica :* At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit exspectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, cum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum, quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria, repellant.

93. *Pecunia :* Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possint unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem : ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere.

94. *Summa doctrinae traditae :* Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis,

1. *Ep.* 82, 3, PL. 33, 277, *et crebrius alibi.*

quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eundem esse Scripturarum auctorem; nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum residеat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse; neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies: sed « veritas manet et invalescit in aeternum » (III Esd., iv, 38). Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus[1], ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque eiusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere[2]. » Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

95. *Conclusio:* Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut quae par est religione custodiantur et observentur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque,

1. Ad Ianuar. *ep.* 55, 21, 38, PL. 33, 222. — 2. *De doctr. chr.*, 3, 9, 13, PL. 34, 71.

integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem; atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant, quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem.

96. Omnes denique alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis: nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae (Iac. iii, 15-17). Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat: inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* (Ps. 118, 2).

97. *Studia moderatae huius critices et exegeseos* Pius X *probavit in epistola 11 ian. 1906, ad* episcopum Rupellensem, Le Camus, *his verbis*: « .. Illud praecipue tibi dandum est laudi, quod eam viam explicandi sacras Litteras studiose teneas, quam in obsequium veritatis atque in decus doctrinae catholicae omnino teneri, Ecclesia duce, oportet. Ut enim damnanda est eorum temeritas, qui plus tribuentes novitati quam magisterio Ecclesiae critices adhibere genus non dubitent immodice liberum; ita eorum ratio non probanda, qui nulla in re ausint ab usitata exegesi Scripturae recedere, etiam cum salva fide id bona studiorum incrementa postulent. Hos inter medius tu recta incedis; tuoque exemplo ostendis, nihil timendum esse divinis libris a vera progressione artis criticae, quin commodum ex hac salubriter peti posse: ita nempe si prudens sincerumque iudicium huc accesserit quale tibi suppetere videmus[1].

e) Errores modernistarum.

98. In Pii X DL (1907) *hae propositiones circa exegesim librorum damnantur:* 1. Ecclesiastica lex, quae praescribit subicere praeviae censurae libros divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur. — 2. Ecclesiae interpretatio sacrorum librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correc-

1. Latine ex *Civiltà Cattolica* (1906) 57, 2, 484 sq.

tioni. — 3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse. — 4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum sacrarum Scripturarum sensum determinare potest. — 12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana. — 19. Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici. — 23. Exsistere potest et reipsa exsistit oppositio inter facta, quae in sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tanquam falsa reiicere possit facta, quae Ecclesia tanquam certissima credit. — 24. Reprobandus non est exegeta, qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget. — 61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eundem sensum pro critico ac pro theologo.

99. *Iterum modernistarum placita enc.* Pascendi (1907) *exposuit postquam de eorum methodo historica quaedam tradidit.* Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte, non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. — Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse credercs scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. — Haec autem ut confirment, *criticen*, quam *textualem* nominant, adiutricem appellant; nituntur que persuadere, hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent, quid suo, quid alieno stet loco. — Hac via qui apti esse queant ad decernendum, aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercita-

tionibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quoquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit, ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed hos, non iis adiumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistae, scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam, quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt.

Et post alia. Sic etiam secundum ipsos in sacris libris plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt: iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt), in quo vivitur, tum ad finem, ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur, ut nulla adhibita temperatione asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus, *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*[1] [n. 30], hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere, verbisque Augustini asserimus: *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.* Unde fiet quod idem sanctus Doctor adiungit: *In eis*, scilicet Scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet*[2]. — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento nituntur; cuiusmodi sunt, quae in propheticis nituntur. Verum has quoque defendunt

1. Vatic. *De fide* c. 2. — 2. Ep. 28.3, PL. 33, 112.

quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquiunt, videri debet; nam et ipse vitae legibus tenebatur.

100. *Hinc* Iusiurandum adversus errores modernismi (1910) *hanc formulam exhibet:* Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia fidei et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur.

f) COMMISSIO DE RE BIBLICA.

101. *Ad haec studia fovenda,* Consilium studiis sacrae Scripturae provehendis *seu* COMMISSIO DE RE BIBLICA instituta est a LEONE XIII *litteris apostolicis* Vigilantiae, *30 octobris 1902, huiusmodi verbis*.

Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma, maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de causis placet certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuam sedem esse adducet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi, ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat.

Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitati proposita.

a) Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin immo excubent animo, si quid dies afferat

utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio exsistere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

b) Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligentiamque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » [n. 41-2]; eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia [n. 73]; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint [n. 77]. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

c) Tertio loco, in eam studiorum horum partem quæ proprie est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanae hermeneuticae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla exstiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam : quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tanquam normam oportere. Iamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare huius disciplinae progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quaestiones; ad easque finiendas qua lumen iudicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

Quod igitur christianae veritati conservandae bene vertat, studiis Scripturae sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deligendis : iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, a nos ex alia gente, viros quorum a doctrina sacra, praesertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus iuvandis laboribus suppellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanae ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re Biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit.

102. *Huius* Commissionis auctoritatem *declaravit* Pius X, *motu*

proprio Praestantia, *18 nov. 1907* : Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his erroteque pronunciatis.

g) Ecclesiasticae decisiones de re biblica

iuxta seriem librorum Vulgatae.

Omittuntur multa quae, cum ad varia doctrinae particularis capita referantur, suis locis, vg. de christologia, de sacramentis, describentur.

Circa citationes implicitas in S. Scriptura contentas.

(Comm. Bibl., 13 febr. 1905.)

103. Cum ad normam directivam habendam pro studiosis S. S. proposita fuerit Commissioni Pontificiae de re biblica sequens quaestio, videlicet :

Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Praedicta Commissio respondendum censuit :

Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae,

solidis argumentis probetur : 1. Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.

De narrationibus specietenus tantum historicis in S. S. libris qui pro historicis habentur.

(Comm. Bibl., 23 iun. 1905.)

104. *Dubium.* Utrum admitti possit tanquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

R. *Negative,* excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur, Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.

De mosaica authentia Pentateuchi.

(Comm. Bibl., 27 iun. 1906.)

105 Propositis sequentibus dubiis respondendum censuit :

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam mosaicam sacrorum librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis, quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate mosaica posterioribus fuisse confectos?

R. *Negative.*

II. Utrum mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit, qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen, ut sensa fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur?

R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit?

R. *Affirmative.*

IV. Utrum salva substantialiter mosaica authentia et integritate Pentateuchi admitti possit, tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita vel glossas et explicationes textui interiectas, vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas, mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare?

R. *Affirmative,* salvo Ecclesiae iudicio.

De charactere historico trium priorum capitum Geneseos.

(Comm. Bibl., 30 iun. 1909.)

106. *I.* Utrum varia systemata exegetica quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

R. *Negative.*

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum V. tum N. Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu quem ab Israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita;

vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

R. *Negative* ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine, generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis, praeceptum a Deo homini datum ad eius oboedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio?

R. *Negative.*

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam?

R. *Affirmative.*

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere?

R. *Negative.*

VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorundem capitum interpretatio allegorica et prophetica praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit?

R. *Affirmative.*

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere sed potius suae genti tradere notitiam popularem prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas?

R. *Negative.*

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yôm* (dies) sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat?

R. *Affirmative.*

De auctoribus et de tempore compositionis Psalmorum.

(Comm. Bibl., 1 maii 1910.)

107 *I.* Utrum appellationes *Psalmi David, Hymni David, Liber Psalmorum David, Psalterium Davidicum,* in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum V. Testamenti librum CL psalmorum, sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat?

R. *Negative.*

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse?

R. *Affirmative.*

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari?

R. *Negative.*

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus rel. gios.s, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antico praefixae sunt; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio psalti carmina esse tribuenda?

R. *Negative* ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes;* ps. XV *Conserva me, Domine;* ps. XVII *Dili-*

gam te, Domine, fortitudo mea; ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus,* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?*

R. *Negative.*

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti, itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus,* qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaei, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione?

R. *Affirmative* ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis duntaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quin immo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

R. *Negative.*

V*III.* Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant?

R. *Affirmative* ad utramque partem.

De libri Isaiae indole et auctore.

(Comm. Bibl., 29 iunii 1908.)

108 — *Dubium I.* Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae — et passim in Scripturis — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, coniciendo praenuntiasse?

R. : Negative.

Dubium II. Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophe-

tas vaticinia non edidisse nisi de his quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda?

R : Negative.

Dubium III. Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint : proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL — LXVI) in qua vates non Iudaeos Isaiae aequales, at Iudaeos in exsilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exsules viventi assignare?

R. : Negative.

Dubium IV. Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

R. : Negative.

Dubium V. Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum?

R. : Negative.

De vaticinio Isaiae in Emmanuelem.

109 Pius VI, *in brevi 20 sept. 1779, damnans librum Io. Laurbenbichl « Novum tentamen in prophetiam de Emmanuele » germanice editum, haec scribit :* Maxima vero se prodidit catholicorum offensio cum praedicari audierunt propheticum oraculum de divino Emmanuelis ortu ex virgine non ad virgineum Deiparae partum, quem prophetae omnes annuntiaverunt, non ad verum Emmanuelem, Christum Dominum, ullo sensu sive litterali sive typico pertinere : cumque S. Matthaeus insigne istud vaticinium in illo mirabili pietatis sacramento adimpletum expressis verbis testetur; hoc tamen ipsum non ut oraculi adimplementum sed ut adnotationem meram vel allusionem a sancto evangelista memorari. Qua in re horruerunt piae aures Scripturam simul et traditionem qualis perpetuo ex unanimi patrum consensu ad

nos pervenit, per summam impudentiam labefactari... Quare de apostolicae potestatis plenitudine antedictum librum... tanquam continentem doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas damnamus.

De novo Testamento, circa Evangelia in genere.

110. Pii X DL (*1907*) *damnat has propositiones*: 13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac Christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Iudaeos. — 14. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua. — 15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium. — 27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit. — 30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium. — 38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina.

De auctore, tempore compositionis et historica veritate evangelii secundum Matthaeum.

(Com. Bibl., 19 iun. 1911).

111. *I* Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem?

R. *Affirmative.*

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse?

R. *Affirmative* ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Ierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.*, lib. III, cap. 1, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reiicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censent eandem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam?

R. *Negative* ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorundam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tanquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt?

R. *Negative.*

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, immo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato?

R. *Affirmative.*

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et e davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quandam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes?

R. *Negative* ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarundam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae quae respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (Matth., XXVIII, 19-20), professionem fidei Aposto-

lorum in divinitatem Christi (Matth., XIV, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt?

R. *Affirmative.*

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam.

(Com. Bibl., 26 iun 1912).

112 *I.* Utrum luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorundem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et paene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogat Marcum Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum quae ipsis respective attribuuntur esse auctores?

R. *Affirmative.*

II. Utrum rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (Marc., XVI, 9-20) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sint quae ius tribuant affirmandi eos non esse ut inspiratos et canonicos recipiendos, vel saltem demonstrent versuum eorundem Marcum non esse auctorem?

R. *Negative* ad utramque partem.

III. Utrum pariter dubitare liceat de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (Luc., I-II), aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et sudore sanguineo (Luc, XXII, 43-44); vel solidis saltem rationibus ostendi possit — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere?

R. *Negative* ad utramque partem.

IV. Utrum rarissima illa et prorsus singularia documenta in quibus canticum *Magnificat* non beatae Virgini Mariae, sed Elisabeth tribuitur, ullo modo praevalere possint ac debeant contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio?

R. *Negative.*

V. Utrum, quoad ordinem chronologicum Evangeliorum, ab ea sententia recedere fas sit, quae, antiquissimo aeque ac constanti traditionis

testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur; aut huic sententiae adversari vicissim censenda sit eorum opinio quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum?

R. *Negative* ad utramque partem.

VI. Utrum tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre liceat; vel, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam incohata fuisse conscriptum, sustineri possit?

R. *Negative* ad utramque partem.

VII. Utrum affirmari debeat Evangelium Lucae praecessisse librum *Actuum Apostolorum* (Act., I, 1-2); et cum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (Act., XXVIII, 30-31), eiusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum?

R. *Affirmative.*

VIII. Utrum, prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter queat sententia quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive etiam iam scriptis consignatos?

R. *Negative.*

Utrum dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (Luc., I, 2-3), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicent quam eisdem semper praestitit Ecclesia; an e contrario eadem facta et gesta censenda sint historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint?

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram.

De quaestione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia.

(Comm. Bibl., 26 iun. 1912.)

113. *I.* Utrum, servatis quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, liceat exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare?

R. *Affirmative.*

II. Utrum ea quae superius statuta sunt, ii servare censeri debeant, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare; ac proinde eam libere propugnare valeant?

R. *Negative* ad utramque partem.

De auctore et veritate historica quarti Evangelii.

(Comm. Bibl., 29 maii 1907.)

114. *Dubium I.* Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione iam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur: a) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, imo etiam haereticorum, testimoniis et allusionibus, quae, cum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent, b) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum librorum; c) ex eorundem librorum vetustissimis manuscriptis, codicibus et in varia idiomata versionibus; d) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente, praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Ioannem Apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment?

R. *Affirmative.*

Dubium II. Utrum etiam rationes internae, quae eruuntur ex textu

quarti Evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I Epistola Ioannis Apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit? — Et utrum difficultates, quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit, solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt?

R. *Affirmative* ad utramque partem.

Dubium III.: Utrum, non obstante praxi quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc, ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas?

R. *Negative.*

115. *De eodem Ioannis Evangelio*, Pius X *in* DL (1907), *damnat tres propositiones:* 16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones in eius Evangelio contenti sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae. — 17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati. — 18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia exeunte primo saeculo.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum.

(Comm. Bibl., 12 iun. 1913.)

116. *I.* Utrum perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium Evangelium relatione consideratis et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione (Luc. I, 1-4; Act. I, 1-2), uti certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum, seu Πράξεις Ἀποστόλων, praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem?

R. *Affirmative.*

II. Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stylo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere, ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam?

R. *Affirmative* ad utramque partem.

III. Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis (*Wirstücke*), unitatem compositionis et authenticitatem infirment; vel potius historice et philologice consideratae eam confirmare dicendae sint?

R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

IV. Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum conscripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eamdem captivitatem differri; vel potius iure et merito retinendum sit Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse?

R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

V. Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestinensis fundatoribus necnon cum Paulo gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit; tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis; certo teneri debeat Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse, adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet?

R. *Affirmative.*

IV. Utrum difficultates quae passim obici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis; tum ex relatione quorundam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati; tum ex nonnullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus, tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur, tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint?

R. *Negative.*

De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli.

(Com. Bibl., 12 iun. 1913.)

117. *I.* Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorundam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas?

R. *Affirmative.*

II. Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistolis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit?

R. *Negative.*

III. Utrum difficultates quae multifariam obici solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment?

R. *Negative.*

V. Utrum, cum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, Ss. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis et praesertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate apostoli Pauli; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli?

R. *Affirmative.*

De auctore et de modo compositionis epistolae ad Hebraeos.

(Com. Bibl., 24 iun. 1914.)

118. *I.* Utrum dubiis quae primis saeculis ob haereticorum imprimis abusum, aliquorum in Occidente animos tenuere circa divinam

inspirationem ac Paulinam originem epistolae ad Hebraeos tanta vis tribuenda sit ut, attenta perpetua, unanimi ac constanti Orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius Occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus, perpensis quoque Summorum Pontificum sacrorumque Conciliorum, Tridentini praesertim actis, necnon perpetuo Ecclesiae universalis usu, haesitare liceat eam non solum inter canonicas — quod de fide definitum est — verum etiam inter genuinas Apostoli Pauli epistolas certo recensere?

R. *Negative.*

II. Utrum argumenta, quae desumi solent sive ex insolita nominis Pauli absentia et consueti exordii salutationisque omissione in epistola ad Hebraeos — sive ex eiusdem linguae graecae puritate, dictionis ac styli elegantia et perfectione, — sive ex modo quo in ea Vetus Testamentum allegatur et ex eo arguitur, — sive ex differentiis quibusdam quae inter huius ceterarumque Pauli epistolarum doctrinam exsistere praetenduntur, aliquomodo eiusdem Paulinam originem infirmare valeant; an potius perfecta doctrinae ac sententiarum consensio, admonitionum et exhortationum similitudo, necnon locutionum ac ipsorum verborum concordia, a nonnullis quoque acatholicis celebrata quae inter eam et reliqua Apostoli gentium scripta observantur eandem Paulinam originem commonstrent atque confirment?

R. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad alteram.

III. Utrum Paulus Apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse qua prostat?

R. *Negative* salvo ulteriori Ecclesiae iudicio.

De authentia versiculi I. Io., 5, 7.

(Cong. S. Off., 13 ian. 1897).

119. Utrum tuto negari aut saltem in dubium revocari possit esse authenticum textum S. Ioannis in Ep. I, c. 5, v. 7 quod sic se habet « Quoniam tres sunt qui testimonium dant in caelo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt » ?

Omnibus diligentissimo examine perpensis, EE. Cardinales respondendum mandarunt : *Negative*, 13 ian. 1897.

Die vero 15 eiusdem mensis, Sanctitas sua resolutionem EE. PP. adprobavit et confirmavit.

Huius decreti interpretatio authentica data est die 2 iunii 1927 ab ipsa Congregatione S. Officii, his verbis :

Decretum hoc latum est ut coerceretur audacia privatorum doctorum ius sibi tribuentium authentiam commatis Iohannei aut penitus reiciendi aut ultimo iudicio suo saltem in dubium vocandi. Minime vero

impedire voluit quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque argumentis hinc inde accurate perpensis cum ea quam rei gravitas requirit moderatione et temperantia in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae cui a Iesu Christo munus demandatum est sacras Litteras non solum interpretandi sed etiam fideliter custodiendi.

De Apocalypseos auctore et canonicitate.

(Toletani iv [633] c. 17.)

120. Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis evangelistae esse praescribunt et inter divinos libros recipiendum constituerunt et quamplurimi sunt qui eius auctoritatem non recipiunt atque in Ecclesia Dei praedicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit aut a Pascha usque ad Pentecosten missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit.

4) De tota re biblica.

120 bis. a) *Benedictus XV, in enc.* Spiritus Paraclitus (1920) *de re biblica* : Hac igitur Hieronymi doctrina egregie confirmantur atque illustrantur ea quibus fel. rec. decessor Noster Leo XIII antiquam et constantem Ecclesiae fidem sollemniter declaravit de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate : « Tantum abest... » *(Supra, nº 89-90)*. Quae decessoris Nostri verba quamquam nullum relinquunt ambigendi vel tergiversandi locum, dolendum tamen est, Venerabiles Fratres, non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehementius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnaverint. Equidem illorum comprobamus consilium, qui ut semet ipsos aliosque ex difficultatibus sacri codicis expediant, ad eas diluendas, omnibus studiorum et artis criticae freti subsidiis, novas vias atque rationes inquirunt; at misere a proposito aberrabunt, si decessoris Nostri praescripta neglexerint et certos fines terminosque a Patribus constitutos praeterierint.

120. b) Quibus sane praeceptis et finibus nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectat, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui.

Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint. Haec opinionum commenta, sunt qui nihil repugnare contendant decessoris Nostri praescriptionibus, cum is hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem, utique fallacem, loqui declaravit. Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto apparet. Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam, Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris aspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae. Praeterea decessor Noster, quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem, qui arbitrantur « de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit »; idemque docet divinum afflatum ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine, proferri, nullumque in textum inspiratum errorem incidere posse : « At nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. »

120. c) Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione : idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt, hagiographos, uti in physicis secundum ea quae apparerent locuti sint, ita eventa ignaros rettulisse prout haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse, neque aliorum enarrationes fecisse suas. Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris cur multis refellamus? Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur quae « sensibiliter apparent » ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum suarum contextu retinendam esse declarat? Quodsi affirmat, ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam...

120. d) Neque aliis Scriptura sancta obtrectatoribus caret; eos intellegimus, qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant. In quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniceret, quod, sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes quas vocant implicitas vel ad narrationes specie tenus historicas confugiunt; aut genera quaedam litterarum in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat, aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas. Iam quid de iis sentiendum, qui, in ipsis Evangeliis exponendis, fidem illis debitam humanam minuunt, divinam evertunt? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed — praesertim ad quartum Evangelium quod attinet — partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta, ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint. Haud ita Hieronymus, Augustinus et ceteri Ecclesiae Doctores historicam Evangeliorum fidem intellexerunt...

120. e) Iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto opere sit vobis adnitendum, ut quam Patres diligentissime defugerint insanam opinandi libertatem, eamdem Ecclesiae filii non minus diligenter devitent. Quod quidem eo facilius assequemini, si et clericis et laicis, quos Spiritus Sanctus vobis credidit regendos, persuaseritis, Hieronymum ceterosque Ecclesiae Patres hanc de sacris Libris doctrinam nusquam alibi nisi in schola ipsius divini Magistri Iesu Christi didicisse. Num quid aliud legimus de Scriptura sensisse Dominum? Cuius ex verbis « scriptum est » et « oportet impleri Scripturam » iam argumentum omni exceptione maius exsistit, quod omnibus controversiis finem imponat. Sed, ut in re paulisper commoremur, cuiusnam scientiam aut memoriam fugiat, Dominum Iesum in sermonibus quos ad populum habuit, cum in monte prope lacum Genesareth, tum in synagoga Nazareth et in civitate sua Capharnaum, capita doctrinae et argumenta ad eam probandam ex codice sacro assumpsisse? Nonne ad disceptandum cum pharisaeis et sadducaeis invicta arma indidem cepit? Sive enim doceat, sive disputet, ex qualibet Scripturae parte sententias affert et exempla, et uti talia affert, quibus sit necessario credendum; quo in genere ad Ionam et Ninivitas, ad reginam Saba et Salomonem, ad Eliam et Elisaeum, ad David, ad Noe, ad Lot et Sodomitas et ipsam uxorem Lot, sine ullo discrimine, provocat (Cf. *Matth.* XII, III 39-42; *Luc.*, XVII, 26-29, 32, etc.). Veritatem autem sacrorum Librorum sic testatur ut sollemniter edicat : « Iota unum aut unus apex non prae-

teribit a lege donec omnia fiant » (*Matth.* v, 18), et : « Non potest solvi Scriptura » (*Ioh.* x, 35 ; quamobrem « qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum » (*Matth.* v, 19). Quam ut doctrinam Apostoli, quos brevi in terris erat relicturus, plene imbuerent, ante quam ad Patrem in caelum adscendit, « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die » (*Luc.* xxiv, 45 sq). Doctrina igitur Hieronymi de praestantia et veritate Scripturae, ut uno verbo dicamus, doctrina Christi est. Quare omnes Ecclesiae filios, eosque praecipue, qui sacrorum alumnos ad hanc excolunt disciplinam, vehementer hortamur, ut Stridonensis Doctoris vestigia constanti animo persequantur : ex quo, sine dubio, futurum est, ut hunc Scripturarum thesaurum, quanti ille habuit, tanti ipsimet faciant, et ex eius possessione suavissimos capiant beatitatis fructus.

3. — DE TRADITIONE

121. *Praeter textus allatos n. 15-28, fides* Pii IV *(1564)* : Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et complector.

122. *Haec modernistarum doctrina pessumdantur, ut docet enc.* Pascendi *(1907)* : Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite, quod catholicae veritati est omnino infestum. — Nam istud de experientia praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intelligunt, ut sit originalis experientiae quaedam cum aliis communicatio per praedicationem ope formulae intellectivae. Cui formulae propterea, praeter *vim*, ut aiunt, *repraesentativam, suggestivam* quandam adscribunt *virtutem*, tum in eo qui credit, ad sensum religiosum forte torpentem excitandum instaurandamque experientiam aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad sensum religiosum primo gignendum et experientiam producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur; nec tantummodo in eos, qui nunc sunt, per praedicationem, sed in posteros etiam tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem. — Haec vero experientiae communicatio radices quandoque agit vigetque, senescit quandoque statim ac moritur. Vigere autem modernistis argumentum veritatis est ; veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit : religiones omnes quotquot exstant veras esse, nam secus nec viverent.

123. *Reprobatur iterum in* iureiurando *contra modernismum (1910)* : In universum denique me alienissimum ab errore profiteor

quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini ; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt ; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum ; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis incohatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione*[1] ; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata[2].

De patribus et conciliis.

124. *In documentis ecclesiasticis, praeter textus supra allatos, raro ante Tridentinum sermo est de traditione stricte dicta seu verbo Dei non scripto, saepissime vero de traditione latiore sensu seu qua significatur exercitium magisterii quo nempe doctrinam sive verbis sive scriptis ab* apostolis *acceptam perpetua constantique ratione, ad nostrum usque tempus Ecclesia profitetur ac docet. Hoc praesertim sensu sermo est tam de* Conciliis *tam de* Patribus *quo nomine non ii tantum intelliguntur qui fama sanctitatis atque eruditione illustres dogma christianum praeclarissime exposuerunt sed quicumque ab aevo apostolico, antiquis temporibus, ob dignitatem praesertim episcopalem, depositum fidei, auctoritate divinitus accepta, integram posteris tradiderant.*

Nota. *In sensu stricto usurpatur vox* patres, *in epist.* Pii IX *(15 iun. 1857), de erroribus Güntheri :* Accedit, nec ea sanctos *Patres* reverentia haberi, quam Conciliorum canones praescribunt quamque splendidissima Ecclesiae lumina omnino promerentur, nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quae recolendae memoriae Pius VI decessor Noster solemniter damnavit (*Auctorem fidei*, prop. 79).

Hoc sensu fit specialiter mentio de auctoritate S. Augustini a Caelestino I, *in ep. 21 maii 431*, cap. 2 : *Augustinum* sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione

1. Irenaei *Adv. haer.* IV. 26, 5, PG. 7.1056. — 2. Tertull. *Praescript.* 28, PL. 2.40 B.

semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit : quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur[1].

At cum post ortum Baianismum et Iansenismum quidam Augustini nomine abuterentur, Alexander VIII *damnavit istam propositionem* (*1690*) *:* 30 Ubi quis invenerit doctrinam in *Augustino* clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

125. Stephanus I *de haereticis reconciliandis* (*c. 254-7, ex ep. 74 Cypriani*) *:* Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos nihil innovetur nisi quod *traditum est*, ut manus illis imponantur in paenitentiam.

126. Damasus : a) *ep.* Confidimus *ad Illyricos* (*ante 372 ?*)*:*

Πιστεύομεν τὴν ἁγίαν πίστιν ἡμῶν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῶν ἀποστόλων θεμελιωθεῖσαν ταύτην ὑμᾶς κατέχειν καὶ ταύτην τῷ λαῷ ὑφηγεῖσθαι ἥτις ἀπὸ τῶν ὁρισθέντων παρὰ τῶν πατέρων οὐδενὶ λόγῳ διαφωνεῖ.

Confidimus fidem sanctam nostram in *apostolorum* doctrina fundatam vos tenere eamque populo tradere quae a constitutis *patrum* nulla ratione dissentit.

b) *Iterum in ep. de Timotheo apollinarista* Quod vestra caritas (*c. 378 ?*)*:*

Ταύτην ὥσπερ φθοράν τινα ἐκκλίνατε ὅμως μεμνημένοι τῆς ἀποστολικῆς πίστεως, ταύτης μάλιστα ἥτις ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ἐγγράφως ἐξετέθη βεβαίῳ βαθμῷ ἰσχυρῶς τῇ πίστει ἀμετακίνητοι διαμείνατε, καὶ μὴ ματαιολογίας καὶ ἠφανισμένας ζητήσεις μετὰ τοῦτο ὑπομείνατε ἀκούειν τοὺς κληρικοὺς ἢ τοὺς λαικοὺς ὑμῶν· ἤδη γὰρ ἅπαξ τύπον ἐδώκαμεν ἵνα ὁ γινώσκων ἑαυτὸν χριστιανὸν ἐκεῖνο φυλάττοι ὅπερ παρὰ τῶν ἀποστόλων παρεδόθη, λέγοντος τοῦ ἁγίου Παύλου, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

Vos hanc eius astutiam vel ut pestem quandam declinate et recordamini sedulo tum fidei ab *apostolis* traditae tum huius vel maxime quae est a sanctis *Patribus* in *Concilio Nicaeno* scriptis prodita, inque ea gradum firme defigentes immobiles perstate et ne posthac sustinete ut vel clerici vestri vel laici inanes sermones quaestionesque obscuras audiant. Iam non semel formulam edidimus ut qui se christianum profitetur illud teneat quod ab *apostolis* traditum est, quippe divinitus Paulus sic loquitur : *Si quis vobis evangelisaverit praeter id quod accepistis, anathema sit* (Gal. 1, 9).

1. De hoc textu cf. Portalié, in DTC. I. 2463.

127. Siricius (*384-97*). a) [*Synodus Romanorum, c. 9*] *hac ratione commendabat unitatem in Ecclesia* : Catholicorum episcoporum unam confessionem esse debere *apostolica* disciplina composuit. Si ergo una fides est, manere debet et una *traditio* ; si una *traditio* est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri. Diversis in regionibus quidem ecclesiae sunt conditae sed per omnem mundum unitate fidei catholicae una est appellata. Nam et sic legimus : *Una est columba mea una est perfecta mea, una est genitrix mea* (Cant. vi, 8).

b) *Idem, ep.* Cogitantibus, *post 384 :* Praedico ut unam fidem habentes unum etiam in *traditione* sentire debeamus, probantes nos unanimes atque concordes pacifici in Christo et in observationibus *apostolicis* habere caritatem. Medio itaque Patre et unigenito Filio eius et Spiritu sancto et unius divinitatis Trinitate convenio ut in his fides catholica et disciplina nostra permaneat.

c) *Et in ep.* Optarem semper, *de Ioviniano a.* 390, *post synodum romanam* · Facto igitur presbyterio constitit doctrinae nostrae id est christianae legi esse contrariam. Unde apostoli secuti praeceptum (Gal. 1, 9) quia aliter quam quod *accepimus* annuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum et diaconorum quam etiam totius cleri unam scitote fuisse sententiam ut Iovinianus, Auxentius, Genialis, Geminator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius et Ingeniosus, qui inventores novae haeresis et blasphemiae inventi sunt, divina sententia et nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent[1].

128. Zosimus, *in ep.* Multa contra, *29 sept. 417, ad episcopos Viennensis provinciae* : Indecens ausus et in ipso vestibulo resecandus, hoc ab episcopis, ob certas causas concilium agitantibus, extorquere quod, contra statuta *patrum* et sancti Trophimi reverentiam qui primus metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac sede directus est, concedere vel mutare ne huius quidem sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas cui decreta *patrum* sanxere reverentiam.

129. Leo I, *ep. 82, ad Marcianum, 23 apr. 451 :* Et cum ab evangelica *apostolicaque* doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere aut aliter de scripturis divinis sapere quam beati *apostoli* et *patres nostri* didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatae moventur et impiae quaestiones quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit per discipulos veritatis Spiritus sanctus exstinxit.

1. Vide in PL 16.1123 epist. S Ambrosii et aliorum episcoporum quae huius quasi commentarius est.

130. *Praeclare, occasione querelae de Fausto Reiensi, quae sit Ecclesiae mens in diiudicandis scriptoribus exponens, auctoritatem patrum asserit* HORMISDAS, *ep. ad Possessorem* Sicut rationi, *13 aug. 520: 4.* Hi vero quos vos de Fausti cuiusdam galli antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum neque quemquam quos in auctoritatem *patrum* non recipit examen, catholicae fidei aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem posse gignere aut religiosis praeiudicium comparare. Fixa sunt a *patribus* quae fideles sectari debeant instituta sive interpretatio sive praedicatio, seu verbum populi aedificatione compositum si cum fide recta et doctrina sana concordat admittitur, si discordat aboletur. Unum est fundamentum extra quod quaelibet fabrica si consurgit infirma est, super illud quisquis aedificat seu vilia seu pretiosa consideret (cf. I Cor. III, 11-12). Errat autem a via qui ab eo quod *patrum* electio monstravit exorbitat. Non tamen improbatur diligentia per multa discurrens sed animus a veritate declinans. Saepe de his necessaria providetur de quibus ipsi aemuli convincantur instructio. Nec vitio dari potest nosse quod fugias: atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, numquam doctor ille gentium acquievisset nuntiare fidelibus: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete* (I Thess. v, 21)... Non improvide veneranda *patrum* sapientia fideli posteritati quae essent canonica dogmata definiit, certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, Sancto Spiritu instituente, praefigens, ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conveniret sed quod voluntas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiae terminos porrigere quaestiones et de his quae ita habeantur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina cum christiana fides canonicis libris et synodalibus praeceptis et *patrum* regularibus constitutis stabili et inconcusso tramite limitetur?

131. AGATHO *et Conc. Romanum, ep.* Omnium, *a. 680:* Hoc nos apostolica atque evangelica *traditio*, sanctorumque *patrum magisterium*, quos sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles *synodi* suscipiunt, instituisse monstratur.

132. *De auctoritate praecipue* Conciliorum oecumenicorum *saepe mentio fit in documentis ecclesiasticis, ex quibus haec pauca: Iam in* CHALCEDONENSI *agitur de Nicaeno,* CP. I *et Ephesino, ut infra in eius definitione habetur. Iterum de his quattuor*, CP. II *seu V oecumenicum, a. 553:* Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis *apostolis* et ab illis in universo mundo praedicatam; quam et

sancti *Patres* confessi sunt, et explanaverunt, et sanctis ecclesiis tradiderunt et maxime qui in sanctis *quattuor Synodis* convenerunt; quos per omnia et in omnibus sequimur, et suscipimus, cum aliis sanctis *patribus*; et sanctas *quattuor synodos* id est trecentos decem et octo *patres* Nicaeae congregatos et centum quinquaginta qui CP. convenerunt et Epheso prima ducentos et Calchedone sexcentos triginta et omnia quae a praedictis sanctis *quattuor Conciliis* pro una eademque fide definita sunt suscipimus et omnes condemnatos a praedictis sanctis *quattuor Conciliis* tanquam condemnatos et anathematizatos habemus una cum aliis haereticis... Omnia quidem consonantia his quae a memoratis sanctis *quattuor Conciliis* pro recta fide definita sunt, suscipimus, omnia vero, quae non consonant his, quae definita sunt ab iisdem *quattuor* sanctis *Conciliis* pro recta fide, vel ad iniuriam vel ad contrarietatem earundem *quattuor Synodorum*, vel unius ex his et ad defensionem haereticorum et eorum impietatis scripta sunt, aliena pietatis iudicantes, condemnamus et anathematizamus. Super haec sequimur per omnia et sanctos *patres* et doctores ecclesiae Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem CP., Cyrillum, Leonem, Proclum et suscipimus omnia quae de recta fide et condemnatione haereticorum exposuerunt. Suscipimus autem et alios sanctos et orthodoxos *patres* qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem suae vitae praedicaverunt.

133. *Eiusdem generis est pars IV* GELASIANI (VI s.) *in qua de synodis et scriptoribus ecclesiasticis simul sermo est:*

IV. Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id quod positum est, Christus Iesus, tamen ad aedificationem sancta idem Romana ecclesia post illas Veteris vel Novi Testamenti quas regulariter superius enumeravimus etiam has suscipi non prohibet scripturas:

1 Sanctam synodum Nicaenam secundum trecentos decem et octo patres mediante maximo Constantino Augusto, *in qua Arrius haereticus condemnatus est;*

sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit;

sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Caelestini papae mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio episcopo ab Italia destinato;

sanctam synodum Calchedonensem mediante Marciano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Eutychiana haereses simul cum Dioscoro eiusque complicibus damnatae sunt.

Sed et si qua sunt concilia a sanctis patribus hactenus instituta

post istorum quattuor auctoritatem, et custodienda et recipienda decrevimus.

2. *Iam nunc subiciendum de opusculis sanctorum patrum, quae in ecclesia catholica recipiuntur.*

Item opuscula beati Caecilii Cypriani martyris et Carthaginiensis episcopi;
item opuscula beati Gregorii Nazianzeni episcopi;
item opuscula beati Basilii Cappadociae episcopi;
item opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi;
item opuscula beati Iohannis Constantinopolitani episcopi;
item opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi;
item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi;
item opuscula beati Hilarii Pictaviensis episcopi;
item opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi;
item opuscula beati Augustini Hipponeregiensis episcopi;
item opuscula beati Hieronimi presbyteri;
item opuscula beati Prosperi viri religiosissimi;

3. Item epistolam beati papae Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinatam, de cuius textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit;

item opuscula atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctae Romanae ecclesiae consortio deviarunt, nec ab eius fide vel praedicatione seiuncti sunt sed ipsius communicationi per gratiam Dei usque in ultimum diem vitae suae fuere participes, legendos decernit;

item decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas esse;

4. Item gesta sanctorum martyrum, quae multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis catholicorum dubitet maiora eos in agonibus fuisse perpessos nec suis viribus sed Dei gratia et adiutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit esse putantur; sicut cuiusdam Cyrici et Iulittae, sicut Georgii aliorumque eiusmodi passiones quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum praedicta ecclesia omnes martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur;

item vitas patrum Pauli, Antonii, Hilarionis et omnium heremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronimus, cum honore suscipimus;

item actus beati Silvestri apostolicae sedis praesulis, licet eius qui conscripserit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus et pro antiquo usu multae hoc imitantur ecclesiae;

item scriptura de inventione crucis et alia scriptura de inventione capitis beati Iohannis Baptistae novellae quidem relationes sunt et nonnulli eas catholici legunt; sed cum haec ad catholicorum manus advenerint, beati Pauli apostoli praecedat sententia: *omnia probate, quod bonum est tenete* (1 Th. v, 21.)

5. Item Rufinus vir religiosissimus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est, sed quoniam venerabilis Hieronimus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus quae praedictum beatum Hieronimum sentire cognoscimus, et non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir saepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

item Origenis nonnulla opuscula, quae vir beatissimus Hieronimus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem cum auctore suo dicimus renuenda.

item chronica Eusebii Caesariensis atque eiusdem historiae ecclesiasticae libros, quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit et post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum propter rerum tamen singularum notitiam, quae ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

item Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde necessariam nobis adversus paganorum calumnias ordinavit historiam miraque brevitate contexuit.

item venerabilis viri Sedulii opus paschale, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude praeferimus.

item Iuvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus sed miramur.

134. — PELAGII I *fides (c. 556)*: De sanctis vero *quattuor Conciliis*, id est Nicaeno CCCXVIII, CP. CL, Ephesino I° CC, sed et Chalcedonensi DCXXX, ita me protegente divina misericordia sensisse et usque ad terminum vitae me sentire toto animo et tota virtute profiteor ut eas in sancta fidei defensione et damnatione haeresium atque haereticorum utpote Sancto firmatas Spiritu, omnimoda devotione custodiam. Quarum firmitatem quia universalis Ecclesiae firmitas est, ita me tueri ac defendere profiteor sicut eas decessores meos defendisse non dubium est. In quibus illum maxime et sequi et imitari desidero quem *Chalcedonensis synodi* auctorem novimus exstitisse qui suo congruens nomini eius se

membrum qui de tribu Iuda Leo exstitit (Apoc. v, 5) vivacissima fide, sollicitudine evidenter ostendit. Similem igitur suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido et quicumque ab eisdem *quattuor Conciliis* absoluti sunt me esse orthodoxos habiturum. Nec umquam in vita mea, Deo nos in omnibus protegente, aliquid de sancta et vera praedicationis eorum auctoritate minuere. Sed et canones quos Sedes Apostolica suscipit sequor et veneror et Deo adiuvante defendo nec me ab hac professione reticere aut discedere aliquando permitto. Epistolas etiam beatae recordationis papae Caelestini, Xysti et prae omnibus beati Leonis nec non etiam successorum eius Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelasii, Anastasii, Symmachi, Hormisdae, Ioannis, Felicis, Bonifatii, Iohannis alterius et Agapiti[1] pro defensione fidei catholicae et pro firmitate supra scriptorum *quattuor Synodorum* et contra haereticos tam ad principes quam episcopos vel quoslibet alios, per Orientem et Illyricum atque Dardaniam, aliasque provincias, diversis temporibus missas, inviolabiliter adiuvante Christo Domino nostro me custodire profiteor et omnes quos ipsi damnaverunt habere damnatos et quos ipsi receperunt, praecipue venerabiles episcopos Theodoretum et Ibam, me inter orthodoxos venerari.

135. — Pelagius II *in ep.* Quod ad dilectionem *ad schismaticos Istriae, c. 585*: Nos enim illam fidem praedictam tenemus et cum omni puritate conscientiae usque ad sanguinis effusionem defendimus quae ab *apostolis* tradita et per successores eorum inviolabiliter custodita reverenda *Nicaena* synodus CCCXVIII Patrum suscepit atque reliquit in symbolum sed et *CP.* CL Patrum sub piae memoriae Theodosio seniore principe factum, etiam *Ephesina Iª*, cui praesedit beatae recordationis praedecessor noster Caelestinus Romanae urbis antistes et Cyrillus Alexandriae episcopus, sed et *Chalcedonensis* DCXXX Patrum quae sub piae memoriae Marciano imperatore convenit, cuique sanctae recordationis papa Leo per legatos vicarios suos praesedit et ut diversorum haeresum damnanda exigebat adversitas eandem fidem uno eodemque sensu clamanter latius ediderunt. Sed et *epistolam* praedicti beatae memoriae Leonis *ad Flavianum* CP. episcopum datam, quae et *Tomus* appellatur, per omnia veneramur, tenemus, defendimus, atque secundum eius tenorem adiuvante Domino praedicamus. Et sicut praedecessor noster saepe dictus beatae memoriae papa Leo synodum Chalcedonensem suscepit atque firmavit, ita et nos per omnia operante divina gratia veneramur, custodimus atque defendimus. Si quis autem contra hanc fidem aut sapit aut credit aut docere praesumit,

1. Omittitur Vigilius, qua de causa Pitra falso existimavit eius esse hanc fidem.

secundum eorundem Patrum sententiam damnatum atque anathematizatum se esse cognoscat[1].

136. — Gregorii Magni, *ep. ad patriarchas*, m. febr. 591: — Praeterea quia corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quattuor libros sic *quattuor Concilia* suscipere et venerari me fateor, *Nicaenum* scilicet in quo perversum Arii dogma destruitur, *CP.* quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur, *Ephesinum* etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur; *Chalcedonense* vero in quo Eutychis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector integerrima approbatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit et cuiuslibet vitae atque actionis exsistat quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra aedificium iacet. *Quintum* quoque *Concilium* pariter veneror in quo epistola quae *Ibae* dicitur, erroris plena reprobatur, *Theodorus* personam mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, scripta quoque *Theodoriti* per quae beati Cyrilli fides reprehenditur ausu dementiae prolata refutantur. Cunctas vero quas praefata veneranda concilia personas respuunt respuo, quas venerantur amplector, quia dum universali sunt consensu constituta se et non illa destruit quisquis praesumit aut solvere quos religant aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero praedictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Iesum Christum Filium eius qui cum eo vivit et regnat consubstantialiter Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

137. *Lateranense sub* Martino I *(a. 649)*: Can. 17. Si quis secundum sanctos *Patres* non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae *tradita* sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei Ecclesiae, perindeque a sanctis *Patribus* et venerandis universalibus *quinque Conciliis* usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit.

Can. 18. Si quis ea, quae scelerosi haeretici sapiunt, indubitanter professus atque intelligens, per inanem proterviam dicit haec pietatis esse dogmata, quae *tradiderunt* ab initio speculatores et ministri verbi, hoc est dicere, sanctae et *universales quinque Synodi*, calumnians utique ipsos sanctos *Patres* et memoratas sanctas *quinque Synodos*, in deceptione simplicium, vel susceptione suae profanae perfidiae, huiusmodi condemnatus sit.

1. Alias fidei formulas a RR. PP., occasione eorum electionis prolatas, continet *Liber diurnus*, ed. Garnier, PL 105, c. 40 sq.; ed. Sickel, p. 69 sq. In his late tractatur de Synodis oecumenicis.

Can. 20. Si quis secundum scelerosos haereticos quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos removens illicite, quos posuerunt firmius sancti catholicae Ecclesiae *Patres*, id est, sanctae et *universales quinque Synodi*, novitates temere exquirere, et fidei alterius expositiones, aut libellos, aut epistolas, aut conscripta, aut subscriptiones, aut testimonia falsa, aut synodos, aut gesta monumentorum, aut ordinationes vacuas ecclesiasticae regulae incognitas, aut loci servaturas incongruas et irrationabiles, et compendiose, si quid aliud impiissimis haereticis consuetum est agere, per diabolicam operationem tortuose et callide agit contra pias orthodoxorum catholicae Ecclesiae, hoc est dicere, *paternas* eius et *synodales praedicationes*, ad eversionem sincerissimae in Dominum Deum nostrum confessionis, et usque in finem sine paenitentia permanet haec impie agens, huiusmodi in saecula saeculorum condemnatus sit, et dicat omnis populus, fiat, fiat.

138. *Fides Nicephori CP (806-15).*

Πρὸς τούτοις ἀσπασίως ἀποδέχομαι καὶ τιμῶ τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους καὶ τὰ ἐν αὐταῖς δογματισθέντα καὶ κηρυχθέντα θεῖα τε καὶ ὑπερφυῆ καὶ σωτήρια δόγματα παρὰ τῶν ὁσίων καὶ θεοφόρων πατέρων ὧν τοὺς κατὰ καιρὸν ἔθετο τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ποιμαίνειν τὴν Ἐκκλησίαν αὐτοῦ καὶ διέπειν [sequitur de unoquoque ex his septem Conciliis tractatio et Simoniacorum detestatio].

139. Cptanum IV, *oec. VIII, a 869-70*[1]: Can. 1. Per aequam et regiam divinae iustitiae viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum *Patrum* definitiones et sensus retinere debemus. [Quapropter et has ut secunda eloquia secundum magnum et sapientissimum Dionysium arbitrantes et existimantes, etiam de eis cum divino David promptissime canamus: *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos* (Ps. xviii, 9), et: *Lucerna pedibus meis lux* [*lex*] *tua et lumen semitis meis* (Ps. cxviii, 105), et cum Proverbiatore dicimus: *Mandatum tuum lucidum et lex tua lux* (Prov. vi, 23) et cum

---

138. Amanter praeterea reverenterque veneror et amplector septem sacras et oecumenicas synodos omniaque supernaturalia et salutaria dogmata et decreta quae a sanctis et divinis Patribus nostris quos olim Spiritus Sanctus ad Ecclesiam suam regendam pascendamque instituit in illis exstant sancita et decreta.

1. Quae sunt inter uncos absunt a textu graeco (M 16 166 A). Versio latina longior ex Anastasio Bibliothecario, graeca 397 D).

magna voce cum Isaia clamamus ad Dominum Deum, quia: *Lux praecepta tua sunt super terram* (?). Luci enim veraciter assimilatae sunt divinorum canonum hortationes et dehortationes, secundum quod discernitur melius a peiore et expediens atque proficuum ab eo, quod non expedire, sed et obesse dignoscitur.] Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae tam a sanctis famosissimis *Apostolis*, quam ab orthodoxorum *universalibus* necnon et localibus *Conciliis* vel etiam a quolibet deiloquo *Patre* ac magistro Ecclesiae *traditae* sunt, servare ac custodire profitemur; [his et propriam vitam et mores regentes et omnem sacerdotii catalogum, sed et omnes, qui Christiano censentur vocabulo, poenis et damnationibus et e diverso receptionibus ac iustificationibus, quae per illas prolatae sunt et definitae, subici canonice decernentes] *tenere* quippe *traditiones*, quas accepimus *sive per sermonem, sive per epistolam* (II Thess. ii, 14) Sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte, magnus Apostolus.

α΄. Τὴν εὐθεῖαν καὶ βασιλικὴν ὁδὸν τῆς θείας δικαιοσύνης ἀπροσκόπως βαδίζειν θέλοντες, οἷόν τινας πυρσοὺς ἀειλαμπεῖς τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων ὅρους κρατεῖν ὀφείλομεν.

Τοιγαροῦν τοὺς ἐν τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ παραδοθέντας θεσμοὺς παρά τε τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, παρά τε ὀρθοδόξων συνόδων οἰκουμενικῶν τε καὶ τοπικῶν ἢ καὶ πρός τινος θεηγόρου πατρὸς διδασκάλου τῆς Ἐκκλησίας τηρεῖν καὶ φυλάττειν ὁμολογοῦμεν· κρατεῖν γὰρ τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβομεν εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῶν τῶν προγενεστέρως διαλαμψάντων ἁγίων, παρεγγυᾷ διαῤῥήδην Παῦλος ὁ μέγας ἀπόστολος.

140. Leonis IX *fides (1053)*: Quattuor Concilia omnimode recipio et velut quattuor evangelia veneror (n. 136): quia per quattuor partes mundi universalis Ecclesia, in his tanquam in quadro lapide, fundata consistit. Primum *Nicaenum* CCCXVIII Patrum sub beato Silvestro papa Romano et Constantino Augusto magno, cui praefuerunt Victor et Vincentius Romani presbyteri; secundum *CP* primum CL Patrum sub Damaso papa et Theodosio maiore; tertium *Ephesinum* primum CC Patrum sub Caelestino papa et iuniore Theodosio; quartum *Chalcedonense* DCXXX Patrum, sub beato Leone papa et Marciano Augusto. Pari modo recipio et veneror reliqua tria Concilia: id est II *CP* sub Vigilio papa et Iustiniano Augusto, deinde III *CP* contra Monothelitas sub Agathone papa et Constantino nepote Heraclii, ultimum II *Nicae-*

num sub Hadriano papa et Constantino Irenes filio pro reverentia Domini Iesu Christi et sanctorum imaginibus. Quidquid supradicta septem sancta et universalia Concilia senserunt et collaudaverunt, sentio et collaudo, et quoscumque anathematizaverunt, anathematizo.

141. PII IV *fides* (*aucta post Vaticanum, a. 1877*) : Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta TRIDENTINA Synodo (et ab oecumenico Concilio VATICANO), tradita, definita ac declarata (praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio), indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio et anathematizo.

142. GREGORII XIII *fides pro Graecis* (*1575*) : Insuper profiteor ac recipio alia omnia quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis synodi TRIDENTINAE sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit ut sequitur (*fides* Pii IV).

143. BENEDICTI XIV *fides pro Orientalibus* (*1743*) : Veneror etiam et suscipio universales synodos, Nicaenam primam .. CP primam, secundam in ordine... Ephesinam primam, tertiam in ordine..., Chalcedonensem, quartam in ordine... CP secundam, quintam in ordine... CP tertiam, sextam in ordine... Nicaenam secundam, septimam in ordine. . CP quartam, octavam in ordine... Veneror etiam et suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas et praesertim Florentinam synodum et profiteor quae in ea definita sunt... Pariter veneror et suscipio Tridentinam synodum et profiteor quae in ea definita et declarata sunt... Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum tam Veteris quam Novi Testamenti indice et interpretatione in praefata Tridentina synodo definita sunt suscipio et profiteor.

144. *Inter huius traditionis documenta praecipuum locum obtinent symbola, et professiones fidei varias ob necessitates decursu temporum editae.*

a) *De* Apostolico *haec* LEO MAGNUS, *ep. 31, 4* (*13 iun. 449*) : Non enim de portiuncula aliqua fidei nostrae quae minus lucide declarata

sit quaeritur, sed hoc stultissima resultatio audet incessere quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio quae duodecim apostolorum totidem est signata sententiis tam instructa sit munitione caelesti ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari cuius symboli plenitudinem si Eutyches puro et simplici voluisset corde concipere in nullo a decretis sacratissimi NICAENI concilii deviaret et hoc a sanctis Patribus intelligere constitutum ut contra apostolicam fidem, quae nonnisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium.

b) *De* NICAENO-CPTANO, TRIDENTINUM, *sess. 3* (*4 febr : 1546*) : Haec sacrosancta oecumenica et generalis TRIDENTINA Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus Apostolicae Sedis legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, praesertim earum, quae duobus illis capitibus, de exstirpandis haeresibus et moribus reformandis continentur quorum causa praecipue est congregata; agnoscens autem cum Apostolo (Eph. VI, 12), non esse sibi colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitias in caelestibus, cum eodem omnes et singulos imprimis hortatur ut confortentur in Domino, et in potentia virtutis eius, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere, atque galeam spei salutis accipiant, cum gladio spiritus, quod est verbum Dei (Eph. VI, 16-7). Itaque, ut haec pia eius sollicitudo principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit et decernit, praemittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus conciliis hoc scutum contra omnes haereses, in principio suarum actionum apponere consuevere [1] : quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt, et fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod *portae inferi nunquam praevalebunt* (Mt. XVI, 18), totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit.

1. Conc. Nicaen. Conc. Hippon. in princ. Conc. Constant. VI, actione 17.

c) *Inter professiones fidei, notanda est* Tridentina *seu* Pii V, *quae in* CIC *sub titulo* Professio catholicae fidei *inscribitur, tum alia quae Graecis a Gregorio XIII* (1575) *et alia quae Orientalibus a Benedicto XIV* (1743) *imposita. Commemorandum quoque* Iusiurandum *adversus errores modernistarum* (1910). *Quae suis locis describuntur.*

II

DE REVELATIONE SUBIECTIVE SEU DE FIDE

A) De fidei obligatione.

145. Vaticanum (1870), *de fide*, cap. 3 : Cum homo a Deo tanquam creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.

146. *Ibid. can.* 1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit : anathema sit.

B) De fidei natura.

1. — Est assensus supernaturalis Deo revelanti.

147. Vaticanum, *de fide*, cap. 3 : Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. *Est* enim *fides*, testante Apostolo, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (Hebr. xi, 1).

148. *Ibid. can.* 2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea

ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur : A. S.

2 — Est assensus rationalis.

149. VATICANUM, *de fide*, cap. 3 : Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis *miracula* et *prophetias*, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt ; et de Apostolis legimus : *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (Mc. XVI, 20). Et rursum scriptum est : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* (II Petr. I, 19).

150. *Ib.* Can. 3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere : A. S. — Can. 4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse ; aut miracula certo cognosci nunquam posse nec iis divinam religionis christianae originem rite probari : A. S.

151. *Hinc* Iusiurandum de modernismo (*1910*) : Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tanquam signa certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam hujus temporis, intelligentiae esse maxime accommodata.

152. *Error damnatus in can. 4, iam erat in* Pii IX S. (*1864*) 7. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt

poetarum commenta et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa ; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa, ipseque Iesus Christus est mythica fictio (Enc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846 ; All. *Maxima*, 9 iun. 1862).

153. *Alii errores damnati.* a) *Ab* INNOCENTIO XI (*1679*) : 4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. — 21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus. — b) A PIO X *in* DL (*1907*) : Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

154. *Iusiurandum de modernismo* (*1910*) : Quinto : certissime teneo ac sincere profiteor, fidem non esse coecum *sensum* religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

155. *Haec formula doctrinam reicit modernistarum quae sic in enc.* Pascendi (*1907*) *exponitur* : Hic tamen agnosticismus in disciplina modernistarum non nisi ut pars negans habenda est : positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, seu quodlibet factum explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta aditque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda : et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur.

Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda : primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia non nisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest ; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia

loquuntur, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc incognoscibili, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in subconscientia lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono nullo secundum *fideismi* scita praevertente mentis iudicio peculiarem quendam commovet *sensum*: hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tanquam obiectum tum tanquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic sensus, quem modernistae *fidei* nomine appellant, estque illis religionis initium.

156. *Et infra*: Iam si ad *credentem* progressus, nosse quis velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus realitatem *divini* ut fidei obiectum admittat, hanc tamen ab illo realitatem non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut obiectum sensus est et affirmationis atque ideo phaenomenorum ambitum non excedit: utrum porro in se illa extra sensum exsistat, atque affirmationem huiusmodi, praeterit philosophus ac negligit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, realitatem divini reapse in se ipsam exsistere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur, reponent: in *privata* cuiusque hominis *experientia*. — In qua affirmatione dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: in sensu religioso quendam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit tantamque de exsistentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam eamque rationali qualibet experientia praestantiorem: quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adiunctis, quae ad experientiam gignendam requiruntur. Haec porro experientia, cum quis illam fuerit assecutus, proprie vereque credentem efficit. — Quam hic longe absumus a catholicis institutis! Commenta eiusmodi a VATICANA Synodo improbata iam vidimus.

3. — Est assensus liber, sub gratia elicitus.

157. VATICANUM (1870), *de fide cap. 3*: Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen « evangelicae praedicationi consentire » potest, sicut oportet ad salutem consequendam, « absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati » (ARAUS. II, can. 7). Quare *fides* ipsa in se, etiamsi *per caritatem* non *operetur* (Gal. V, 6), donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

158. *Ibid. can. 5*: Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam *fidem* vivam, *quae per caritatem operatur* (Gal. V, 6), gratiam Dei necessariam esse: A. S.

159. *Errores damnati* a) *ab* INNOCENTIO VIII *(1487) inter errores* Ioannis Pici de Mirandula: *Prop. ex conclusionibus in Theologia propriis 18.* Dico probabiliter et, nisi esset communis modus dicendi theologorum in oppositum, firmiter assererem: assero tamen hoc dictum in se esse probabile, et est, quod sicut nullus opinatur aliquid ita esse, praecise, quia vult sic opinari, ita nullus credit aliquid esse verum, praecise, quia vult credere id esse verum.

Corollarium. Non est in potestate libera hominis credere articulum fidei esse verum, quando placet, et credere eum esse falsum, quando sibi placet.

Erronea et haeresim sapiens.

b) *Ab* INNOCENTIO XI *(1679)*: 19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. — 20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

Infra de iustificatione *dantur quae ad munus gratiae circa fidem spectant, praesertim ex Trident. sess. VI.*

C) De fidei obiecto et magisterio ecclesiastico.

160 VATICANUM (1870) *de fide cap. 3:* Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quae ad verbum sunt etiam nunc in CIC *c.* 1323.

161. *Eadem in. ep.* PII IX Tuas libenter, *ad arch. Monaco-Frisingensem (21 dec. 1863), de theologorum germanorum conventu.* Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur.

162. *Aliis verbis idem iam asserverat* SIMPLICIUS *papa in ep.* Per filium nostrum, *a. 476, in qua post commemoratas damnationes illatas ab* Ephesino, Chalcedonensi, LEONE I, *addebat:* Insolubile esse non dubium est vel quod ante decreverunt in unum convenientes tot domini sacerdotes vel quod singuli per suas ecclesias constituti eadem nihilominus sentientes diversis quidem vocibus sed una mente discrunt damnantes errorum exsecrabilium auctores pariter et sequaces.

163. *Hinc fides pro Orientalibus (1743):* Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata et haereses ab

eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio et anathematizo.

164 *De hoc* MAGISTERIO ECCLESIASTICO, *praeter ea quae infra in* LEONIS XIII *epist. de Ecclesiae unitate, non pauca determinantur in* CIC *l. III p. 4ª, ut c. 1322, § 1:* Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. — § 2. Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi: hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur.

165 *C. 1323 § 2, (post § 1 qui est ille* VATICANI *supra n. 160 allatum):* Solemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis. — § *3.* Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur nisi id manifeste constiterit.

166. *Notandum est campum oboedientiae et assensus religiosi latius patere quam hic de fide divina et catholica describitur. Quapropter* PIUS IX *his verbis querebatur de conventu virorum doctorum in Germania ut nimis restringentium hunc campum (Ep.* Tuas libenter *ad arch. Monaco-Frisingensem, 21 dec. 1863)*. Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.

167. *Unde nunc* CIC *c. 1324:* Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

168. *Hac de re damnatae propositiones* a) *in* PII IX S *(1864)* 22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur (Ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863). — b) *In* DL PII X *(1907)*: 7. Ecclesia, cum proscribit

errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.— 8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

c) *Iam* Clemens XI *in const.* Vineam Domini, *16 iulii 1705, silentium obsequiosum damnaverat quoad facta dogmatica* : Ut quaevis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis oboedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura constitutione, oboedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio nequaquam satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum, non ore solum, sed et corde reici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse, ita ut, qui secus aut contra quoad haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam praefatarum apostolicarum constitutionum transgressores omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subiaceant, eadem auctoritate apostolica decernimus declaramus, statuimus et ordinamus.

d) *Aliae propositiones synodi* Pistoriensis *damnatae sunt a* Pio VI *(1794)* :

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei *ab aliquot saeculis emanatas.*

12. Assertiones synod. complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia : — falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus oboedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

De pace dicta Clementis IX.

13. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit, Clementem IX pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII praescripti — falsa, temeraria, Clementi IX iniuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores

laudibus extollendo et eorum adversarios vituperando : — temeraria, perniciosa, summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

e) *Eiusdem generis antea propositio* Wicleff *damnata a* Martino V *(1418)* : 38. Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui student eis.

169. *Animadvertendus tandem etiam error contra* magisterii *genuinam notionem damnatus in* DL Pii X *(1907)* : 6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil superait nisi communes discentis opinationes sancire.

Errorem similem exponit enc. Pascendi *(1907)* : De *doctrinali et dogmatica* potestate longe peiora sunt ac perniciosiora, quae sentiunt. De magisterio Ecclesiae sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia unaque, qua utantur, formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat, cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eandem prescribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat ; consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiis pendere ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere, quominus impulsiones, quas sentiunt, palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire, qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est, sed abusus.

170. Magisterio *maxime curandum est de* praedicatione, *de qua sic* CIC c. *1327* § 1 : Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus. — § 2. Episcopi tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum.

c. *1328* : Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo superiore missionem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat.

171. Leo I, *ep. 119 (11 iun. 453)* : 6. Illud quoque dilectionem tuam convenit praecavere ut praeter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi docendi et praedicandi ius audeat vindicare sive ille monachus,

sive sit laicus qui alicuius scientiae nomine glorietur. Quia etsi optandum est ut omnes Ecclesiae filii quae recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi praedicationis assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant et inferiora superioribus non resultent. (*Cf. iam ep. 118, 2 ad Iulianum Coensem episc. 2 april. 453*).

172. *Hinc* a) *in formula fidei* Innocentii III, *proposita Waldensibus* (*1208*) *de praedicatione :* Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia Summi Pontificis vel praelatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis, ubi manifeste haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant, credimus, quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur.

b) Lateranense IV, *oec. XII* (*1215*), *iterum :* Quia vero nonnulli sub *specie pietatis, virtutem eius* (iuxta quod ait Apostolus) *abnegantes* (II Tim. III, 5), auctoritatem sibi vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat : *Quomodo . . praedicabunt, nisi mittantur?* (Rom., x, 15), omnes, qui prohibiti vel non missi praeter auctoritatem ab Apostolica Sede vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel privatim praedicationis officium usurpare praesumpserint, excommunicationis vinculo innodentur : et nisi quantocius resipuerint, alia competenti poena plectantur.

c) *Zelum praedicandi commendat* Hormisdas, *ep. 29 ad Orientales episcopos, a. 517 :* Nullus contentus sit innocentia sua quia Deo nostro universa cernenti per praedicationis assiduitatem rationem quoque propositi debemus alieni. Largam scientiam decet esse doctorum. Non amat fides christiana secretum quam quisquis in augmento non effundit abscondit. Per universas gentes verbi praedicatio mandatur apostolis et quam excusabiliter hoc quisquam potest sibi tacere commissis? 2. Quid prodest cuilibet paternarum reverentiam servare regularum si conciti haec ab aliis et sine honore tractari patienter accipiat? Infirmum ostendit affectum qui quod diligit non tuetur.

173. *Rationem agendi cum dissidentibus statuit :* a) Leo XIII *occasione* Americanismi, *ep.* Testem (*22 ian. 1899*) : Postremo, ne nimis moremur, via quoque et ratio, qua catholici adhuc sunt usi ad dissidentes revocandos, deserenda edicitur aliaque in posterum adhibenda. Qua in re hoc sufficit advertisse, non prudenter, dilecte Fili Noster, id negligi quod diu experiendo antiquitas comprobavit, apostolicis etiam documentis erudita. Ex Dei verbo habemus (Eccli. xvii, 4), omnium officium esse proximorum saluti iuvandae operam dare, ordine graduque quem quisque obtinet. Fideles quidem hoc sibi a Deo assignatum munus utillime exsequentur morum integritate, christianae caritatis operibus, instante ad Deum ipsum assiduaque prece. At qui e clero sunt idipsum praestent oportet sapienti Evangelii praedicatione, sacrorum gravitate et splendore, praecipue autem eam in se formam doctrinae exprimentes, quam Tito ac Timotheo Apostolus tradidit.

Quod si, e diversis rationibus verbi Dei eloquendi, ea quandoque praeferenda videatur, qua ad dissidentes non in templis dicant sed privato quovis honesto loco, nec ut qui disputent sed ut qui amice colloquantur, res quidem reprehensione caret; modo tamen ad id muneris auctoritate episcoporum ii destinentur, qui scientiam integritatemque suam antea ipsis probaverint. Nam plurimos apud vos arbitramur esse, qui ignoratione magis quam voluntate a catholicis dissident; quos ad unum Christi ovile facilius forte adducet qui veritatem illis proponat amico quodam familiarique sermone.

b) CIC *c. 1325 § 1 :* Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi. *§ 3.* Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.

174. *Maxime commendatur expositio* catechistica *doctrinae christianae*, CIC *1329 :* Proprium ac gravissimum officium pastorum praesertim animarum est catechisticam populi christiani institutionem curare[1].

Cetera ex CIC, *de* magisterio, *de scholis et libris praesertim, referuntur infra*, II, de Ecclesia (IV, *B. 1*).

D) De fidei necessitate ad salutem.

175. Vaticanum (1870), de fide *cap. 3 :* Quoniam vero *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr., xi, 6) et ad filiorum eius

[1] Lege documenta pontificia quae ad hunc canonem allegantur, praesertim Benedicti XIV et Pii X.

consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea *perseveraverit usque in finem* (Mt. x, 22; xxiv, 13) vitam aeternam assequetur.

176. *Quae infra in* Tridentino, *sess. VI de iustificatione, uberius explicantur. Interim commemorandae sunt de natura huius fidei duae propositiones damnatae ab* Innocentio XI *(1679)*. 22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris. — 23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit.

177. *In fidei formulis non raro haec necessitas exprimitur* a Hormisdae *fides (517)* : Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. — b) *Athanasianum (s. VI)* : Quicumque vult salvus esse ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit absque dubio in aeternum peribit... Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad aeternam salutem ut incarnationem quoque D. N. I. X. fideliter credat... Haec est fides catholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. — c. Toletanum IV *(633)* : Haec est catholicae Ecclesiae fides, hanc confessionem conservamus atque tenemus; quam quisque firmissime custodierit perpetuam salutem habebit. — d) Toletanum VI *(638)* : Hac fide corda purificantur, hac haereses exstirpantur, in hac omnis Ecclesia collocata iam in regno caelesti et degens in saeculo praesenti gloriatur, et non est in alia fide salus. — e) Toletanum XI *(675)* : Haec est confessionis nostrae fides exposita, per quam omnium haereticorum dogma perimitur, per quam fidelium corda mundantur, per quam etiam ad Deum gloriose ascenditur (var : acceditur) — f *Fides* Pii IV *(1564)* . Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte confiteor et veraciter teneo .. [*eadem in fide Orientalium (1743)*].

E) De fidei certitudine.

Hinc enascitur necessitas inquirendi in veram religionem seu revelationis certitudinem (cf. CIC, c. 1322, § 2, supra, n. 164), *quae tamen inquisitio, Dei bonitate facilis redditur, ex argumentorum evidentia pro fide christiana.*

178 a) Id Pius IX Hermesium *refutans docebat, enc.* Qui pluribus, *9. 1846* : Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo

sibi constet, Deum esse locutum, ac eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, *rationabile obsequium* exhibeat (Rom. xii, 1). Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et « omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse[1] », ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cuiusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit, *annuntians* omnibus *pacem, annuntians bona* (Is. lii, 7). Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse.

Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum eiusdem fidei auctorem exstare, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit.

b) *Quae de vera religione inquirenda breviter colligit* Leo XIII *in enc.* Immortale Dei *(1 nov. 1885)* : Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit, argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima

1. Chrys. *in Isaiam* c. 1, PG. 56, 14.

impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

179. *Haec pressius* VATICANUM *de ipsa Ecclesia catholica profitetur*, de fide, *cap. 3 :* Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci.

Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti *signum levatum in nationes* (Is. XI, 12) et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur.

Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut *ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. II, 4) possint, et eos, quos *de tenebris* transtulit *in admirabile lumen suum* (I Pet. II, 9), in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur.

Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi.

Quae cum ita sint, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine* (Col. I, 12), *tantam ne negligamus salutem* (Heb. II, 3), sed *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (Hebr. XII, 2) *teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* (Hebr. X, 23).

180. *Ibid., can. 3 :* Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint : A. S.

181. *Longe ab hac ratione procedendi in vera religione indaganda modernistas abesse sic ostendit enc.* Pascendi *(1907) :*
Sed ad apologetam transeamus.

a) Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam philosopho, ut vidimus, praecipiente conscriptam ; *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac iudicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praeceptum, debere novam apologesim controversias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quae veteri methodo descriptae sint; sed ex historia *reali*, modernis praeceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De adserenda vero sua in scribendo sincerítate securi sunt : iam apud rationalistas noti sunt, iam ut sub eodem vexillo stipendia merentes laudati : de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt.

b) Sed iam, quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat, videamus. Finis, quem sibi assequendum praestituit, hic est : hominem fidei adhuc expertem eo adducere, ut eam de catholica religione *experientiam* assequatur, quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet *iter : obiectivum* alterum, alterum *subiectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quae psychologum quemque itemque historicum bonae mentis suadeat, oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse, quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem eius germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro hac formula exhiberi volunt : Christum adventum regni Dei nuntiasse, quod brevi foret constituendum, eiusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum

qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens*, sensim ac secundum historiam sese evolverit aptaritque succedentibus adiunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile; interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas itemque vitam fecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in eiusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares, *incognitum* coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *apriorismo* philosophi agnostici et evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab eis definiri, ut eorum causae congruat.

c) Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam non obscura quadam voluptate in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant; subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. *(Hic inserantur de sacris libris quae supra relata sunt, p. 49, n. 99 § et post alia).*

Quid post haec de Ecclesiae dogmatibus? Scatent haec etiam apertis oppositionibus : sed praeterquam quod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur; in iis quippe de infinito agitur, cuius infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia probant tuenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de ipso affirmando. — Probata vero contradictione, quid non probabitur?

d) Attamen qui nondum credat, non *obiectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subiectivis*. Ad quem finem modernistae apologetae ad *immanentiae* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis eius naturae ac vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino qualis catholica est; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitae perfecta.

e) Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus qui, quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam reiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur

admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatiores audiri. Nam qui *integralistae* appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est.

f) Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus : methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem.

F) De fide et ratione[1].

1. — Fides mysteriorum supra rationem.

182. Vaticanum (1870), *de fide, cap. 4 :* Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione et altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum *per ea, quae facta sunt* (Rom. 1, 20), cognitum esse testatur, disserens tamen de *gratia et veritate,* quae *per Iesum Christum facta est* (Io. 1, 17), pronuntiat : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam*

1. *Vat.* de fide c. 4, titulus.

profunda Dei (I Cor. II, 7-8, 10). Et ipse Unigenitus *confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis* (Mt. XI, 25).

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : *per fidem enim ambulamus et non per speciem* (II Cor. V, 6-7).

183. *Can. 1 :* Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari : anathema sit.

184. *Cui doctrinae tum* rationalismus *tum* fideismus *et* traditionalismus, *oppositis inter se viis reluctantur. De* fideismo *iam aliquae propositiones relatae sunt a Bautain et Bonnetty subscriptae. De* rationalismo *multa, post* GREGORIUM XVI, *scripsit* PIUS IX, *occasione praesertim errorum in Germania sparsorum ab Hermes, Günther, Frohschammer et aliis doctis viris; summamque eius doctrinae in variis* Syllabi *propositionibus* (*1864*) *condemnavit :*

GREGORIUS XVI, in damnatione operum G. Hermes (*26 sept. 18..*), *contra rationalismum exaggeratum :* Inter huiusmodi erroris magistros ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui audacter a regio, quem universa traditio et SS. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere, deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis et in principio, quod statuit, *rationem principem normam* ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.

Unde in PII IX *S* (*1864*) *: 4.* Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit

ac debeat. (Enc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; *Singulari quidem*, 17 mart. 1856; all. *Maxima*, 9 iun. 1862.)

185. *Adversus rationalismum moderatum :* a) PIUS IX *in S.* (*1864*) : 8. Cum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt (All. *Singulari*, 9 dec. 1854).

b) *Hunc idem* PIUS IX in allocutione 9 dec. 1854, *his verbis perculerat :* Sunt praeterea, Venerabiles Fratres, viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus *rationem* tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel *ipsi religioni aequiparandam* stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione *theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt;* cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, istae vero humana explicentur atque illustrentur ratione, qua nihil incertius, utpote quae varia est pro ingeniorum varietate innumerisque fallaciis et praestigiis obnoxia. Ita quidem reiecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos hic referre nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum illudque maximum redundarunt.

c) Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humanae rationis, ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimae illi sententiae Doctoris gentium *si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (Gal. VI, 3). Demonstrandum illis est, quantae sit arrogantiae pervestigare mysteria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli eiusdem dicto captivandus est in obsequium fidei (II Cor. X, 5).

d) Atque huiusmodi humanae rationis sectatores seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt eiusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt, quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quod et offusae tenebrae menti et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen, quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus : *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae* (Rom. VII, 23).

e) Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino iustitiae atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis periculis atque in tanta virium infirmitate ne labatur et corruat, necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae et gratiae coelestis auxilia? Quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Iac. iv, 6). Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse asseveravit *prudentibus et sapientibus huius saeculi*, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt et praestare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt (Mt. xi, 25; Lc. x, 21).

f) Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate, exponentes nimirum, nihil esse praestabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam prorsus esse ad salutem, utpote quod *sine fide... impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6), et *qui... non crediderit condemnabitur* (Mc. xvi, 16).

186. *Idem* Pius IX *occasione errorum* Antonii Günther, *in brevi* Eximiam tuam, *15 iun. 1857*: Atque illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum, quod Guentherianis libris humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent, magisterii ius temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur, quae firmissima manere debent tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est, dum philosophia humanaeque disciplinae neque semper sibi constant neque sunt a multiplici errorum varietate immunes.

187. *Etiam de Frohschammer, in epistola* Gravissimas inter, *11 decembris 1862*: a) Itaque eadem Congregatio. . . indicavit, auctorem in pluribus non recte sentire eiusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici praesertim parte, et primo quidem propterea quod auctor tales humanae rationi tribuat vires, quae rationi ipsi minime competunt, secundo vero, quod eam omnia opinandi et quidquid semper audendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiae iura, officium et auctoritas de medio omnino tollantur.

b) Namque auctor in primis edocet, philosophiam, si recta eius habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata quae naturalis ratio cum fide habet communia (tanquam commune scilicet perceptionis obiectum), verum etiam ea quae christianam religionem fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere, rationemque, dato hoc obiecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter haec et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et haec ultima minore iure rationi attribuat, tamen clare aperteque docet, etiam haec contineri inter illa, quae veram propriamque scientiae seu philosophiae materiam constituunt. Quocirca ex eiusdem auctoris sententia concludi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis etiam divinae sapientiae ac bonitatis, immo etiam et liberae eius voluntatis mysteriis, licet posito revelationis obiecto, posse ex se ipsa, non iam ex divinae auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire. Quae auctoris doctrina quam falsa sit et erronea, nemo est, qui christianae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus non illico videat planeque sentiat.

c) Namque si isti philosophiae cultores vera ac sola rationis et philosophicae disciplinae tuerentur principia et iura, debitis certe laudibus essent prosequendi. Siquidem vera ac sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum eiusdem philosophiae sit, veritatem diligenter inquirere humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam, nullo tamen modo exstinctam, recte ac sedulo excolere, illustrare, eiusque cognitionis obiectum ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei exsistentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fide rectius tenenda et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia. Ad quae praestanda si viri docti in Germaniae Academiis enitantur pro singulari inclitae illius nationis ad severiores gravioresque disciplinas excolendas propensione, eorum studium a Nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectumque convertant, quae illi ad suos usus invenerint.

d) At vero in hoc gravissimo sane negotio tolerare nunquam possumus, ut omnia temere permisceantur, utque ratio illas etiam res quae ad fidem pertinent, occupet atque perturbet, cum certissimi omnibus-

que notissimi sint fines, ultra quos ratio nunquam suo iure est progressa vel progredi potest. Atque ad huiusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, idcirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt. Nunquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad huiusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea. Quod si haec isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet doctorum opinione, sed a communi et nunquam immutata Ecclesiae doctrina recedere.

e) Ex divinis enim Litteris et sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit, *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus* (Col. 1, 26) et ita quidem, ut postquam *multifariam multisque modis olim locutus esset patribus in prophetis , novissime . . . nobis locutus est in Filio,... per quem fecit et saecula* (Hebr. 1, 1 sq)... *Deum enim nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit* (Io 1, 18). Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens de *gratia et veritate*, quae *per Iesum Christum facta est* (Io 1, 17), *loquimur*, inquit *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est... quam nemo principum huius saeculi cognovit... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (I Cor., II, 7-11).

f) Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis, ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum Sanctum fide suscipitur, et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino[1]. Ex

1. S. Ioan. Chrysost., Hom., 7 (9) in I Cor, PG 61, 53; S. Ambros., De fide ad Grat. 1, 10, PL 16, 542 D; S. Leo, De Nativ. Dom. sermo 9 (22)

his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, *omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse obiectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam obiectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire.*

g) *Haec propositio damnata in S. Pii IX (1864)* : 9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint. (Ep. *Gravissimas* 11 dec. 1862 et *Tuas libenter* 21 dec. 1863).

188. *Paulo post occasione* conventus theologorum *in Germania, iterum* Pius IX, *hac de re, quae catholici tenere debeant exposuit, in epistola* Tuas libenter, *ad arch. Monacensem, 21 dec. 1863:*

a) Equidem cum omnes eiusdem conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere.

PL 54, 226 B; S. Cyrill. Alex., Contra Nestor. l. III initio, PG 76, 121 A; Comment. in Ioan. 1, 9, PG 73, 134 C; S. Ioan. Dam., Expos. fidei orth., 1, 2, PG 94, 794 B; S. Hieron., Comment. in Gal., 3, 2, PL 26, 348 C.

b) Hinc dubitare nolumus, quin ipsius conventus viri commemoratam veritatem noscentes ac profitentes, uno eodemque tempore plane reicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec numquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda. Eiusdem vero conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod reicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad Te scriptis locuti sumus noverunt et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis.

189. *Eadem ratione, multis retro saeculis* GREGORIUS IX. *fidem tuebatur in celeberrima epistola ad theologos Parisienses, 7 iul. 1228, eos admonens ne a consueto discendi modo discederent*[1] *:*

Magistris in theologia Parisius regentibus.

a) Ab Aegyptiis argentea vasa et aurea sic accipienda sunt mutuo, quod spoliatis eisdem ditentur Hebraei (Ex. XII, 35) non ut iidem in servitutem illorum quasi ad participium pretii venumdati redigantur, quoniam et si doctrina caelestis eloquii de sapientia et eloquentia philosophici dogmatis quasi mutuum ad sui ornatum assumat, interdum ei tamen deservire non debet nec intellectus ipsius ad alius intellectum ullatenus inclinari. Puella etiam de hostibus capta, quae pilis rasis et unguibus circumcisis viro Israelitico iungitur, dominari non debet eidem, sed obsequi potius ut subiecta (Deut. XXII, 11 sq.). Et quidem theologicus intellectus quasi vir habet praeesse cuilibet facultati, et quasi spiritus in carnem dominium exercere, ac eam in viam dirigere rectitudinis ne aberret. Denique qui verba caelestis oraculi adulterina philosophorum doctrinae commixtione a sui sensus molitur inflatus et nihil sciens puritate divertere inclinans eadem ad philosophicum intellectum et quasi de corde suo profanans viro adultero adhaerere cum muliere Samaritana videtur, cui aquam vivam poscenti quae in vitam salit aeternam praecipitur, ut virum suum dimisso adultero advocet (Io., VI), purum videlicet et simplicem intellectum, nullo terreni eloquii fermento corruptum, sine quo qui ambulant in circuitu. (Ps. XI, 9) sequendo insipientiam sui cordis, et se scire aliquid aestimando pervenire ad centrum nequeunt veritatis. Fabricatores enim argenti, eloquentiae videlicet naturalis, et solliciti circa eam, iuxta verbum propheticum, *exterminati sunt et ad inferos descenderunt* eo quod *viam* caelestis *ignoraverint disciplinae, ac ipsius semitas non comprehenderint intellectu. Filii quoque Agar, qui exquirant prudentiam quae de terra est, et negotiatores Merrae et Theman fabellatores et exquisitores intelligentiae* mundanae videlicet *viam sapientiae nescierunt* (Bar. III, 19-23) quoniam cum Deum ex creaturarum magnitudine cognovissent, ei gloriam non dederunt, nec egerunt gratias tamquam Deo, et dicentes *linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster est Dominus* (Ps. XI, 9), *evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum* et *sapientes* aestimantes seipsos *facti sunt stulti in reprobum sensum* dati, *abominabiles et corrupti, agentes linguis suis dolose, ac sub labiis venenum aspidum deferentes* (Ro. I, 21-22, 28, Ps. XIII, 1; XIII, 3.)

b) Sane tacti dolore cordis intrinsecus *amaritudine repleti sumus absinthio* (Thr. III, 15), quod, sicut nostris est auribus intimatum, quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate; caelestis paginae intellectum, SS. Patrum studiis certis expositionum terminis limitatae, quos transgredi non solum est temerarium, sed profanum, ad doctrinam philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum; ut sic videantur non theodidacti seu theologi, sed potius theophanti. Cum enim theologiam secundum approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant, et non *carnalibus armis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivum in obsequium Christi omnem reducere intellectum* (II Cor. X, 4-5): ipsi *doctrinis variis et peregrinis abducti* (Hebr. XIII, 9) redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam videlicet documentis terrenis caeleste, quod est gratiae, tribuendo naturae. Profecto, scientiae naturalium plus debito insistentes, *ad infirma et egena elementa* (Gal. IV, 9) mundi, quibus, dum essent *parvuli*, servierunt, reversi et eis denuo servientes, tanquam imbecilles in Christo, *lacte, non solido cibo* (Hebr. V, 12) vescuntur, et videntur *cor* nequaquam *gratia stabilisse* (Hebr. XIII, 9): propter quod, spoliati gratuitis et in suis naturalibus vulnerati, ad memoriam non reducunt illud Apostoli, quod ipsos legisse credimus tam frequenter: *Profanas vocum novitates et falsi nominis scientiae opiniones devita, quam quidam appetentes exciderunt a fide* (I Tim. VI,

1. Textum integrum primus dedit DENIFLE ex Reg. Vat. GREGORII IX in *Chartulario*, n° 59, t. I, pp. 114-16. Init. non est « Tacti dolore » sed « Ab Aegyptiis ».

20-21). O improvidi et *tardi corde in omnibus*, quae divinae gratiae assertores, *Prophetae* videlicet, Evangelistae ac Apostoli, *sunt locuti* (Lc. xxiv, 25), cum natura per se quicquam ad salutem non possit, nisi gratia sit adiuta.

c) Dicant praesumptores huiusmodi, qui doctrinam naturalium amplexantes verborum folia et non fructus auditoribus suis apponunt, quorum mentes quasi siliquis pastae vacuae remanent et inanes (Lc. xv, 16), et eorum anima non potest in crassitudine delectari, eo quod sitibunda et arida aquis Siloë currentibus cum silentio non potatur : sed eis potius, quae de torrentibus philosophicis hauriuntur, de quibus dicitur : « Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae », quia satietatem non afferunt, sed anxietatem potius et laborem ; nonne, dum ad sensum doctrinae philosophicorum ignorantium Deum sacra eloquia divinitus inspirata extortis expositionibus, immo distortis inflectunt, *iuxta Dagon arcam foederis collocant* (I Reg. v, 2) et adorandam in templo Domini statuunt imaginem Antiochi? Et dum fidem conantur plus debito ratione adstruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem et inanem? Quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Credita denique intellecta natura, sed fides ex sui virtute gratuita intelligentia credita comprehendit, quae audax et improba penetrat, quo naturalis nequit attingere intellectus. Dicant huiusmodi naturalium sectatores, ante quorum oculos gratia videtur proscripta : quod *Verbum, quod erat in principio apud Deum, factum est caro et habitavit in nobis* (Io. i, 1. 14), estne gratiae an naturae? Absit de cetero, ut pulcherrima mulierum a praesumptoribus stibio peruncta oculos coloribus adulterinis fucetur, et quae a suo sponso *circumamicta varietatibus* (Ps xliv, 10) et *ornata monilibus* (Is. lxi, 10) procedit splendida ut regina, consutis philosophorum semicinctiis, veste sordida induatur. Absit, ut *boves foedae ac confectae macie, quae nullum dant saturitatis vestigium, speciosas devorent* crassasque consumant (Gen. xli, 18 sqq.)

d) Ne igitur huiusmodi dogma temerarium et perversum ut cancer serpat et inficiat plurimos oporteatque *filios perditos plorare Rachelem* (Ier. xxxi, 15), praesentium vobis auctoritate mandamus et districte praecipimus, quatenus, praedicta vesania penitus abdicata, sine fermento mundanae scientiae doceatis theologicam puritatem, non *adulterantes verbum Dei* (II Cor. ii, 17) philosophorum figmentis, ne circa altare Dei videamini lucum velle contra praeceptum Domini plantare et mellis commixtione sacrificium fermentare doctrinae, *in sinceritatis et veritatis azymis* (I Cor. v, 8) exhibendum. Sed contenti terminis a Patribus institutis (Prov. xxii, 28) mentes auditorum vestrorum fructu caelestis eloquii saginetis, ut foliis verborum semotis limpidas aquas et puras tendentes ad hoc principaliter, ut vel fidem adstruant vel mores infor-

ment, *hauriant de fontibus Salvatoris* (Is. xii, 3) : quibus refecti interna crassitudine delectentur.

190. *Huius doctrinae applicationem exhibuit ipse* Gregorius IX, *23 aprilis 1231, occasione librorum rerum naturalium damnatorum in Concilio provinciali Parisius*

Magistris Guillelmo archidiacono Belvacensi, Symoni de Alteis Ambianensi et Stephano de Pruvino Remensi canonicis

Cum sapientiae sacrae paginae reliquae scientiae debeant famulari, eatenus sunt a fidelibus amplectendae quatenus obsequi dinoscuntur beneplacitis donantis ut si quid in eis fuerit virulentum vel aliter vitiosum, quod derogari possit fidei puritati, eminus respuatur, quia inventa in numero captivorum mulier speciosa non aliter in domum permittitur introduci, nisi rasa superfluitatis caesarie ac unguibus lacerantibus circumcisis, et ut spoliatis Aegyptiis ditentur Hebraei, iubentur vasa aurea et argentea pretiosa non aeruginosa aenea vel lutea mutuari (Deut. xxxii, 11 sq; Ex. xii, 35 sq). Ceterum cum sicut intelleximus libri naturalium, qui Parisius in Concilio provinciali fuere prohibiti, quaedam utilia et inutilia continere dicantur, ne utile per inutile vitietur, discretioni vestrae de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta sub obtestatione divini iudicii firmiter praecipiendo mandamus, quatenus libros ipsos examinantes sicut convenit subtiliter et prudenter, quae ibi erronea seu scandali vel offendiculi legentibus inveneritis illativa, penitus resecetis ut quae sunt suspecta remotis incunctanter ac inoffense in reliquis studeatur.

191 *Error proprius modernistarum sic exponitur in enc. Pascendi (1907)* : a) Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistae statuant inter fidem et scientiam; quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur. — Ac primo quidem tenendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia incognoscibile sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum : scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam nunquam esse posse dissidium : si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem nunquam poterunt, atque ideo nec contradicere. — Quibus si qui forte obiciant, quaedam in adspectabili occurrere natura rerum, quae ad fidem etiam pertineant, uti humanam Christi vitam, negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accenseantur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo, transfigurata ac defigurata fuerunt, a sensibili mundo sunt abrupta et in divini materiam translata. Quamobrem poscenti ulterius, an

Christus vera patrarit miracula vereque futura praesenserit, an vere revixerit atque in caelum conscenderit, scientia agnostica abnuet, fides affirmabit; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus philosophos alloquens Christum scilicet unice contemplatus secundum realitatem historicam; affirmabit alter ut credens cum credentibus locutus Christi vitam spectans prout iterum vivitur a fide et in fide.

b) Ex his tamen fallitur vehementer, qui reputet posse opinari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam de scientia quidem recte vereque existimabit; secus autem de fide, quae non uno tantum, sed triplici ex capite scientiae subici dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta *divina realitate* quamque de illa habet *experientiam*, qui credit, cetera omnia, praesertim vero *religiosas formulas* phaenomenorum ambitum minime transgredi, atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere; quamdiu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientiae atque historiae nunquam, velit nolit, effugiet. — Praeterea, quamvis dictum est Deum solius fidei esse obiectum, id de divina quidem *realitate* concedendum est, non tamen de *idea* Dei. Haec quippe scientiae subest; quae dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei ius habet eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extrarium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum: evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere; videlicet, ut quidam tradit, quem magistrum sequuntur, eisdem subdi. — Accedit demum, quod homo dualitatem in se ipse non patitur: quamobrem credentem quaedam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali ne discrepet idea, quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, utut scientiae extranea praedicetur, eidem subesse.

c) Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis, quae Pius IX decessor Noster tradebat docens: *Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari, sed ancillari, non praescribere, quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri*[1]. Modernistae negotium plane invertunt: quibus idcirco applicari queunt, quae Gregorius IX item decessor Noster de quibusdam suae aetatis theologis scribebat: *Quidam apud vos, ... famulari reginam*, (*supra*, n. 189, *b*.)

1. Breve ad episc. Wratislaviensem, 15 iunii 1857; *supra*, n. 186

d) Quod profecto apertius patebit intuenti, quo pacto modernistae agant accommodate omnino ad ea, quae docent. Multa enim ab eis contraria videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipites atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit, ex opinione scilicet quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum libris quaedam offendimus quae catholicus omnino probet, quaedam, aversa pagina, quae rationalistam dictasse autumes. Hinc historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem iniciunt, ad contionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item enarrantes historiam Concilia et Patres nullo loco habent, catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastoralem a scientifica et historica secernunt. Similiter ex principio, quod scientia a fide nullo pacto pendeat, cum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes, despicientiam praeceptorum catholicorum, sanctorum Patrum, oecumenicarum Synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiciendam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt, quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat: ipsi vero veteri ad hunc finem theologia sublata novam invehere contendunt, quae philosophorum delirationibus obsecundet.

e) Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad modernistas in theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus, sed paucis absolvendum. — Agitur nimirum de conciliando fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subiecta. Eo in genere modernista theologus eisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat: principia inquimus *immanentiae* et *symbolismi*. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens*; a credente additur *hoc principium Deum esse*: concludit ipse *Deus ergo est immanens in homine*. Hinc *immanentia theologica*. Iterum: philosopho certum est *repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas*: credenti pariter certum est *fidei obiectum esse Deum in se*; theologus igitur colligit: *repraesentationes divinae realitatis esse symbolicas*. Hinc *symbolismus theologicus*. — Errores profecto maximi: quorum uterque quam sit perniciosus, consequentiis inspectis patebit.

f) Nam ut de *symbolismo* statim dicamus, cum symbola talia sint respectu obiecti, respectu autem credentis sint instrumenta, cavendum primum, inquiunt, credenti, ne ipsi formulae, ut formula est, plus nimio inhaereat, sed illa utendum unice ut absolutae adhaerescat veritati, quam formula retegit simul ac tegit nititurque exprimere, quin

unquam assequatur. Addunt praeterea, formulas eiusmodi esse a credente adhibendas, quatenus ipsum iuverint; ad commodum enim datae sunt, non ad impedimentum incolumi utique honore, qui ex sociali respectu debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam iudicarit, quamdiu scilicet idem magisterium secus quidpiam non edixerit.

g) De *immanentia* autem quid reapse modernistae sentiant, difficile est iudicare; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo; quod plane, si recte intelligitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturae ut causae primae cum causae secundae; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticae significationis; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohaeret aptius.

h) Huic vero immanentiae pronuntiato aliud adicitur, quod a *permanentia divina* vocare possumus : quae duo inter se eo fere modo differunt, quo experientia privata ab experientia per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit : sitque ab Ecclesia et sacramentis deductum...

i) *Ceterum sic duci ad pantheismum ulterius ostendit* : Distinctio demum, quam praedicant inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Obiectum enim scientiae in cognoscibilis realitate ponunt; fidei e contra in incognoscibilis. Iamvero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter obiectam materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus nunquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti aeque ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, haec erit realitatis incognoscibilis; quae cur etiam mundi animus esse nequeat, quem rationalistae quidam admittunt, non videmus profecto.

192. *Huius theoriae modernistarum applicationem ad historiam religiosam describit enc. Pascendi* : a) Modernistarum quidam qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur, ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiae se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime : ne scilicet cuipiam sit opinio, eos praeiudicatis imbui philosophiae opinationibus nec esse propterea, ut aiunt, omnino *obiectivos*. Verum tamen est, historiam illorum aut criticen meram loqui philosophiam; quaeque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis iusta ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet. — Primi tres huiusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quae supra ex philosophis attulimus : nimirum *agnosticismus*, theorema de *transfi-*

guratione rerum per fidem, itemque aliud, quod de *defiguratione* dici posse visum est. Iam consecutiones ex singulis notemus.

b) Ex *agnosticismo* historia non aliter ac scientia unice de phaenomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus interventus ad fidem reiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter, si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cuiusmodi sunt Christus, Ecclesia, sacramenta aliaque id genus multa, sic partiendum erit ac secernendum, ut, quod humanum fuerit, historiae, quod divinum, tribuatur fidei. Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiae et Ecclesiam fidei, sacramenta historiae et sacramenta fidei, aliaque similia passim.

c) Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adiectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei : sic, cum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam.

d) Praeterea ex tertio philosophiae principio res etiam, quae historiae ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant, quae ipsorum iudicio in factorum *logica*, ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse, quae audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de *reali* eius historia delent et fidei permittunt allegorias omnes, quae in sermonibus eius occurrunt. Quaeremus forsitan, qua lege haec segregentur? Ex ingenio hominis, ex conditione, qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adiunctorum facti cuiusquam complexu : uno verbo, si bene novimus, ex norma, quae tandem aliquando in mere *subiectivam* recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere : quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt. — Sic igitur, ut concludamus, *a priori* et ex quibusdam philosophiae principiis, quae tenent quidem, sed ignorare asserunt, in *reali*, quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quicquam divini egisse; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quae ipsi ad illius se tempora referentes patrandi aut dicendi ius tribuunt.

e) Ut autem historia ab philosophia, sic critice ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia secutus ab historico praebita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat, *reali* historiae assignat, cetera ad fidei historiam seu *internam* ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt; et

historiam fidei, quod bene notatum volumus historiae *reali*, ut realis est, opponunt. Hinc, ut iam diximus, geminus Christus : realis alter, alter, qui nunquam reapse fuit, sed ad fidem pertinet; alter, qui certo loco certaque vixit aetate, alter, qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur : eiusmodi exempli causa est Christus, quem Ioannis evangelium exhibet, quod utique, aiunt, totum quantum est, commentatio est.

f) Verum non his philosophiae in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus cum suo dogmate *vitalis immanentiae;* atque omnia edicit, quae sunt in Ecclesiae historia, per *vitalem emanationem* esse explicanda. At ipsi vitalis cuiuscunque emanationis aut causa aut conditio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda ; ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius. — Quid tum historicus? Monumenta iterum sive quae in libris sacris continentur sive aliunde adducta scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma tum ad cultum sacrorum tum ad alia spectantium, quae in Ecclesia, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quae fidei historiae destinantur, manum admovet; illaque per aetates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula : eius semper praecepti memor, factum necessitate, narrationem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quidquid tamen sit, lex est, monumenti cuiuslibet aetatem non aliter determinandam esse quam ex aetate exortae in Ecclesia uniuscuiusque necessitatis. — Distinguendum praeterea est inter facti cuiuspiam exordium eiusdemque explicationem : quod enim uno die nasci potest, nonnisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta per aetates, ut diximus, iam distributa bipartiri iterum, altera, quae ad originem rei, altera, quae ad explicationem pertineant secernens, eaque rursus ordinare per tempora.

g) Tum denuo philosopho locus est; qui iniungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis praecepta legesque praescribunt. Ad haec historicus monumenta iterum scrutari; inquirere curiose in adiuncta conditionesque, quibus Ecclesia per singulas aetates sit usa, in eius vim conservatricem, in necessitates tam internas quam externas, quae ad progrediendum impellerent, in impedimenta, quae obfuerunt, uno verbo, in ea quaecumque, quae ad determinandum faxint, quo pacto evolutionis leges fuerint servatae. Post haec tandem explicationis historiam per extrema veluti lineamenta describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus : historia confecta est. — Cui iam, petimus, haec historia inscribenda? Historicone an critico? Neutri profecto; sed philosopho. Tota ibi per *apriorismum* res agitur : et quidem per apriorismum haeresibus scatentem. Miseret sane hominum eiusmodi de quibus Apostolus diceret : *Evanuerunt in cogitationibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. 1, 21-22) : at bilem tamen commovent, cum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare, ut suae utilitati loquantur. Nimirum affingunt Ecclesiae, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt... [cf. *supra*, n. 99, pp. 48-49].

h) Iam igitur patere arbitramur, cuiusmodi in re historica modernistarum sit methodus. Praeit philosophus, illum historicus excipit; pone ex ordine legunt critice tum interna tum textualis. Et quia primae causae hoc competit, ut virtutem suam cum sequentibus communicet, evidens fit, criticen eiusmodi non quampiam esse criticen, sed vocari iure *agnosticam, immanentistam, evolutionistam:* atque ideo, qui eam profitetur eaque utitur, errores eidem implicitos profiteri et catholicae doctrinae adversari. — Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam : foedus in primis, quo historici criticique huius generis arctissime inter se iunguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita : tum vero audacia maxima, qua, quae quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiae progressioni tribuunt; qua, qui novum portentum aestimare per se velit, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiae accusent; qui amplectitur ac tuetur, laudibus exornent. Inde haud pauci decepti, qui, si rem attentius considerarent, horrerent. — Ex hoc autem praepotenti errantium dominio, ex hac levium animorum incauta assensione quaedam circumstantis aëris quasi corruptio gignitur, quae per omnia permeat luemque diffundit.

193. *Hunc errorem* Iusiurandum adversus modernismum (1910) *sic reicit :* Sententiam praeterea illorum reicio, qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — Damno quoque ac reicio eorum sententiam, qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur.

2. — Nulla dissensio inter fidem et rationem.

194. a) Vaticanum (1870), *de fide, cap. 4* : Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. « Omnem » igitur « assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus ».

b) *Quae ultima verba ex* Lateranensi V, *oec.* xviii, *commodantur* (sess. 8, *1513*) : Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus : et ut aliter dogmatizare non liceat districtius inhibemus : omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes, veluti damnatissimas haereses seminantes, per omnia ut detestabiles et abominabiles haereticos et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus.

195. a) *Error damnatus in* Pii IX S (*1864*) 6. Christi fides humanae refragatur rationi (Enc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; All. *Maxima*, 9 iun. 1862).

b) *Iam antea adversus Hermesianos idem pontifex (9 nov. 1846) :* Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* (Apoc. xiii, 6) palam publiceque edocere non erubescant commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum eiurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant atque incautos praesertim et imperitos decipiant et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae

supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur.

Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat.

c) *Inde propositio subscripta a Bonnetty (iun. 1855)* : 1. Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atque ita sibi mutuam opem ferant.

196. *Speciatim de historia id asserit* Iusiurandum adversus modernismum (*1910*) : Idem reprobo errorem affirmantium propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse.

197. *Qui error sic declaratur in enc.* Pascendi (*1907*) : Attamen in toto hoc processu, unde ex modernistarum sententia fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consecutiones historico-criticas, quas inde illi eruunt. — Nam incognoscibile, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phaenomeno aliquo arcte inhaerens, quod, quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua praetergreditur; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus, cuius ingenium acta verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab incognoscibili allecta quod cum phaenomeno iungitur, totum ipsum phaenomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio* per elationem scilicet supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam quam fides est inductura. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam,

sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata, quod fides illi loci temporisque adiunctis exempto tribuit quae reapse non habet : quod usuvenit praecipue, cum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones, qui alteri additi iam ex agnosticismo habito criticae historicae fundamenta constituunt. Exemplo res illustrabitur, sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo vi primi canonis ex agnosticismo deducti ex eius historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro vi alterius canonis Christi persona historica *transfigurata* est a fide : ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum vi tertii canonis eadem persona Christi a fide *defigurata* est : ergo removenda sunt ab illa sermones, acta, quidquid uno verbo ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet. — Mira equidem ratiocinandi ratio : sed haec modernistarum critice.

3. — Rationis quaedam necessaria subiectio fidei hinc ius Ecclesiae proscribendi errores.

198. VATICANUM (1870), *de fide, cap. 4* : Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, *ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam* (Col. II, 8). Quapropter omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

199. *Ibid. can. 2* : Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint ; A. S.

200. In DL Pii X (1907) : 5. Cum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

201. *Haec doctrina ante* VATICANUM *ab ipso* PIO IX *contra errores doctorum aliquorum in Germania, praesertim Frohschammer,*

non semel declarata ac propugnata est, tum circa philosophiam, tum in genere circa scientias humanas :

Contra Frohschammer (1862), in epistola Gravissimas inter *ad archiep. Monacensem* : Nunc vero in memoratis eiusdem auctoris scriptis alia dominatur sententia, quae catholicae Ecclesiae doctrinae ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiae tribuit libertatem, quae non scientiae libertas, sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiae licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta, tribuit *philosopho* ius et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit, sed utrumque *philosophiae* ita denegat, ut, nulla doctrinae revelatae ratione habita, asserat, ipsam nunquam debere ac posse auctoritati se submittere.

Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec dicerentur de iure tantum, quod habet philosophia, suis principiis seu methodo ac suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae, ac si eius libertas consisteret in hoc suo iure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum.

Sed haec iusta philosophiae libertas suos limites noscere et experiri debet. Nunquam enim non solum philosopho, verum etiam philosophiae licebit, aut aliquid contrarium dicere iis, quae divina revelatio et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propterea quod non intelligit, aut iudicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit.

202. Accedit etiam, ut idem auctor philosophiae libertatem seu potius effrenatam licentiam tam acriter tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat, ex quo evenit, ut philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur.

203. Ecquis non videt, quam vehementer sit reiicienda, reprobanda et omnino damnanda huiusmodi Frohschammeri sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt.

Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum ius, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit,

ac etiam philosophiae id officium incumbit, nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei, Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus.

204 *Iterum occasione conventus theologorum in Germania haec* Pius IX *scribebat ad archiepiscopum Monacensem, in ep.* Tuas libenter, *21 dec. 1863 :* Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit oboedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis ac Nostrarum Congregationum decreta declamant ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi oboedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra et vindex fuit constituta.

205. *Hinc damnatae quaedam theses in* Pii IX S *(1864) :* 10. Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati (Ep. *Gravissimas*, 11 dec. 1862; *Tuas libenter*, 21 dec. 1863).

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat (Ep. *Gravissimas*, 11 dec. 1862).

14. Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione (Ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863).

ND. Cum rationalismi systemate cohaerent quoad maximam partem errores Antonii Guenther, qui damnantur in ep. ad Card. archiepisc. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 iunii 1857 et in ep. ad episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 apr. 1860.

206. a) *Iterum in* Pii IX S (*1864*) : 12. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt (Ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863).

b) *Etiam in* DL Pii X *(1907) :* 57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam

4. — Fidei et rationis concordia cum mutua ope.

207. Vaticanum (1870), *de fide, cap. 4 :* Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

208. *Huc referendae sunt propositiones subscriptae ab E. Bautain (1840)* : 1. Ratiocinatio potest cum certitudine probare exsistentiam Dei et infinitatem perfectionum eius. Fides, donum caeleste, posterior est revelatione, hinc non potest allegari contra atheum ad probandam Dei exsistentiam. — 2. Divinitas revelationis Mosaicae probatur cum certitudine per traditionem oralem et scriptam synagogae et christianismi. — 3. Probatio ex miraculis Iesu Christi desumpta, sensibilis et percellens pro testibus ocularibus, vim suam et fulgorem nequaquam amisit quoad generationes subsequentes. Invenimus hanc probationem omni cum certitudine in authenticitate Novi Testamenti, in traditione orali et scripta omnium Christianorum. Hac duplici traditione debemus eam [revelationem] demonstrare iis, qui vel eam reiciunt vel nondum admissam requirunt. — 4. Non habemus ius requirendi ab incredulo, ut admittat resurrectionem divini Salvatoris nostri, priusquam illi proposuerimus argumenta certa; et haec argumenta per ratiocinationem ex eadem traditione deducuntur. — 5. Quoad has quaestiones varias ratio fidem praecedit debetque ad eam nos conducere. — 6. Quamvis debilis et obscura reddita sit ratio per peccatum originale, remansit tamen in ea sat claritatis et virtutis, ut ducat nos cum certitudine ad exsistentiam Dei, ad revelationem factam Iudaeis per Moysen et Christianis per adorabilem nostrum Hominem-Deum.

209. *Aliae ab A. Bonnetty (1855)* : 1. Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest — 2. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animae rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit. — 3. Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit.

G) De dogmatum perpetuitate.

210. Vaticanum (1870) *de fide, can. 4* : Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.

« Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia[1]. »

211. *Ibid. can. 3* : Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia : A. S.

212. *Quod iam contra Hermesianos* Pius IX *declaraverat in enc.* Qui pluribus (*1846*) : Neque minore certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat « qui

1. *Vinc. Lirin.* Commonitorium, 28, PL. 50.668.

stoicum et platonicum et dialecticum Christianismum protulerunt[1]. » Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse. [cf. *eiusdem*, Ineffabilis (*8 déc. 1854*), §. Et re quidem.]

213. *Quare non semel RR. PP. declaraverunt res iam definitas non posse iterum tractari standumque esse definitionibus ab antiquioribus conciliis aut seipsis prolatis :*

Simplicius : a) *in epist. ad Acaciam CP.* Quantum presbyterorum, *9 ian. 476* : (2) Unde quia sanctae memoriae predecessorum nostrorum exstante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur novis assertionibus non indiget edoceri, sed plana atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab haereticis erudiri, vel in vinea Domini plantandus institui ; implorata fide clementissimi principis vocem faciendae synodi fac respui... (3) Hortor ergo, frater carissime, ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit ambiguum : ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas, sicut primum Arii ac deinde Nestorii, postremum Dioscori atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et — quod misericordia Christi Dei nostri Salvatoris avertat ! — intimandum est abominabile, contra sententias totius orbis Domini sacerdotum et principum utriusque rectorum damnatos restituere, reduci exsules, relegatos in causis nefariae conversationis absolvi.

b) *Iterum in altera epistola ad Basiliscum Augustum*, Cuperem quidem, *10 ian. 476* : (5) ... Quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. Perstat enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis iniunxit (Io. XXI, 15), cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cuius sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo (Mt. XVI, 18). (6) .. *Quisquis aliud, sicut praedixit Apostolus, praeterquam quod accepimus, seminare molitur anathema sit* (Gal. 1, 8). Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus subripiendi pandatur accessus, nulla retractandi quidquam de veteribus constitutis fiducia concedatur : quia, sicut saepius iterandum est, quod apostolicis manibus cum Ecclesiae universalis

1. *Tertullianus*, De praescript, c. 7, PL. 2,20 B.

assensu acie meruit evangelicae falcis abscidi vigorem sumere non potest renascendi, nec in dominicae vitis fructivam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat aeterno. Sic haereseum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnationis elisae reparare certamina. (*Eiusdem, supra*, n. 16.)

214. Gelasius *in epistola ad Honorium ep. Dalmatiae* Licet inter varia (*28 iul. 493*) : (1) ... Nuntiatum nobis est enim, in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianae pestis zizania seminasse, tantumque illic eorum praevalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris insinuatione decipiant... Praestante Domino adest fidei catholicae pura veritas concordibus universorum Patrum deprompta sententiis, quae et subtile virus funestae pravitatis exponat et humano generi salvando conferat de scripturarum confectione medicinam ... (2) Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno commonemus affectu, ut qui cum erudiente vos Domino contra novitios pugnetis errores, olim perversitatem toto orbe damnatam nec ipsos recipere debeatis auctores. Quod si temere putatur esse faciendum, quae non haeresis a maioribus nostris convenienter exstructa rursus provocare nos audeat et palam novis resumptis viribus aperteque confligat? Numquidnam licet nobis a venerandis Patribus damnata dissolvere, et ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo quod magnopere praecavemus, ne cuiuslibet haeresis semel deiecta per acies ad examen denuo venire contendat, si quae antiquitus a nostris maioribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur? Nonne ipsi nos, quod absit et quod nunquam patietur Ecclesia, adversariis veritatis universis contra nos resurgendi proponimus exemplum? Ubi est, quod scriptum est : *Terminos patrum tuorum non transgredieris* (Prov. xxii, 28) et : *Interroga patres tuos et annuntiabunt tibi, et seniores tuos et dicent tibi* (Deut. xxxii, 7)? Quid ergo tendimus ultra definita maiorum, aut cur nobis non sufficit? Si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis patribus et senioribus singula quaeque vel vitanda praecepta sunt, vel aptanda catholicae veritati, cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate constare, si ea quae ab illis constituta sunt, subruamus?

215. *Haec ratio fuit cur in* Ephesino *prohibitum sit alteram fidei formulam, post Nicaenam, condere :* Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν ἤγουν συγγράφειν ἢ συντιθέναι παρὰ

215 Statuit sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut

τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν Ἁγίῳ Πνεύματι.

216. *Falsa vero notio evolutionis dogmatum non semel damnata est* : **a)** *In* Pii IX S (1864). 5 Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressui respondeat (Enc. *Qui pluribus* (1846) et all. *Maxima quidem* 9 iun. 1862). — **b)** *Praesertim vero in* DL Pii X (1907) : 58. Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur. — 59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quendam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum. — 60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis. — 61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi, quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eundem sensum pro critico ac pro theologo. — 62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eandem pro Christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro Christianis nostri temporis. — 63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis, quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt. — 64. Progressus scientiarum postulat, ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de creatione, de revelatione, de persona Verbi Incarnati, de redemptione. — 65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit, nisi transformetur in quendam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

217. *Unde* Iusiurandum adversus modernismum (1910) : Quarto : Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum

conscribere aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.

conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae.

218. *Hi errores uberius in enc. Pascendi describuntur* (1907). Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistae ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis aperte consequitur. — Nam inter praecipua doctrinae capita hoc illi habent, quod ab immanentiae vitalis principio deducunt: formulas religiosas, ut religiosae reapse sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque ipsam vivere sensus religiosi. Quod non ita intelligendum est, quasi hae formulae, praesertim si mere imaginativae, sint pro ipso religioso sensu inventae; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam numeri vel qualitatis: sed ita, ut eas religiosus sensus mutatione aliqua, si opus est, adhibita *vitaliter* sibi adiungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut *formula primitiva* acceptetur a corde ab eoque sanciatur; itemque sub cordis ductu sit labor, quo *secundariae* formulae progignuntur. Hinc accidit quod debeant hae formulae, ut vitales sint, ad fidem pariter et ad credentem accommodatae esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa huiusmodi accommodatio cesset, amittunt illae primigenias notiones ac mutari indigent. — Haec porro formularum dogmaticarum cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibrio ac despectui; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tanquam devio itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione carentibus casso labore ac tenacissime inhaerens religionem ipsam dilabi permittat.

Caeci equidem *et duces caecorum* (Mt. xv, 14), qui superbo scientiae nomine inflati usque eo insaniunt, ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant, novo invecto systemate, *quo, ex proiecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles, incertae nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur*[1].

219. *Et infra.* Porro ut totam hanc de fide deque vario eius germine materiam absolvamus, restat, Venerabiles Fratres, ut de utriusque explicatione postremo loco modernistarum praecepta audiamus. — Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod

1. Gregorii XVI, enc. « Singulari nos », 25 iun. 1834. (*infra*, 262 b.)

in eorum doctrinis fere caput est, videlicet ad *evolutionem*. Dogma igitur, Ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua haec omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. Neque hoc mirum videri queat, si ea prae oculis habeantur, quae sunt de horum singulis a modernistis tradita. Posita igitur evolutionis lege, evolutionis rationem a modernistis ipsis descriptam habemus.

Et primo *quoad fidem*. Primigenia, inquiunt, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; nimirum non novitate formarum extrinsecus accedentium, sed ex pervasione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam. Dupliciter autem progressio ipsa est facta: *negative* primum, elementum quodvis extraneum, ut puta ex familia vel gente adveniens, eliminando; dehinc *positive*, intellectiva ac morali hominis expolitione, unde notio divini amplior ac lucidior *sensusque religiosus* exquisitior evasit. Progredientis vero fidei eaedem sunt causae afferendae, quam quae superius sunt allatae ad eius originem explicandam. Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium praestantissimus est Christus), tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam prae se tulerunt, quod fides divinitati tribuebat, tum quia novas nec ante habitas *experientias* sunt nacti religiosae cuiusque temporis indigentiae respondentes.

220. *Dogmatis* autem *progressus* inde potissimum enascitur, quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendae. Adde his nisum quendam perpetuum ad melius penetranda, quae in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera praetereamus, de Christo factum est: in quo divinum illud qualecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur. — Ad evolutionem cultus facit praecipue necessitas ad mores traditionesque populorum sese accommodandi; item quorundam virtute actuum fruendi, quam sunt ex usu mutuati. — Tandem pro Ecclesia evolutionis causa inde oritur, quod componi egeat cum adiunctis historicis cumque civilis regiminis publice invectis formis. — Sic illi de singulis. Hic autem, antequam procedamus, doctrina haec de *necessitatibus* seu *indigentiis* (vulgo *dei bisogni* significantius appellant) probe ut notetur velimus, etenim, praeterquam omnium, quae vidimus, est veluti basis ac fundamentum famosae illius methodi, quam historicam dicunt.

221. In *evolutionis doctrina* ut adhuc sistamus, illud praeterea est advertendum quod, etsi indigentiae seu necessitates ad evolutionem impellunt; his tamen unis acta, evolutio transgressa facile traditionis fines

atque ideo a primigenio vitali principio avulsa ad ruinam potius, quam ad progressionem traheret. Hinc modernistarum mentem plenius sequuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus, quarum altera ad progressionem agit, altera ad conservationem retrahit. — Vis conservatrix viget in Ecclesia continetur que traditione. Eam vero exserit religiosa auctoritas; idque tam [tum] iure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri, tam [tum] re, auctoritas namque a commutationibus vitae reducta, stimulis ad progressionem pellentibus nihil aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentiis respondens latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum praecipue qui vitam, ut inquiunt, propius atque intimius attingunt. — En hic, Venerabiles Fratres, doctrinam illam exitiosissimam efferre caput iam cernimus, quae laicos homines in Ecclesiam subinfert ut progressionis elementa. — Ex convento quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur. Nam privatorum conscientiae, vel harum quaedam, in conscientiam collectivam agunt; haec vero in habentes auctoritatem, cogitque illos pactiones conflare atque in pacto manere.

222. Ex his autem pronum est intelligere, cur modernistae mirentur adeo, cum reprehendi se vel puniri sciunt. Quod eis culpae vertitur, ipsi pro officio habent religioso explendo. Necessitates conscientiarum nemo melius novit quam ipsi, eo quod propius illas attingunt quam ecclesiastica auctoritas. Eas igitur necessitates omnes quasi in se colligunt : unde loquendi publice ac scribendi officio devinciuntur. Carpat eos, si volet, auctoritas; ipsi conscientia officii fulciuntur intimaque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi, sed laudes. Utique non ipsos latet progressiones sine certaminibus haud fieri, nec sine victimis certamina : sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetae et Christus. Nec ideo quod male habentur, auctoritati invident : suum illam exsequi munus ultro concedunt. Queruntur tantum, quod minime exaudiuntur; sic enim cursus animorum tardatur : hora tamen rumpendi moras certissime veniet, nam leges evolutionis coerceri possunt, infringi omnino non possunt. Instituto ergo itinere pergunt : pergunt, quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatae demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo, quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt : tum quia tenent auctoritatem stimulandam esse non evertendam, tum quia necesse illis est intra Ecclesiae saepta manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent : quod tamen cum aiunt, fateri se non advertunt conscientiam collectivam ab ipsis dissidere, atque ideo nullo eos iure illius se interpretes venditare.

223. *Neque oblivioni mandandus est error oppositus* Synodi Pistoriensis *de quadam obscuratione veritatum in Ecclesia, decursu saeculorum, damnatus a* Pio VI (1794) :

De *obscuratione veritatum* in Ecclesia.

1. Propositio, quae asserit, *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi :* haeretica.

224. *Idem fere iam asseruerant Fraticelli* (Joannes XXII, *1318*) : 5. Quintus error sic istorum hominum mentes obcaecat, ut Evangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus (ut ipsi somniant) obtectum fuerat, immo prorsus extinctum.

225. *Progressum tamen quendam in dogmatum intelligentia optandum esse aperte declarant* Vaticani *verba* (n. 210) *ex Vincentio Lirinensi. Hunc saepe occasione haereseon fieri docet* Gregorius Magnus, *ep. ad Anastasium Ant., sept. 597 :* Hoc autem magna Dei omnipotentis est gratia quod in ipsis, qui a sanctae Ecclesiae doctrina divisi sunt, unitas non est, quia omne regnum in se divisum non stabit (Mc. III, 24). Et sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur dum haereticorum quaestionibus impugnatur, ita ut aperte impleatur quod per psalmistam contra haereticos de Deo dictum est : *Divisi sunt ab ira vultus eius et adpropiavit cor illius* (Ps. LIV, 22). Nam dum ipsi in pravo errore suo dividuntur, cor nobis Dei adpropiat quia eruditi adversitatibus intellectum eius subtilius invenimus.

226. *Fit etiam opera theologorum. Quare non semel* methodus scholastica *seu quae ex traditione, ratione adiuvante, scientificam quamdam doctrinae catholicae expositionem efformavit, a Pontificibus tum laudata est, tum in patrocinium contra calumniatores suscepta :* a) *De scholis in genere damnata est* Wicleff *propositio* (*1418*) : 29. Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiae, sicut diabolus.

b) *Aliae* Synodi Pistoriensis *a* Pio VI (*1794*) :

De *collationibus ecclesiasticis*.

76. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;* quatenus in scholasticam reicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt : falsa, temeraria, in sanc-

tissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Convicia adversus aliquas sententias in *scholis catholicis* usque adhuc agitatas.

79. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit : falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis Constitutionibus oboedientiae, derogans.

c) *Haec propositio ab* A. Bonnetty *subscripta est (1855) :* 4. Methodus, qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint.

227. Pius IX, — *qui in* Günther *desideraverat* sanam loquendi formam, *in brevi* Eximiam *(15 iun. 1857) ad arch. Coloniensem* - Neque silentio praeteribimus, in Guentherianis libris vel maxime violari *sanam loquendi formam*, ac si liceret verborum Apostoli Pauli oblivisci (II Tim 1, 13), aut horum, quae gravissime monuit Augustinus : « Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem [1] ». — *de contemptu veteris scholae lamentabatur, in ep* Tuas libenter *ad archiep. Monacensem (21 dec. 1863) :* Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continenta saecula permisit, ut ex eorundem Doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.

Hinc in Pii IX S *(1864) :* 13. Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum ne-

---

1. *De Civ. Dei* X 23. PL 41.300.

cessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt. (Ep. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.)

228. *Huiusmodi errores multiplici ratione a modernistis innovati sunt ut ex enc.* Pascendi *(1907) apparet :* Pauca demum superant addenda de modernista ut reformator est. Iam ea, quae huc usque locuti sumus, abunde manifestant, quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes, quae apud catholicos sunt. — Innovari volunt philosophiam in sacris praesertim Seminariis : ita ut amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia, quae una vera nostraeque aetati respondens. — Ad theologiam innovandam, volunt, quam nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam niti maxime postulant in historia dogmatum. — Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum praescriptaque moderna. — Dogmata eorundemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt. — Ad catechesim quod spectat, ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quae innovata fuerint sintque ad vulgi captum...

229. Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt : scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper ; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum (*allegat hic Syllabi prop. 13*). Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius momentum ac pondus elidant (*allegat hic* Nicaenum II et CP IV). Nec secus quam de Traditione iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, sed in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habeat.

Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura, sacrilego pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quae moerore summo Decessor Noster scribebat : *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis

amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam[1].

230. *Hinc tantae laudes recenter a* Leone XIII, *et eius successoribus huic Scholae tributae eiusque maximis doctoribus, in primis vero S. Thomae, atque huius in scholis catholicis magisterium Codice iuris canonici, c. 1366, § 2, institutum*[2] : Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant (cf. *infra*, 235 *bis*).

231. *Ceterum de studiis haec in universum statuit enc.* Pascendi *(1907)* I. Primo igitur ad studia quod attinet volumus probeque mandamus ut *philosophia scholastica* studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi*[3]. Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita : de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse.

232. Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium exstruatur diligentissime. — *Theologiae* studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur*[4]. — Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio

1. Leo XIII, Motu proprio *Ut mysticam*, 4 Mart. 1891. — 2. Cf. elenchum documentorum ibidem in notis allegatorum et c. 589. — 3. Leo XIII, Enc. *Æterni Patris*, 4 aug. 1879. — 4. Leo XIII, Litt. ap. *In magna*, 10 dec. 1889.

catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) *theologiam positivam*, mutuato a veri nominis historia lumine collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut *scholasticam theologiam* despicere videantur.

233. De *profanis vero disciplinis* satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit[1] : *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis : quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosecutus monuit : *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint, quaedam enim fere in oblivione hominum conticescant; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.* Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.

234. *Servatur tamen in rebus controversis honesta opinandi libertas quam his verbis Innocentius XI (1679) tuebatur :* Tandem, ut ab iniuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque in posterum se abstineant, et ut paci et caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctae oboedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac praedicationibus caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

235. *Hanc iterum asseruit Benedictus XV in enc.* Ad beatissimi, *1 nov. 1914 :* Itaque ubi potestas legitima quid certo praeceperit nemini fas esto negligere praeceptum, propterea quia non probetur sibi sed quod cuique videatur, id quisque subiciat eius auctoritati, cui subest, eique, ex officii conscientia, pareat. Item nemo privatus, vel libris diariisve vulgandis vel sermonibus publice habendis, se in Ecclesia pro magistro gerat. Norunt omnes cui sit a Deo magisterium Ecclesiae datum : huic igitur integrum ius esto pro arbitratu loqui, cum voluerit; ceterorum officium est, loquenti religiose obsequi dicto-

1. Alloc. 7 Mart. 1880.

que audientes esse. In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina, — cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit — in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet. Sed ab is disputationibus omnis intemperantia sermonis absit, quae graves afferre potest offensiones caritati, suam quisque tueatur libere quidem, sed modeste sententiam; nec sibi putet fas esse, qui contrariam teneant, eos hac ipsa tantum causa vel suspectae fidei arguere vel non bonae disciplinae.

235 bis. a) *Iterum de his omnibus. Pius XI in ep.* **Officiorum** *1 aug 1922*, de studiis clericorum : Consequens est, non bene sacrae iuventuti consulere, qui omnem de Theologia institutionem scholastica ratione neglecta, ad *positivam methodum*, ut dicitur, exigendam putent, multoque minus eos officio suo satisfacere, qui huius doctrinae magisterium non aliter exerceant, nisi ordinem seriemque dogmatum atque haeresum doctis disquisitionibus exsequendo. Illa enim positiva methodus necessario quidem scholasticae adiungenda est, sed sola non sufficit; cum bene comparari nostros oporteat ad Fidei veritatem non modo convincendam, sed illustrandam etiam ac defendendam; Fidei autem dogmata contrariosque errores ex ordine temporum recensere, ecclesiasticae quidem historiae est, non vero munus Theologiae.

b) *Idem, in enc.* Studiorum ducem, *29 iunii 1923* : Nos autem, quae et decessores Nostri in primisque Leo XIII (Litt. Encycl. *Aeterni Patris.*) et Pius X (Motu proprio *Doctoris Angelici*, diei XXIX iunii MDCCCCXIV) decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent ii praesertim quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtineant. Iidem vero sibi persuadeant tum se suo officio satisfacturos itemque exspectationem Nostram expleturos esse, si cum Doctorem Aquinatem, scripta eius diu multumque volutando, adamare coeperint, amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae, ipsum Doctorem interpretando, communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum.

Scilicet inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in Codice iuris canonici praecipitur (Can 1366, § 2.) ut « philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » ; atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum

ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid ea amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia : neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur.

Appendix : De erroribus damnandis.

236. CIC. c. 1325, § 2 : Post receptum baptismum, si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat *haereticus;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostata:* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat *schismaticus* est.

237. *Inter magisterii munera non infimum est damnare errores de fide et haereticos. Praeter ea quae passim multa in hoc libro allegantur, en quasdam formulas damnationis et alia id genus documenta ordine chronologico :*

In Ephesino I (431), *Nestoriani et Pelagiani damnati :*

α'. Εἴ τις μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας ἀποστατήσας τῆς ἁγίας, καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου... τὰ Κελεστίου ἐφρόνησεν, ἢ φρονήσῃ, οὗτος κατὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων διαπράττεσθαί τι οὐδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων... — δ'. Εἰ δέ τινες ἀποστατήσαιεν τῶν κληρικῶν, καὶ τολμήσαιεν ἢ κατ' ἰδίαν, ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι καὶ τούτους εἶναι καθῃρημένους, ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δεδικαίωται.

238. Leo I, ep. 109 (25 nov. 452) : Qui (*Manichaei*) cum iam non se occulere studeant, sed contra Christi Ecclesiam audacter insurgant, nonne prospiciendum est quatenus eis vires omnium contuum subtrahantur, servato ut dixi, eo districtionis moderamine ut a quietoribus inconvertibiles dividantur : *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala* (I Cor. xv, 33) et *Castigato pestilente sapiens astutior*

---

236. Can 1. Si quispiam metropolita provinciae, derelicta sancta et oecumenica Synodo... cum *Caelestio* sensit, aut sentiet, ipse nihil amplius poterit agere adversus provinciae episcopos : ut qui iam inde a Synodo totius ecclesiasticae communionis expers sit factus et prorsus inutilis ..

Can 4. Si qui autem clericorum defecerint, et ausi fuerint vel privatim vel publice, quae sunt *Nestorii* aut *Caelestii* sapere, sancitum est a sancta Synodo istos quoque depositos esse.

erit (Prov. xxi, 11) ut quolibet modo dissipata societate reproborum, aliqua diabolo vasa rapiantur? Non enim ita conviciis et vaniloquiis debemus offendi ut nullam curam ipsorum correctionis habeamus.

239. *Fides* Leonis IX *(1053)* : Porro anathematizo omnem haeresim extollentem se adversus sanctam Ecclesiam catholicam.

240. Innocentius II *et* Lateranense II *(oec. X) 1139)* :

Can. 23. Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et ceteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant foedera nuptiarum, tanquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri praecipimus. Defensores quoque ipsorum eiusdem damnationis vinculo innodamus.

241. *Idem* Innocentius II, *in damnatione* Abaelardi, *ep.* Testante apostolo *ad Henricum episc. Senonensem (16 iul. 1141)* : Nos itaque, qui in cathedra Sancti Petri, cui a Domino dictum est : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Lc. xxii, 32), licet indigni, residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula et universa ipsius Petri (Abaelardi) dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tanquam haeretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos et excommunicationis vinculo innodandos esse censemus.

242. Lateranense III *sub* Alexandro III *(1179) (oec XI)* :

De haereticis evitandis.

Cap. 27 Sicut ait beatus LEO, licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat ultiones : catholicorum tamen principum constitutionibus adiuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Eapropter, quia in Gasconia, Albegesio et partibus Tolosanis et aliis locis ita haereticorum, quos alii Catharos, alii Patarenos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut iam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent et ad suum consensum simplices attrahant et infirmos : eos et defensores et receptatores eorum anathemati decernimus subiacere, et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus vel in terra sua tenere vel fovere vel negotiationem cum eis exercere praesumat.

243. *Veronense (1184)*. Et generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesia vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante, cum consilio, si oportuerit, vicinorum

episcoporum haereticos iudicaverint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus.

244. a) Lateranense IV *(1215) (oec. XII)* :

(Cap. III, de haereticis).

Excommunicamus et anathematizamus omnem haeresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam, catholicam fidem, quam superius exposuimus : condemnantes universos haereticos, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas sed caudas ad invicem colligatas quia de vanitate (*var.* varietate) conveniunt in idipsum.

b) Gregorius IX, *in formula anathematis, 20 aug. 1229* : Excommunicamus et anathematizamus universos haereticos : Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas et alios, quibuscumque nominibus censeantur : facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.

245. Ioannes XXII, *de Fraticellis, in const.* Gloriosam, *23 ian. 1317* : a) Praedicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimae christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiae veneranda contemnunt et in gloriosum Ecclesiae Romanae primatum, cunctis nationibus percellendum, ab ipso conterendi citius impetu caeci furoris impingunt.

b) *Et infra* : Multa sunt alia, quae isti praesumptuosi homines contra coniugii venerabile sacramentum garrire dicuntur, multa, quae de cursu temporum et fine saeculi somniant, multa, quae de Antichristi adventu, quae iamiam instare asserunt, flebili vanitate divulgant. Quae omnia, quia partim haeretica, partim insana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus, quam stylo prosequenda aut refellenda censemus.

246 *Idem de Marsilio et Ioanne de Iandano, const.* Licet iuxta, *23 octobre 1327* : Articulos praedictos .. velut sacrae Scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales et erroneos, necnon et praedictos Marsilium et Ioannem haereticos, immo haeresiarchas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus.

247. *Idem de Ekardo, const.* In agro, *27 mart. 1329* : Nos... quindecim primos articulos et duos alios ultimos tanquam haereticos dictos vero alios undecim tanquam male sonantes, temerarios et suspectos de haeresi, ac nihilominus libros quoslibet seu opuscula eiusdem Ekardi, praefatos articulos seu eorum aliquem continentes, damnamus et reprobamus expresse.

248. Martinus V (*et Constantiense*) : a) *Adversus I. Hus* (*1418*, 25. Condemnatio 45 articulorum Ioannis Wicleff, per doctores facta, est irrationabilis et iniqua et male facta : ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

b) *Idem in interrogationibus pro Hussitis et Wicleffitis* (*1418*, 7. Item, utrum credat, quod condemnationes Ioannis Wicleff, Ioannis Hus et Hieronymi de Praga, factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint ritè et iuste factae, et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae.

8. Item, utrum credat, teneat, asserat, Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia et Hieronymum de Praga fuisse haereticos et pro haereticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et quas, et eorum pertinacias, per sacrum Concilium Constantiense pro haereticis sunt condemnati.

11. Item specialiter litteratus interrogetur, utrum credat, sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadraginta quinque Ioannis Wicleff, et Ioannis Hus triginta articulis superius descriptis latam, fore veram et catholicam : scilicet, quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Wicleff et Ioannis Hus triginta non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.

249. Leo X *de Luthero* : a) *In bulla* Exsurge, *15 iunii 1520* 30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

b) *Idem in eadem bulla sic damnat Lutheri articulos* : Praefatos omnes et singulos articulos seu errores tanquam ut praemittitur respective haereticos aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos vel simplicium mentium seductivos et veritati catholicae obviantes damnamus, reprobamus atque omnino reicimus.

250 *Propositiones Quesnel* Clemens XI, *1713*, *declarat, damnat et reprobat respective* tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, necnon haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum haereticas, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes.

251. Pius VI, *in bulla* Auctorem fidei, *de synodo Pistoriensi* (*1794*) : Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac nostra Constitutione declaratur : ita ut, quicumque illas vel earum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit aut de eis, etiam disputando, publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Ceterum, per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus : cum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae, sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae et disciplinae temerarium contemptum tum maxime infensum in Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem animum prae se ferunt.

252. Gregorius XVI, *adversus F. de Lamennais:* a) *in encycl.* Mirari vos (*15 aug. 1832*) : Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At quae peior mors animae, quam libertas erroris, inquiebat Augustinus (ep. 166)? Freno quippe omni adempto, quo homines continentur in semitis veritatis, proruente iam in praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus *puteum* abyssi, e quo vidit Ioannes (Apoc. IX, 3) *ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis* ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae....

Eos imprimis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores auctoresque iisdem situs, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint *Deum esse sapientiae ducem emendatoremque sapientium* (Sap. VII, 15), ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per Verbum docet homines scire Deum[1]. Superbi seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est et infirma.

b) *Iterum in encycl.* Singulari nos (*25 iun. 1834*) *ad episc. Galliae* : Ceterum lugendum valde est, quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat atque contra Apostoli

1. S. Irenaeus, Contra haereses l. IV, c. 6, PG 7, 988 C.

monitum nitatur *plus sapere quam oporteat sapere* (Rom. xii, 3), sibique nimium praefidens veritatem quaerendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris caeno ipsa invenitur, quaeque idcirco columna ac firmamentum veritatis appellatur et est. Probe autem intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto philosophiae systemate plane improbando, quo ex proiecta et effrenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis doctrinae aliae inanes, futiles incertaeque, nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.

253. *Idem* Gregorius *in damnatione operum Georgii Hermes, brevi* Dum acerbissimas (*26 sept. 1835*) : Ad augendas, quibus diu noctuque ob id Ecclesiae persecutiones premimur, angustias illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter pro eadem videri volunt et ostentant se dimicare, ut retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam seu per vanas eorum philosophicas commentationes et inanem fallaciam incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere fidentiusque inimicis palam saevientibus adiutrices porrigere manus. Quapropter, ut nobis impiae et insidiosae quorundam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus per nostras Encyclicas aliasque Apostolicas litteras callida eorum et prava denuntiare consilia erroresque damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam Ecclesiae constitutionem et ecclesiasticam disciplinam immo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime contendunt. Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos deposito tandem simulationis velo perduellionis vexillum contra quamcumque a Deo constitutam potestatem alte iam extulisse...

Hos igitur libros tradi iussimus theologis germanicae linguae peritissimis omni ex parte diligentissime perscrutandos... Tandem... (*Emm. Card. Inquisitores*) omni studio, prout rei gravitas postulabat, cuncta et singula expendentes... diiudicarunt, *evanescere* auctorem *in cogitationibus suis* (Rom. i, 21) pluraque in dictis operibus contexere absurda et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena, praesertim vero circa naturam fidei et credendorum regulam, circa sacram Scripturam, traditionem, revelationem et Ecclesiae magisterium, circa motiva credibilitatis, circa argumenta, queis existentia Dei adstrui confirmarique consuevit, circa ipsius Dei essentiam, sanctitatem, iustitiam, libertatem, eiusdemque finem in operibus, quae a theologis vocantur ad extra, nec non circa gratiae necessitatem, eiusdemque ac donorum distributionem,

retributionem praemiorum, et poenarum inflictionem, circa protoparentum statum, peccatum originale, ac hominis lapsi vires; eosdemque libros tanquam continentes doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, captiosas, in scepticismum et indifferentismum inducentes, erroneas, scandalosas, in catholicas scholas iniuriosas, fidei divinae eversivas, haeresim sapientes ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibendos et damnandos esse censuerunt.

Nos itaque... praedictos libros, ubicumque et quocumque idiomate, seu quavis editione aut versione hucusque impressos aut in posterum, quod absit, imprimendos tenore praesentium damnamus et reprobamus ac in indicem librorum prohibitorum referri mandamus.

254. Pius IX *in damnatione A. Günther, brevi* Eximiam tuam, (*15 iun. 1857*) : ...Etenim non sine dolore apprime noscimus, iisdem operibus erroneum ac perniciosissimum et ab hac Apostolica Sede saepe damnatum rationalismi systema ampliter dominari; itemque noscimus in iisdem libris ea inter alia non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate Divinae substantiae in Tribus distinctis sempiternisque Personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana. Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. Neque ignoramus, ea iisdem libris doceri et statui, quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur.

255. *Idem in damnatione Iac. Frohschammer, ep.* Gravissimas inter (*11 dec. 1862*) : Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur, in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate vehementer dolemus, cum noscamus, in variis Germaniae regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui sacram theologiam ac philosophiam tradentes minime dubitant quandam inauditam adhuc in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, novasque et omnino improbandas opiniones palam publiceque profiteri et in vulgus disseminare.

Hinc non levi maerore affecti fuimus, Venerabilis Frater, ubi tristissimus ad Nos venit nuntius, presbyterum Iacobum Frohschammer in ista Monacensi Academia philosophiae doctorem huiusmodi docendi scribendique licentiam prae ceteris adhibere, eumque suis operibus in lucem editis perniciosissimos tueri errores. Nulla igitur interposita mora, Nostrae Congregationi libris notandis praepositae mandavimus, ut praecipua volumina, quae eiusdem presbyteri Frohschammer nomine circumferuntur, cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad Nos

referret. Quae volumina germanice scripta titulum habent: *Introductio in philosophiam, De libertate scientiae, Athenaeum*, quorum primum anno 1858, alterum anno 1861, tertium vero vertente hoc anno 1862, istis Monacensibus typis est in lucem editum.

256. *Idem Pius encyclica* Quanta cura (*8 dec. 1864*). In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Sequitur **syllabus** complectens praecipuos nostrae aetatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, encyclicis aliisque apostolicis litteris SS. D. N. Pii papae IX.

257. Vaticanum (1870), *in fine prooemii cons.* Dei filius: Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum, auctoritate Nostra, in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium, salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

258. *Ibidem post canones*: Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exsequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, necnon eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus, servandi etiam Con-

stitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

259. Leo XIII, *de Americanismo ep.* Testem. (*22 ian. 1899*): Ex his igitur, quae huc usque disseruimus, patet, dilecte Fili Noster, non posse Nobis opiniones illas probari, quarum summam *Americanismi* nomine nonnulli indicant. — Quo siquidem nomine peculiaria animi ornamenta, quae, sicut alia nationes alias, Americae populos decorant significare velint; item si statum vestrarum civitatum, si leges moresque quibus utimini, non est profecto cur ipsum reiiciendum censeamus. At si illud usurpandum ideo est, ut doctrinae superius allatae, non indicentur modo, immo vero etiam cohonestentur, quodnam est dubium, quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Americae, ante ceteros, repudiaturi ac damnaturi sint utpote ipsis totique eorum genti quam maxime iniuriosum? Suspicionem enim id inicit esse apud vos qui Ecclesiam in America aliam effingant et velint, quam quae in universis regionibus est.

260. Pius X, *enc.* Pascendi (*1907*): Iam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur, si sic illud definimus, ut omnium haereseon collectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium, quotquot fuerunt circa fidem errores, succum veluti ac sanguinem in unum conferre, rem nunquam plenius perfecisset, quam modernistae perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod iam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus: hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores invenisse gratulantur.

Et infra: Sed haec modo sufficiant, ut abunde pateat, quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum iecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingredietur.

261. *Iusiurandum adversus modernismum* (*1910*): Me etiam, qua par est, reverentia, subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris *Pascendi* et in Decreto *Lamentabili* continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant.

PARS SECUNDA

De Ecclesia Christi.

I

DE ECCLESIA IN GENERE

A) Symboli et professiones fidei de Ecclesia.

262. a) *Apostolicum :* (Credo) sanctam Ecclesiam catholicam. — b) Epiphanii *fides longior* (IV^1 s.) : πιστεύομεν εἰς μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν. — c) CP (IV^1 s.) : εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν. — d) Gregorii Magni *fides* (VI^1 s.) : Confiteor unam fidem, unum baptisma, unam apostolicam et universalem Ecclesiam in qua sola possint laxari peccata in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — e) Toletanum VI (*638*) : Ecclesiam quoque catholicam credimus sine macula in opere et absque ruga in fide corpus eius esse regnumque habituram cum capite suo omnipotente Christo Iesu postquam hoc corruptibile induerit incorruptionem et mortale immortalitatem (I Co. xv, 53) ut *sit Deus omnia in omnibus* (I Co. xv, 25). — f) Toletanum XI (*675*) : Ecclesiam sanctam catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam : intra cuius gremium constituti unum baptisma credimus et confitemur in

---

262. b) Credimus in unam catholicam et apostolicam Ecclesiam.
262. c) Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam.

remissionem omnium peccatorum. — g) LEONIS III *fides (anno 809)* : Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit hunc damnat sancta catholica et apostolica Ecclesia quae fundata est ab ipso Iesu Christo Domino Nostro cui est gloria in saecula. Amen. — h) LEONIS IX (*1053*) *et* MICH. PALAEOLOGI (*1274*) *fides* : Credo (*Pal.* Credimus) sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam in qua unus datur baptismus et vera omnium remissio peccatorum. — i) INNOCENTIUS III, *pro Waldensibus* (*1208*) : Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam Romanam catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. — k) LATERANENSE IV, *oec.* XII, (*1215*) : Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. — l) PII IV *fides* (*1564*) : Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario veram oboedientiam spondeo ac iuro. — m) *Iusiurandum adversus modernismum* (*1910*) : Tertio : Firma pariter fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam.

B) De Ecclesiae origine et charactere divino.

VATICANUM, supra, n. 179.

C) De Ecclesiae necessitate ad salutem.

263. *Praeter ea quae sub A)* : a) *In Statutis Ecclesiae antiquis* (*s.* VI) *interrogatur is qui episcopus ordinandus est* si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur. — b) FLORENTINUM, *Dioc.* (*1442*) : Firmiter credit, profitetur et praedicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non exsistentes non solum

paganos, sed nec Iudaeos aut haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes; sed *in ignem aeternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis eius* (Mt. XXV, 21), nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati : tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant, et ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit.

264. LEO XIII, *in enc.* Tametsi futura, *1 nov. 1900* : Legem vero Christi dicimus non solum praecepta morum naturalia, aut ea quae accepere antiqui divinitus, quae utique Iesus Christus omnia perfecit et ad summum adduxit declarando, interpretando, sanciendo : verum etiam doctrinam ejus reliquam, et omnes nominatim ab eo res institutas. Quarum profecto rerum caput est Ecclesia : immo ullaene res numerantur Christo auctore institutae, quas non illa cumulate complectatur et contineat? Porro Ecclesiae ministerio, praeclarissime ab se fundatae, perennare munus assignatum sibi a Patre voluit : cumque ex una parte praesidia salutis humanae in eam omnia contulisset, ex altera gravissime sanxit, ei ut homines perinde subessent ac sibimetipsi, eamdemque studiose et in omni vita sequerentur ducem : *qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (Lc. x, 16). Quocirca omnino petenda ab Ecclesia lex Christi est : ideoque via homini Christus, via item Ecclesia : ille per se et natura sua; haec mandato, munere et communicatione potestatis. Ob eam rem quicumque ad salutem contendere seorsum ab Ecclesia velint, falluntur errore viae, frustraque contendunt.

265. *Quare non semel, saec.* XIX, **indifferentismus,** *docens differentiam religionum nullius momenti esse, a RR. PP. damnatus est* : *Sic* GREGORIUS XVI, *in enc.* Mirari vos, *15 aug. 1832* :

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua planeque evidenti errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente enim Apostolo (Eph. IV, 5) *unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma*, ex-

timescantque e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio *esse se contra Christum qui cum Christo non sunt* (Lc. XI, 23) seque infeliciter *dispergere qui cum ipso non colligunt*, ideoque absque dubio « aeternum esse perituros nisi teneant catholicam fidem eamque integram inviolatamque servaverint » (*Quicumque*). Atque ex hoc putidissimo *indifferentismi* fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet *libertatem conscientiae*.

266. Pius IX, *in allocutione* Singulari quadam, *8 dec. 1854* : Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepenumero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit, ut perscrutari velimus arcana consilia et *iudicia Dei*, quae sunt *abyssus multa* (Ps. XXXV, 7), nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero apostolici Nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut, quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea, qua praestatis sollertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis, miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari.

Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina *unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma* (Eph. IV, 5); ulterius inquirendo progredi nefas est.

Ceterum prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, *neque enim abbreviata est manus Domini* (Is. LIX, 1), gratiaeque caelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Huiusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus, ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

267. *Idem, in enc.* Quanto conficiamur, *10 aug. 1863* : Atque hic, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, iterum commemorare et reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui homines in erroribus viventes et a vera fide atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum Nobis Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate atque a Petri successore Romano Pontifice, cui *vineae custodia a Salvatore est commissa (Chalcedonense)*, pertinaciter divisos aeternam non posse obtinere salutem (Mat. XVIII, 17; Lc. X, 16, Mc. XIII, 16; Io. III, 18; Lc. II, 23, Tit. III, 11; II Pet. II, 1).

Absit vero ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui eisdem fidei caritatisque vinculis nobiscum minime sunt coniuncti, quinimmo illos sive pauperes, sive aegrotantes sive aliis quibusque aerumnis afflictos omnibus christianae caritatis officiis prosequi et adiuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere atque ad catholicam veritatem et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos amanter tendere eosque ad suum sinum revocare nunquam desinit, ut in fide, spe et caritate fundati ac stabiles et *in omni opere bono fructificantes* (Col. I, 10) aeternam assequantur salutem.

268. *Unde in Pii IX S (1864) :*

§ III. Indifferentismus, latitudinarismus.

15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit (Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851; Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862).

16. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt (Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846; Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847; Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856).

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur (Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854. Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863).

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est. (Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum* 8 decembris 1849).

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem (Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851).

269. *Ad eundem indifferentismi errorem modernismum ducere sic* Pius X *in enc.* Pascendi *(1907) manifestat :* His semel admissis una cum erroribus ceteris iam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse iuverit, ex hac experientiae doctrina coniuncta alteri de symbolismo religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni enim in religione quavis experientiae huiusmodi occurrant? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnuent, quam turca affirmet, verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae denegant; quin immo, subobscure alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse manifestum est. Nam religioni cuipiam quo tandem ex capite secundum illorum praecepta foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia sensus religiosi vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui sensus religiosus unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior : formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut religioso sensui hominique credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum ad summum in religionum diversarum conflictu modernistae contendere forte possint, catholicam utpote vividiorem plus habere veritatis : itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quae christianismi exordiis respondeat plenius.

270. *Ceterum de* libertate cultus, *ut aiunt, et* libertate conscientiae, Leo XIII, *in enc.* Libertas *(1888) quid catholico sit profitendum, declaravit :* Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate*, uti loquuntur, *cultus*. Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti ad eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse : virtus enim moralis est, cuius officia versantur in iis quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum ; ideoque religio quae *operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum*[1], cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus iusserit, quamque facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat : quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abiecti in peccatum animi servitus. — Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit : nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse : quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines coniuncta societas, sive partes, sive forma eius spectetur, quae est auctoritas, sive causa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetu sui similium collocavit, ut quod natura eius desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse,

1. S. Th. 2. 2, qu. 81, a. 6.

vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, easdemque singulis iura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tanquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est, et quanquam hoc proxime spectat, deducere cives ad huius, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini, debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit; quo perveniri non potest religione neglecta.

271. Illa quoque magnopere praedicatur, quam *conscientiae libertatem* nominant : quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior : eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem : propterea quod maximam iustissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum principem maximumque officium libertas haec christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec oboediente commune ; neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis discedere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanae ius est, quatenus cum potestate Dei nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam praecipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo disceditur, simul que cum auctoritate divina confligitur : ergo rectum est non parere.

Contra *liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur coniunctam cum honestate religione libertatem minime agnoscunt : cuius conservandae causa si quid fiat, iniuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere facerent, nullus esset tam immanis dominatus cui subesse et quem ferre non oporteret.

271 bis. a) PIUS XI, *in enc.* Mortalium animos (1928) *de vera religionis unitate fovenda* : Rem haud dissimilem in iis, quae invectam a Christo Domino Novae Legis ordinationem respiciunt, efficere quidem contendunt. Quod enim pro comperto habeant, homines quovis religionis sensu destitutos perraro inveniri, idcirco eam in spem ingressi videntur, haud difficulter eventurum, ut populi, etsi de rebus divinis alii aliud tenent, in nonnullarum tamen professione doctrinarum, quasi in communi quodam spiritualis vitae fundamento, fraterne consentiant. Qua de causa iis ipsis conventus, coetus, conciones, haud mediocri cum auditorum frequentia, haberi solent, et advocari illuc ad disceptandum promiscue omnes, cum ethnici omne genus, tum christifideles, tum etiam qui ab Christo infeliciter descivere vel qui divinae eius naturae ac legationi praefracte pertinaciterque repugnant. Eiusmodi sane molimenta probari nullo pacto catholicis possunt, quandoquidem falsa eorum opinione nituntur, qui censent, religiones quaslibet plus minus bonas ac laudabiles esse, utpote quae etsi non uno modo, aeque tamen aperiant ac significent nativum illum ingenitumque nobis sensum, quo erga Deum ferimur eiusque imperium obsequenter agnoscimus. Quam quidem opinionem qui habent, non modo ii errant ac falluntur, sed etiam, cum veram religionem, eius notionem depravando, repudient, tum ad naturalismum et atheismum, ut aiunt, gradatim deflectunt : unde manifesto consequitur, ut ab revelata divinitus religione omnino recedat quisquis talia sentientibus molientibusque adstipulatur.

b) At fucata quadam recti specie nonnulli facilius decipiuntur cum de unitate agitur christianos inter omnes fovenda. Nonne — dictitari solet — aequum est, immo etiam cum officio consentaneum, quotquot Christi nomen invocant, eos et a mutuis criminationibus abstinere sese et mutua tandem aliquando caritate coniungi? Ecquis enim dicere audeat, ab se Christum amari, nisi pro viribus optata ipsius perficienda curet, Patrem rogantis ut discipuli sui *unum* essent? (*Ioan.* XVII, 21.) Atque idem Christus discipulos suos nonne hac veluti nota insigniri ab ceterisque distingui voluit, ut scilicet inter se diligerent : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem? (Ioan.* XIII, 35.) Christiani quidem universi — addunt — utinam « unum » essent : etenim ad propulsandam impietatis luem multo plus possent, quae, cum latius in dies serpat ac pervagetur, enervare Evangelium parat. Haec aliaque id genus iactant atque inflant qui *panchristiani* vocantur ; iidemque tantum abest ut pauci admodum rarique sint, ut, contra, in integros veluti ordines creverint, et in societates coiverint late diffusas, quas plerumque, etsi alii alia imbuti de rebus fidei doctrina, acatholici homines moderantur. Incep-

tum interea istud tam actuose provehitur, ut multifariam sibi civium assensum conciliet, et ipsos complurium catholicorum animos spe capiat alliciatque talis efficiendae unionis quae cum Sanctae Matris Ecclesiae votis congruere videatur, cui profecto nihil antiquius quam ut devios ad gremium suum filios revocet ac reducat. Verum sub horum illecebris blandimentisque verborum error latet sane gravissimus, quo catholicae fidei fundamenta penitus disiiciuntur.

c) A Deo, universarum rerum Conditore, idcirco creati sumus ut eum cognosceremus eique serviremus; plenum igitur Auctor noster ius habet, ut sibi a nobis serviatur. Potuit quidem Deus regundo homini unam tantummodo praestituere naturae legem, quam scilicet, creando, in eius animo insculpsit, eiusque ipsius legis ordinaria deinceps providentia temperare incrementa; at vero praecepta ferre maluit, quibus pareremus, et decursu aetatum, scilicet ab humani generis primordiis ad Christi Iesu adventum et praedicationem, hominem ipsemet officia docuit, quae a natura rationis participe sibi Creatori deberentur: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* (*Hebr.* I, 1 seq.) Liquet inde, veram religionem esse posse nullam praeter eam quae verbo Dei revelato nititur: quam quidem revelationem, fieri ab initio coeptam et sub Veteri Lege continuatam, Christus ipse Iesus sub Nova perfecit. Iamvero, si locutus est Deus — quem reapse locutum, historiae fide comprobatur, — nemo non videt, hominis esse, Deo et revelanti absolute credere et omnino obedire imperanti: utrumque autem ut nos, ad Dei gloriam nostramque salutem, recte ageremus, Unigenitus Dei Filius suam in terris Ecclesiam constituit. Porro qui se christianos profitentur, putamus eos facere non posse quin credant, Ecclesiam quandam, eamdemque unam, ab Christo conditam esse; verum si quaeritur praeterea, qualem, Auctoris sui voluntate, eam esse oporteat, iam non omnes consentiunt. Ex iis enim bene multi, exempli causa, negant, Ecclesiam Christi adspectabilem atque conspicuam esse oportere, eatenus saltem, quatenus unum apparere debeat fidelium corpus, in una eademque doctrina sub uno magisterio hac regimine concordium; at, contra Ecclesiam adspectabilem seu visibilem arbitrantur non aliud esse, nisi Foedus ex variis christianorum communitatibus compositum, licet aliis aliae doctrinis, vel inter se pugnantibus adhaereant. — Ecclesiam vero suam instituit Christus Dominus societatem perfectam, natura quidem externam obiectamque sensibus, quae humani generis reparandi opus, unius capitis ductu (*Matth.* XVI, 18 seq.; *Luc.* XXII, 32; *Ioan.* XXI, 15-17), per vivae vocis magisterium (*Marc.* XVI, 15) perque sacramentorum, caelestis gratiae fontium, dis-

pensationem (*Ioan.* III, 5; VI, 48-59; XX, 22 seq.; cf. *Matth.* XVIII, 18; etc.), in futurum tempus persequeretur; quamobrem et regno (*Matth.* XIII), et domui (Cf. *Matth.* XVI, 18) et ovili (*Ioan.* X, 16) et gregi (*Ioan.* XXI, 15-17) eam comparando similem affirmavit. Quae quidem Ecclesia, tam mirabiliter constituta, Conditore suo itemque Apostolis eius propagandae principibus morte sublatis, desinere atque exstingui profecto non poterat, utpote cui mandatum esset, ut universos homines, nullo temporum locorumque discrimine, ad aeternam salutem perduceret: *Euntes ergo docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19). Cuius in perpetua perfunctione muneris num Ecclesiae aliquid virtutis efficaciaeque defuturum est, quando ei praesens perpetuo adest Christus ipsemet, sollemniter pollicitus: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (*Matth.* XXVIII, 20)? Itaque fieri non potest quin Ecclesia Christi non modo et hodie et in omne tempus, sed etiam eadem prorsus exsistat, quae in aevo apostolico fuit, nisi dicere velimus — quod absit — Christum Dominum aut non suffecisse proposito, aut tum errasse cum asseveravit, portas inferi adversus eam nunquam fore praevalituras (*Matth.* XVI, 18).

d) Atque hoc loco aperienda occurrit ac tollenda falsa quaedam opinio, unde tota eiusmodi causa pendere videtur, itemque acatholicorum actio et conspiratio proficisci illa multiplex, quae ad consociandas christianas ecclesias, ut diximus, pertinet. Scilicet huius auctores consilii Christum dicentem: *Ut omnes unum sint... Fiet unum ovile et unus pastor* (*Ioan.* XVII, 21; X, 16) paene infinite afferre consueverunt, ita tamen, ut significari per ea verba velint Christi Iesu votum et precem, quae adhuc effectu suo careant. Opinantur enim, fidei ac regiminis unitatem — quae verae et unius Ecclesiae Christi insigne est — nec fore unquam exstitisse antehac nec hodie exsistere; eandemque optari quidem posse et fortasse per communem voluntatum inclinationem aliquando effici, sed commenticium quiddam interea habendam esse. Addunt, Ecclesiam per se, seu natura sua, in partes esse divisam idest ex plurimis ecclesiis seu communitatibus peculiaribus constare, quae, disiunctae adhuc, etsi nonnulla doctrinae capita habent communia, tamen in reliquis discrepant, iisdem sane iuribus frui singulas; Ecclesiam, ad summum, ab aetate apostolica ad priora usque Oecumenica Concilia unicam atque unam fuisse. Oportere igitur aiunt, controversiis vel vetustissimis sententiarumque varietatibus, quae christianum nomen ad hunc diem distinent, praetermissis ac sepositis, de ceteris doctrinis communem aliquam credendi legem effici ac proponi, cuius quidem in professione fidei omnes non tam norint quam sentiant se fratres esse; multiplices autem ecclesias seu communitates, si universo quodam foedere coniunc-

tae sint, ea iam condicione fore, ut solide fructuoseque impietatis progressionibus obsistere queant. Ista quidem, Venerabiles Fratres, communiter. Verumtamen sunt qui ponant ac concedant, Protestantismum, quem vocant, quaedam fidei capita nonnullosque externi cultus ritus, sane gratos atque utiles, inconsulto nimis abiecisse, quos contra, Ecclesia Romana adhuc retinet. Mox tamen subiciunt, hanc quoque ipsam perperam fecisse, quae priscam religionem corruperit, aliquibus doctrinis, Evangelio non tam alienis quam repugnantibus, additis ad credendumque propositis, quas inter praecipuam illam numerant de iurisdictionis Primatu, qui Petro eiusque in Sede Romana successoribus adiudicatur. In quo quidem numero adsunt, quamquam non ita multi, qui Romano Pontifici aut Primatum honoris aut iurisdictionem seu potestatem quandam indulgeant, quam nihilominus non e iure divino sed e fidelium consensu quodammodo proficisci arbitrantur; atque alii vel eo progrediuntur, ut conventibus illis suis, quos versicolores dixeris, ipsum Pontificem praesidere cupiant. Quodsi multos, ceteroqui, reperire acatholicos licet fraternam in Christo Iesu communionem pleno ore praedicantes, at nullos profecto invenias, quorum in cogitationem cadat, ut Iesu Christi Vicario vel docenti vel gubernanti se subiiciant ac pareant. Interea affirmant sese cum Ecclesia Romana, aequo tamen iure, idest pares cum pari libenter acturos: at agere si possent, non videtur dubitandum quin ea mente agerent, ut per pactum conventum forte ineundum ab iis opinionibus recedere ne cogerentur, quae causa adhuc sunt, cur extra unicum Christi ovile vagentur atque errent.

e) Quae cum ita se habeant, manifesto patet, nec eorum conventus Apostolicam Sedem ullo pacto participare posse, nec ullo pacto catholicis licere talibus inceptis vel suffragari vel operam dare suam; quod si facerent, falsae cuidam christianae religioni auctoritatem adiungerent, ab una Christi Ecclesia admodum alienae. Num Nos patiemur — quod prorsus iniquum foret — veritatem, eamque divinitus revelatam, in pactiones deduci? Etenim de veritate revelata tuenda in praesenti agitur. Siquidem ad omnes gentes evangelica fide imbuendas misit Christus Iesus in mundum universum Apostolos, quos, ne quid errarent, per Spiritum Sanctum doceri ante voluit omnem veritatem (*Ioan.* xiv, 13): numne haec Apostolorum doctrina in Ecclesia, cui rector et custos Deus ipse adest, aut penitus defecit aut perturbata aliquando est? Quodsi Evangelium suum Redemptor noster non ad apostolica tantum tempora, sed ad futuras quoque aetates pertinere significanter edixit, potuitne obiectum fidei, tam obscurum incertumve procedente tempore fieri, ut opiniones vel inter se contrarias hodie

oporteat tolerari? Hoc si verum esset, dicendum quoque foret, et Spiritus Paracliti in Apostolos illapsum et eiusdem Spiritus in Ecclesia permansionem perpetuam et ipsam Iesu Christi praedicationem abhinc pluribus saeculis efficaciam utilitatemque omnem amisisse: quod sane affirmare, blasphemum est. Iamvero Unigenitus Dei Filius, cum legatis suis imperavit ut docerent omnes gentes, tum omnes homines hoc obstrinxit officio, ut iis rebus fidem adiungerent quae sibi a *testibus praeordinatis a Deo* (*Act.* x, 41) nuntiarentur, atque ita iussum sanxit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* (*Marc.* xvi, 16); sed utrumque Christi praeceptum, quod non impleri non potest, alterum scilicet docendi, alterum credendi ad aeternae adeptionem salutis, ne intellegi quidem potest, nisi Ecclesia evangelicam doctrinam proponat integram ac perspicuam atque in ea proponenda a quovis errandi periculo immunis. In quo de via ii quoque declinant, qui censent, depositum quidem veritatis in terris exsistere, sed tam operoso labore, tam diuturnis studiis disceptationibusque illud quaeri oportere, ut ad inveniendum ac potiendum vix hominis vita sufficiat; quasi benignissimus Deus per prophetas et Unigenitum suum sit idcirco locutus, ut quae per hos revelasset, pauci tantummodo, iidemque aetate iam graves, perdiscerent, minime vero ut fidei morumque doctrinam praeciperet, quae homo per totum mortalis vitae curriculum regeretur.

f) Videantur quidem *panchristiani* isti, qui ad consociandas ecclesias intendunt animum, nobilissimum persequi consilium caritatis christianae inter omnes provehendae; at tamen qui fieri potest, ut in fidei detrimentum caritas vergat? Nemo sane ignorat, Ioannem ipsum, caritatis Apostolum, qui in evangelio suo Cordis Iesu Sacratissimi videtur secreta pandidisse perpetuoque memoriae suorum praeceptum novum *Diligite alterutrum* inculcare consueverat, omnino vetuisse ne quid cum iis haberetur commercii, qui Christi doctrinam non integram incorruptamque profiterentur: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* (*II Ioan.* 10). Quamobrem cum caritas fide integra ac sincera, quasi fundamento, innitatur, tum unitate fidei, quasi praecipuo vinculo, discipulos Christi copulari opus est. Itaque fingere animo qui licet christianum quoddam Foedus, quod qui inierint, vel tum, cum de fidei obiecto agitur, suam quisque cogitandi sentiendique rationem retineant; quamvis ea ceterorum opinionibus repugnet? Et quo pacto, rogamus, unum idemque fidelium Foedus participent homines qui contrarias in sententias abeunt? ut, exempli causa, sacram Traditionem genuinum esse divinae Revelationis fontem, qui affirmant et qui

negant? ut qui ecclesiasticam hierarchiam, ex episcopis, presbyteris atque ministris constantem, censent divinitus constitutam, et qui asserunt pro rerum temporumque condicione pedetemptim inductam? qui in Sanctissima Eucharistia per mirabilem illam panis et vini conversionem, quae transsubstantiatio appellatur, praesentem reapse Christum adorant, et qui ibi corpus Christi tantummodo per fidem vel per signum ac virtutem Sacramenti adesse affirmant; qui in ea ipsa sacrificii item ac sacramenti naturam agnoscunt, et qui eam dicunt nihil esse aliud quam Dominicae Cenae memoriam seu commemorationem? qui bonum atque utile esse credunt, Sanctos una cum Christo regnantes, in primis Deiparam Mariam, suppliciter invocari eorumque imaginibus venerationem impertiri, et qui contendunt eiusmodi cultum adhiberi non posse, utpote qui honori *unius mediatoris Dei et hominum* Iesu Christi (Cf. *I Tim.* II, 5) adversetur? Qua quidem tanta opinionum discrepantia nescimus quomodo ad unitatem Ecclesiae efficiendam muniatur via, quando ea nisi ex uno magisterio, ex una credendi lege unaque christianorum fide oriri non potest; at scimus profecto, facile inde gradum fieri ad religionis neglegentiam seu *indifferentismum* et ad modernismum, ut aiunt, quo qui misere infecti sunt, tenent fidem. veritatem dogmaticam non esse *absolutam* sed *relativam*, idest variis temporum locorumque necessitatibus variisque animorum inclinationibus congruentem, cum ea ipsa non immutabili revelatione contineatur, sed talis sit, quae hominum vitae accommodetur. Praeterea, quod ad res credendas attinet, discrimine illo uti nequaquam licet quod inter capita fidei *fundamentalia* et *non fundamentalia*, quae vocant, induci placuit, quasi altera recipi ab omnibus debeant, libera, contra, fidelium assensioni permitti altera queant; supernaturalis enim virtus fidei causam formalem habet, Dei revelantis auctoritatem, quae nullam distinctionem eiusmodi patitur. Quapropter quotquot vere sunt Christi, quam, exempli gratia, Augustae Trinitatis mysterio fidem praestant, eandem dogmati Deiparae sine labe originis Conceptae adhibent, pariterque Incarnationi Dominicae non aliam atque infallibili Romani Pontificis magisterio, eo quidem sensu quo ab Oecumenica Vaticana Synodo definitum est. Neque enim quod eiusmodi veritates altas aliis aetatibus, vel proxime superioribus, sollemni Ecclesia decreto sanxit ac definivit, eaedem idcirco non aeque certae, non aeque credendae; nonne Deus illas omnes revelavit? Etenim Ecclesiae magisterium — quod divino consilio in terris constitutum est ut revelatae doctrinae cum incolumes ad perpetuitatem consisterent, tum ad cognitionem hominum facile tutoque traducerentur — quamquam per Romanum Pontificem et Episcopos cum eo communionem

habentes cotidie exercetur, id tamen complectitur muneris, ut, si quando aut haereticorum erroribus atque oppugnationibus obsisti efficacius aut clarius subtiliusque explicata sacrae doctrinae capita in fidelium mentibus imprimi oporteat, ad aliquid tum sollemnibus ritibus decretisque definiendum opportune procedat. Quo quidem extraordinario magisterii usu nullum sane inventum inducitur nec quidquam additur novi ad earum summam veritatum, quae in deposito Revelationis, Ecclesiae divinitus tradito, saltem implicite continentur, verum aut ea declarantur quae forte adhuc obscura compluribus videri possint aut ea tenenda de fide statuuntur quae a nonnullis ante in controversiam vocabantur.

g) Itaque, Venerabiles Fratres, planum est cur haec Apostolica Sedes numquam siverit suos acatholicorum interesse conventibus: christianorum enim coniunctionem haud aliter foveri licet, quam fovendo dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam reditu, quandoquidem olim ab ea infeliciter descivere. Ad unam veram Christi Ecclesiam, inquimus, omnibus sane conspicuam et talem, Auctoris sui voluntate, perpetuo mansuram, qualem ipsemet ad communem salutem instituit. Neque enim mystica Christi Sponsa, saeculorum decursu, contaminata est unquam, nec contaminari aliquando potest, teste Cypriano: « Adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. » (*De cath. Ecclesiae unitate*, 6.) Et sanctus idem Martyr iure meritoque mirabatur vehementer, quod credere quispiam posset « hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis caelestibus cohaerentem, scindi in ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari ». (*Ibid.*) Cum enim corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit (*I Cor* XII, 12), compactum et connexum (*Ephes.* IV, 15), corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse: quisquis igitur cum eo non copulatur, nec eius est membrum nec cum capite Christo cohaeret. (Cf. *Ephes.* V, 30, I, 22.)

h) Iamvero in hac una Christi Ecclesia nemo est, perseverat nemo, nisi Petri, legitimorumque eius successorum, auctoritatem potestatemque obediendo agnoscat atque accipiat. Episcopo quidem Romano, summo animarum Pastori, nonne maiores paruerunt eorum, qui Photii novatorumque erroribus implicantur? Recesserunt heu filii a paterna domo, quae non idcirco concidit ac periit, perpetuo ut erat Dei fulta praesidio; ad communem igitur Patrem revertantur, qui, iniurias Apostolicae Sedi ante inustas oblitus, eos amantissime accepturus est...

Ad Apostolicam igitur Sedem hac in Urbe collocatam quam Petrus et Paulus Principes Apostolorum suo sanguine consecrarunt, ad Sedem, inquimus, « Ecclesiae catholicae radicem et matricem » (S. Cypr., *Ep. 48 ad Cornelium*, 3) dissidentes accedant filii, non ea quidem mente ac spe, ut *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (*I Tim.* III, 15) fidei integritatem abiciat suosque ipsorum toleret errores, sed, contra, ut se illius magisterio ac regimini permittant.

271 ter. Pius XI *in enc.* Quas primas (1925) *de laicismo sic docet :* Iam si Christum Regem ab universitate catholici nominis coli iusserimus, eo ipso et horum temporum necessitati prospectari et pesti, quae societatem hominum inficit, praecipuum quoddam remedium adhibituri sumus. Pestem dicimus aetatis nostrae laicismum, quem vocant, eiusdemque errores et nefarios conatus : quod quidem scelus, Venerabiles Fratres, nostis non uno maturuisse die cum iam pridem in visceribus civitatum lateret. Christi enim in omnes gentes imperium negari coeptum ; negatum, quod ex ipso Christi iure exsistit, ius Ecclesiae docendi humanum genus, ferendi leges, regundi populos, ad aeternam utique beatitatem perducendos, Tum vero paulatim Christi religio aequari cum falsis in eodemque genere, prorsus indecore, poni; deinceps civili potestati subici arbitrioque principum ac magistratuum fere permitti; ulterius ii progredi, qui naturalem quamdam religionem, naturalem quendam animi motum pro divina religione substitui oportere cogitarent. Nec civitates defuere, quae censerent, posse se Deo carere et religionem suam in impietate neglegentiaque Dei esse positam. Acerbissimos sane, quos eiusmodi a Christo et singulorum civium et civitatum defectio tulit tam frequenter tamque diu, fructus in Litteris Encyclicis *Ubi arcano* conquesti equidem sumus iterumque hodie conquerimur : scilicet sata ubique discordiarum semina easque invidiae flammas simultatesque inter populos conflatas, quae tantum adhuc reconciliandae paci moram inferunt; cupiditatum intemperantiam, quae haud raro specie publici boni caritatisque patriae obteguntur, atque inde profecta, cum civium discidia, tam caecum illum et immodicum sui amorem, qui cum nihil aliud, nisi privata commoda et emolumenta, spectet, hisce prorsus omnia metitur; eversam funditus officiorum oblivione ac neglegentia domesticam pacem, familiae communionem stabilitatemque labefactatam ; concussam denique atque in interitum actam hominum societatem.

D) De natura et constitutione Ecclesiae.

272. *De Ecclesiae unitate praesertim,* Leo XIII *doctrinam catholicam exposuit in encycl.* Satis cognitum, *29 iunii 1896, in qua sibi proposuit :* Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi, in quibus praecipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit.

Primum de origine a Christo : Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes ; cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecipit peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent, hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam.

273. *Tum de natura : spiritualis est simul et externa :* Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita : quae quidem, si extremum illud quod vult, causaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis :* si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu auditque signa : idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Ro. x, 17). Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet : *Corde enim creditur ad iustitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (Ro. x, 10). Simili modo nihil est homini gratia caelesti, quae gignit sanctitudinem, interius : sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae instrumenta gratiae, sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit Iesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent : iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati oboedienter subessent. Verum istiusmodi in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne inchoari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de causis Ecclesiam cum *corpus,* tum etiam *corpus Christi*

tam crebro sacrae litterae nominant : *Vos autem estis corpus Christi* (I Co xii 27). Propter eam rem quod corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis quae ab ipsa aguntur apparet.

274. *Ex quo sequitur nullomodo esse invisibilem tantum* : Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam : item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae ; sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili ; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum : ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus : quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia [*allegantur Chrysostomus et Augustinus*]. His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus : propterea natura illius cum quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse effecerit...

275. *Dein eius* Unitas, *et quidem qua* Unica *est, primum describitur* : Profecto *unam* esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in diiudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non solum ortus sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus : quocirca ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam..... Ecclesiam* in symbolo fidei profitemur... Sane Iesus Christus de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat *suam : aedificabo Ecclesiam meam*. Quaecumque, praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest. Quod apparet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur... Partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret... Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput, coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit : cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius opera facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes : *Ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam quae est corpus ipsius* (Eph. 1, 22-3). Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohaerere... Est igitur Ecclesia Christi *unica et perpetua* : quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur...

276. *Hinc necessaria* Unitas interna *in unica Ecclesia* : At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam* : videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent. *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae*

(Eph. IV, 4). Voluntatem hac de re suam Iesus Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem apprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.. ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint consummati in unum* (Io. XVII, 20-23). Immo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo.. ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (Io. XVII, 21). Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium: ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo natura gignitur.

277. *Haec constat* a) UNITATE FIDEI: Quamobrem, pro sui divinitate consilii, unitatem fidei in Ecclesia sua iussit esse: quae quidem virtus primum est in vinculis iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Eph. IV, 5): videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet... Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in causa simili, non opinatione aut coniectura est, sed scientia rei gestae iudicandum: quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Iesus Christus esse praeceperit.

278. *Cui tuendae sola scriptura impar erat.* Iesu Christi doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsam vidit proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus: « Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt[1] ». Atque Augustinus: « Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene[2] ».

279. *Unde instituitur* MAGISTERIUM *unum ac perpetuum.* Ad con-

1. Adv. haer. 3, 12, P G., 7, 906 B. — 2. In Io. 18, 1, PL, 35, 1536.

iugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, ut exstarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quandam idoneam providisset: quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Iesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis illinc poenis propositis sempiternis... Quaecumque praecipit, eadem omnia auctoritate praecipit, in exigendo mentis assensu nihil excipit, nihil secernit.. Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam... Propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reiecisse quicquam... — Sed, quod alio loco diximus, non erat eiusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Iesus Christus ut praedicarent *evangelium omni creaturae*, et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus*, et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae* (Mc. XVI, 15; Act. IX, 15; I, 8). Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi* (Mt. XVIII, 20). Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Iesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetue mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere episcopos Apostoli. Quique sibi proxime succederent in *ministerio verbi*, singillatim designavere. — Neque hoc tantum: illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri... Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat: ex

altera constans atque immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum doctrinam...

280. His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartodecimani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant : haereticos tamen declaratos, eiectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse ? Similique iudicio damnati quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt... — Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum consentiente iudicio : qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset... — Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit : eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse : si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat erroris in homine ipsum esse auctorem Deum : *Domine si error est, a te decepti sumus*[1]. Ita omni amota dubitandi causa ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim ? Quin, seiunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam ? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reiicere.. — Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam secuti sunt, cum illud decrevere : *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur*[2].

281. b) *Constat etiam* UNITATE REGIMINIS *et* COMMUNIONIS, *ita ut Ecclesia societas sit perfectissima* : Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia : immo ne finis quidem, cuius causa est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest ; adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur : religionem, quam in ea velut incorporari ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat : itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permissa, sed principio a Iesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio : sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Iesu Christo dicta : *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium..... baptizantes eos..... Hoc facite in meam commemorationem..... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent*, hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quae quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (I Co. IV, 1).

282. Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eundemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus exsisteret iure sociatus ; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea quotquot filii Dei esse adoptione volunt perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui

1. Rich. a S. Vict. *De Trin.* l. I, c. 2, PL 196, 891 D. ubi legitur *teipso*. —
2. *De fide* sess. III, c. 3, supra n. 160.

eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in iura potestatus invadere. Immo Deus perfecit ut Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societates, quanto natura gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabiliora bona. ... Ergo Ecclesia *societas* est ortu *divina* : fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis* : quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis *societatis perfectae* nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei*, *Civitas supra montem posita*, quo convenire gentes omnes necesse est : sed etiam *Ovile*, cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent : imo *Regnum quod suscitavit Deus*, quodque *stabit in aeternum* : denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris; quae membra non eundem actum habent : copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur.

283. *Quare est in ea ex Christi voluntate summa potestas Petro eiusque successoribus collata* : Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur Iesus Christus magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui oboediens ac subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de causa sicut ad unitatem Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium*, necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur iure divino *unitas regiminis* quae *unitatem communionis* efficit et complectitur : *Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur : scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput*[1].

Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi : *Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur*[2]. Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eandem rem sententia concordat : *Dico et protestor Ecclesiam scindere non minus esse malum quam incidere in haeresim*[3]. Quamobrem si nulla potest esse honesta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri : *Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis... praecidendae unitatis nulla est iusta necessitas*[4]. Quae vero et cuiusmodi summa

1. S. Th. 2. 2, q. 39, a. 1. — 2. S. Hier. *In ep. ad Tit.* 3, 10-11, PL 26, 598 A. — 3. *In Ep. ad Ephes.*, hom. 11, 5, PG 62, 87. — 4. S. Aug., *Cont. ep. Parmeniani*, 2, cap. 11, 25, PL 43, 69.

ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certe in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e caelo non visus perseverat : sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui gereret in terris vices suas, posteaquam ipse ad caelestia rediisset. Iesus Christus igitur summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit, idemque sanxit ut eiusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes. Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt. xvi, 18)... Quo ex oraculo liquet Dei voluntate iussuque Ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac firmitudinis : quo sublato, omnis aedificatio collabitur. Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage conexam ac firmam.

284. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque *iurisdictio* dicitur? Profecto non nisi potestate iurisdictionis stant civitates resque publicae. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant : *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Cuius divinae sententiae ea vis est : quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat. Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita : quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo qui tuetur est necessarium. Illud praeterea Iesus adnexuit : *Et tibi dabo claves regni caelorum*. Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paullo ante nuncuparat *suam*, quamque ipsam velle se in Petro dixit, tamquam in fundamento statuere. Expressam non modo *aedificii*, sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia : ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni caelorum* cum Iesus dare Petro pollicetur potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum... Concinunt cetera : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*. Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius

rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui juris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur. Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam ceteri, quaesisset, praecipientis in modum ei, *Pasce*, ait, *agnos meos..... pasce oves meas* (Io. xxi, 16-7). Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit... Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eundemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo, gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti Iesus Christus profuso sanguine prospexerat: *Cur sanguinem effudit? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus eius tradidit*[1].

285. Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes oportet esse invicem coniunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus impetravit Petro, ut in gerenda potestate nunquam fide laberetur: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Eidem praeterea mandavit ut, quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis lumen animi et robur: *Confirma fratres tuos* (Lc. xxii, 32). Quem igitur fundamentum Ecclesiae designarat eundem esse vult columen fidei... Eiusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiae, velut pars praecipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum beato Petro interire, sed recidere in eius successores ex alio in alium oportuit: *Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit*[2]. Quare Pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam Ecclesiae potestatem obtinent iure divino (*Laudat* Florentinum, Lateranense IV). Antecesserat consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem vero lateat quot in eandem rem exstent et quam luculenta sanctorum patrum testimonia? (*Quae permulta hic congeruntur*).

286. *Est etiam potestas episcoporum, qui Romano Pontifici, id est Petro, sunt subiecti, etsi ut apostolorum successores iurisdictionem ordinariam retinent*: Si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem *elegit duodecim... quos et apostolos nominavit* (Lc. vi, 13). Quo modo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quae sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem coniunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit, non obscura est neque dubia necessitas: hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit multitudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes*[1]. Idcirco ad id praestat advertere animum: nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum: plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur; itaque exclusi *aedificio* ipso sunt: ob eandemque causam ab *ovili* seiuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves.

287. Quibus rebus rursus nescimus in constituenda christiana republica caelestem descriptionem mentemque divinam. Videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse... Sed Episcoporum ordo tunc rite ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat: secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandae non gerere honoris causa priores partes, non curam agere satis est; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum *uni* pollicitus est Petro? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, *usus biblicus* et Patrum consentientes sententiae dubitari non

1. S. Io. Chrys., *De sacerd.*, l. 2, 2 PG. 48, 632. — 2. S. Leo. M. *Serm.* 3, c. 3, PL. 54, 146 B.

1. S. Hieron. *Contra Luciferianos*, 9. PL. 23. 165 A (ubi agitur de episcopo et sacerdotibus sibi subiectis).

sinunt Neque secus interpretari fas est, quae vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis coniunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus...

288 Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni Romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos*, ius esse; *universos*, ius non esse. Haec enim omnis est causa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque, toti potius aedificio, quam *partibus* eius *singulis* tueatur. Quod est in causa, de qua loquimur, multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis eius partibus, quippe quae utique vinci inferorum impetu possunt, nonnullisque earum, ut vincerentur, singulatim evenit. Rursus, qui gregi praepositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium? Num successores Apostolorum, simul coniuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti causa, innitatur? Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul : et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices Romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam una collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae. Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo praestitisse auctoritate dicatur?

289. Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacrae litterae tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere edita Conciliorum: *Romanum pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus iudicasse, legimus : de eo vero quemquam iudicasse, non legimus*[1]. Cuius rei ea ratio redditur, quod *auctoritate Sedis Apostolicae maior*

1. Hadrianus II, Allocutione III ad Synodum Romanam an. 869. Cf. Actionem VII Concilii Constantinopolitani IV.

non est[1]. Quare de Conciliorum decretis Gelasius : *Sicut id quod prima Sedes non probaverat constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum Ecclesia tota suscepit*[2]. Sane Conciliorum consulta et decreta, rata habere vel infirmare semper Romanorum Pontificum fuit. Concilii Ephesini acta, rescidit Leo Magnus; Ariminensis, reiecit Damasus; Constantinopolitani, Hadrianus I; canonem vero xxviii Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicae, velut incassum quiddam constat iacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V, Leo X statuit : *Solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat*[3]. Sane claves regni caelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur : at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Iesu Christo nullo pacto accepere. — Quibus de causis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium saeculorum asserta fides[4].

290 Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed Romani Pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris; episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris : *Inconveniens est quod duo aequaliter super eundem gregem constituantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eandem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa*[5]. Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum : propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constan-

1. Nicolaus in epist. 86, ad Michael. Imperat, infra n. 363 *b*. — 2. Ep. 26, ad episc. Dardaniae n. 5, infra n. 350 *d*. — 3. Lat. V sess. 11, *infra* n. 368. — 4. Sess. IV, c. 3. *infra* n. 296 sq. — 5. S. Thomas *in IV Sent.*, dist. XVII, q. 4, ad q. 4, ad 3.

ter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Immo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur*[1].

291. *De* INDEFECTIBILITATE *Ecclesiae*, FELIX III, *ep. ad Acacium* CP. *Postquam sanctae a. 483, m. martio* : Non desperemus, frater, veram Salvatoris nostri esse sententiam qui se usque ad finem saeculi Ecclesiae suae non defuturum esse pollicitus nec ob inferni portis eam dixerit esse superandam, quia omnia quae per apostolicae scita doctrinae ligarentur in terris nec in caelestibus memoravit absolvi. Neque putemus quod quibuslibet sit vallata periculis, unquam pondus vigoris sui vel censura beatissimi Petri vel auctoritas universalis amittat Ecclesiae : quae quanto magis cavet ne mundi prosperitatibus intepescat tanto non frangitur sed potius erudita divinitus crescit adversis. Ubi prospiciendum est ne eam quae nullis potest obrui molibus procellarum, quicumque submergere nititur in huius saeculi pelago fluctuantem, ipse potius a gubernatione salutari in profunda deiectus illa praevalente mergatur.

292. *Haec ipsa erat de unitate doctrina quam adversus schismaticos* PELAGIUS I, *in ep. ad Ioannem Patricium commemorabat (c. 558 sept. – 560)* : Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere : Unum Christi corpus, unam constat esse Ecclesiam. Divisum ab unitate altare veritatem Christi corpori non potest congregare ; toleranda sunt in compage corporis positorum etiam illa nonnunquam vitia quae pro unitate interdum parcentes resecare non possumus. Quia et evangelicum agricolam (Io. xv, 2) minus afferentem fructum palmitem, si tamen in vite maneat, purgare posse noster Salvator edocuit, abscissum autem a vite palmitem nisi igni ad comburendum aptum esse non posse eiusdem caelestis magistri veritate didicimus. Noli ergo eorum qui igni apti sunt, non consecrationi sed exsecrationibus consentire. Nec existimes illos vel esse vel dici Ecclesiam posse. Etenim cum, sicut diximus Ecclesia una sit, cui in Canticis Canticorum dicitur *una est columba mea* (Cant. vi, 8) nullam aliam esse constat nisi quae in apostolica est radice fundata a quibus ipsam fidem in universo propagatam orbe non potest dubitari.

293. *Idem in altera epistola ad Victorem et Pancratium (eodem tempore) ubi tamen de sacrificii valore quaedam emollienda sunt* : A schismaticorum sacrificiis potius autem sacrilegiis abstinere debetis. Schisma siquidem ipsum quod graecum nomen est scissuram sonat.

[1] S. Greg. Mag. ep. 8, 30, PL 77, 933 C.

Sed in unitate scissura esse non potest. Non ergo unitati communicant qui schismaticis communicant. Partes sibi ipsi fecerunt et ab eo quod unum est, ut apostoli Iudae iam verbis loquar *semetipsos segregantes, spiritum non habent* (Iud. 19). Quibus omnibus illud efficitur ut quia in unitate unum non sunt, ut quia in parte esse voluerunt, ut quia *Spiritum non habent*, corporis Christi sacrificium habere non possunt... Ad summam aut illos Ecclesiam esse creditis et cum duae Ecclesiae esse non possint nos, quod absit, schismaticos iudicabitis, aut si veram in apostolicis sedibus esse constat Ecclesiam et illos ab unitate divisos cognoscite et communionis quaestionem esse sublatam quam veram nisi in unitate constat esse non posse. Noli ergo quasi nulla schismaticorum atque Ecclesiae differentia sit, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari. Non est Christi corpus quod schismaticus conficit si veritate duce dirigimur. Nec enim divisum esse Christum poterit quispiam sine apostoli reprobatione confingere. Unam ut saepe dictum est quae Christi corpus est constat esse Ecclesiam, quae in duo vel in plura dividi non potest : simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit Ecclesia. Unum Hierusalem templum est idolis necesse est ut immolet qui semetipsum diviserit.

294. *Id etiam* BONIFACIUS VIII *in celebri bulla* Unam sanctam *definivit (18 nov. 1302)* : Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, sponso in Canticis proclamante : *Una est columba mea, perfecta mea. Una est matri suae, electa genitrici suae* (Cant. vi, 8) ; quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius caput Christus, Christi vero Deus. In qua *unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Eph. iv, 5). Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam Ecclesiam praefigurans, quae in uno cubito consummata unum, Noe videlicet, gubernatorem habuit et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur et unicam, dicente Domino in Propheta : *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam* (Ps. xxi, 21). Pro anima enim id est pro se ipso capite simul oravit et corpore, quod corpus unicam sc. Ecclesiam nominavit, propter sponsi, fidei, sacramentorum et caritatis Ecclesiae unitatem. Haec est *tunica* illa Domini *inconsutilis* (Io. xix, 23), quae scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro : *Pasce oves meas* (Io. xxi, 17). Meas, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas : per quod commisisse sibi intelligitur universas. Si ergo Graeci sive alii se dicant

Petro eiusque successoribus non esse commissos: fateantur necesse se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne: *unum ovile et unicum esse pastorem* (Io. x, 16) [*Sequitur de gladus infra n. 480*].

Est autem haec auctoritas etsi data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data sibique suisque successoribus in ipso, quem confessus fuerit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: *Quodcumque ligaveris* etc. (Mt. xvi, 19). Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo sicut Manichaeus fingat esse principia, quod falsum et haereticum iudicamus, quia, testante Moyse, non in principiis, sed *in principio caelum Deus creavit et terram* (Gen. i, 1). Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.

295. *Iterum* Pius IX, *in damnatione* Societatis ad procurandam christianitatis unitatem *idem expressit* (*S. Off. 16 sept. 1864*): Apostolicae Sedi nuntiatum est, catholicos nonnullos et ecclesiasticos quoque viros societati ad *procurandam*, ut aiunt, *christianitatis unitatem*, Londini anno 1857 erectae, nomen dedisse, etiam plures evulgatos esse ephemeridum articulos, qui catholicorum huic societati plaudentium nomine inscribuntur vel ab ecclesiasticis viris eandem societatem commendantibus exarati perhibentur. Et sane quaenam sit huius societatis indoles vel quo ea spectet, nedum ex articulis ephemeridis cui titulus *The Union Review*, sed ex ipso folio, quo socii invitantur et adscribuntur, facile intelligitur. A protestantibus quippe efformata et directa, eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur, tres videlicet christianas communiones romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum degentibus tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege, ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus in quibus dissentiunt quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas et sacerdotibus sacrificia celebranda indicit iuxta suam intentionem: ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout supponitur, Ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coeant...

Fundamentum, cui, ipsa innititur, huiusmodi est, quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est, ut supponat veram Iesu Christi Ecclesiam constare partim ex Romana Ecclesia per universum orbem diffusa et propagata, partim vero ex schismate photiano et ex anglicana haeresi, quibus aeque ac Eccle-

siae Romanae *unus sit Dominus, una fides et unum baptisma* (Eph. iv, 5)... Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter Christianos schismata et dissensiones a radice evellantur, et Christiani omnes sint *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Eph. iv, 3)... At quod Christi fideles et ecclesiastici viri, haereticorum ductu, et quod peius est, iuxta intentionem haeresi quam maxime pollutam et infectam, pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest.

296 Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in Symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur; et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi, hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, ea profecto unitate cuius principium radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum Principis, eiusque in Cathedra Romana successorum suprema auctoritas et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit...

Praeterea inde quoque a Londinensi societate fideles abhorrere summopere debent, quod conspirantes in eam et indifferentismo favent et scandalum ingerunt.

E) De schismate graecorum.

1. — De ipsa exaltatione sedis CP.

297. *Concilium* CP I, *oec. II (381): Can. III.* Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

298. *Iterum* Chalcedonense (*451*), *in canone 28, quem* Leo I *confirmare vehementer et perseveranter recusavit*[1]:

C. XXVIII. Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι καὶ τὸν

---

297. CPtanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.

298. Sanctorum patrum decreta ubique sequentes et canonem qui nuper

1. Cf. Hefele, § 200, et in Leonis epistolis indicem s. v. Anatolius, PL 54, c. 971, 995, 1007, 1010, 1031...

ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης. Καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν· καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους, καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται· χειροτονεῖσθαι δέ, καθὼς εἴρηται, τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιεπισκόπου, ψηφισμάτων συμφώνων κατὰ τὸ ἔθος γενομένων καὶ ἐπ' αὐτὸν ἀναφερομένων.

2. — De excommunicatione Acacii CP.

299. Felix III, *ex persona Synodi romanae, ad clericos et monachos orientales, ep.* Olim nobis, *5 oct. 485* : Acacium quoque membris Christi perniciosius inhaerentem et per civitates atque provincias unam Dei ecclesiam dissipantem inter episcopos sanctos atque inter christianos iudicavimus non haberi. Qualiter enim fieri poterat ut scindens tunicam Christi quam nec crucifigentes eum dividere ausi sunt in numero fidelium censeretur?

lectus est CL Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae ecclesiae CP novae Romae. Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret iure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti CL Dei amantissimi episcopi sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes urbem quae et imperio et senatu honorata sit et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnificari, secundam post illam existentem, ut et Ponticae et Asianae et Thraciae dioecesis metropolitani soli praeterea episcopi praedictarum dioecesum quae sunt inter barbaros a praedicto throno sanctissimae CPnae ecclesiae ordinentur unoquoque scilicet praedictarum dioecesum metropolitano cum provinciae episcopis, provinciae episcopos ordinante, quemadmodum divinis canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, praedictarum dioecesum metropolitanos a CPno archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus et ad ipsum relatis.

300. Gelasius I, *ep. ad episc. Dardaniae* Valde mirati, *1 febr. 495* :
10. Risimus autem quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros, multis temporibus, non constitit imperator? Numquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?... Si certe de dignitate agitur civitatum, secundae sedis Alexandrinae et tertiae Antiochenae maior est dignitas sacerdotum quam eius civitatis quae non solum inter sedes minime numeretur, sed nec inter metropolitanorum iura censetur. Nam quod dicitur *regiae civitatis*, alia potestas est regni saecularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas praerogativam praesentis regni non minuit, sic imperialis praesentia mensuram dispensationis religiosae non mutat. Sit clara vel urbs illa potestate praesentis imperii, religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc praesente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram. Postremo si sibi de imperatoris praesentia blandiuntur et inde putant CPnae civitatis episcopis potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum eiusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctae memoriae papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus; audiant Anatolium eiusdem sedis antistitem clerum potius CPnum quam se tentasse talia confitentem atque in apostolici praesulis totum dicentem positum potestate : ipsum beatum papam Leonem Sedis Apostolicae praesulem, cuius synodus Chalcedonensis auctoritate firmata est, quidquid ultra, quam ab eodem pro fide et communione catholica atque apostolica illic agendum constaret esse delegatum per occasionem congregationis illius praeter Nicaenos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse eaque nihilominus etiam sub sanctae memoriae papa Simplicio legatum Sedis Apostolicae sanctae memoriae Probum, Canusinae urbis episcopum, Leone principe tunc potente praesente, docuisse nullatenus posse tentari neque his prorsus praebuisse consensum. Atque ideo non ad civitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticae paterna traditione firmatum convenienter observent[1].

1. His similia sunt quae Gregorius Magnus saepe scripsit reprehendens Ioannem Ieiunatorem CP quod se ipse patriarcham oecumenicum in litteris nominaret (cf. eius epistolarum indicem).

3. — De schismate Photiano.

301. Nicolaus I *scribens ad episcopos in regno Caroli Calvi constitutos, ep. Omnium nos portare, 23 oct. 867, quae Graeci Latinis obiciebant exponit ac refellit :* Conantur enim tam nostram specialiter quam omnem generaliter quae lingua latina utitur Ecclesiam reprehendere, quod ieiunamus in sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt praeterea nos abominari nuptias quia presbyteros sortiri coniuges prohibemus; et insimulare tentant quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conferre fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in Pascha, more Iudaeorum, super altare, pariter cum dominico corpore, benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt et quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur, cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint. Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris, contra omnem regulam et praeter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula quam ea tenentes anathematizarent necnon et epistolas canonicas ab his ei, quem suum oecumenicum patriarcham appellant, dandas improbe requirebant.

302. In his igitur explosis ceteris curis vos, fratres, summopere convenit desudare, et quia communia sunt haec opprobria, quae universali Ecclesiae, in ea dumtaxat parte quae latina uti dignoscitur lingua, sicut praetulimus ingeruntur, communiter omnes qui divino sacerdotio illustrari videmini decertare debetis, quo paternae traditiones tantae derogationi non pateant sed quae pravi quique consulta contentione tam mentientes quam errantes maculare gestiunt, manu communis defensionis ab omni naevo blasphemiae funditus eruantur.

Quanto autem livore quantaque vecordia iam designati Graecorum principes eorumque satellites adversus nos pro eo quod suis nolumus parere illicitis animositatibus, armati sint, in eo manifeste datur intelligi quod aut falsa sunt quae nobis impingere moliuntur, aut certe iam a prisco tempore sine cuiusquam contradictione in Ecclesia Romana,

immo in tota occidentali parte, hactenus custodita et cum floruerint etiam apud ipsos magni doctores Ecclesiae, nullus tamen eorum de his reprehensionem fecit, nisi hi qui non zelo iustitiae fervidi sed zelo invidiae perculsi, Ecclesiae lacerare traditiones anhelant. Praecipue cum de ieiunio sabbati, tempore S. Silvestri, confessoris Christi, sit satis discussum et disputatum atque ut celebraretur per omnia definitum. Praeterea de processione Spiritus Sancti quis nesciat illustres viros et praecipue latinos nonnulla scripsisse quorum fulti auctoritatibus istorum oppido sane respondere possemus insaniae, si vel illis non reprehendendi vel nobis eis contentiosa fauce gannientibus rationem reddendi consuetudo quaelibet exstitisset? Sed quid mirum si hoc isti praetendant cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores CPim sunt translati tunc et primatum Romanae sedis ad CPnam Ecclesiam transmigrasse et cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse? Ita ut eiusdem invasor Ecclesiae *Photius* etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet.

303. Videte ergo fratres si haec Ecclesiae Christi non praeiudicent, videte si tolerabilia valeant aestimari, considerate si debeant illi Ecclesiae Romanae huiusmodi derogationes vel detractiones ingerere, cum ipsa, ex quo coepit christiana religio dilatari, quae semel in Petro patrono ac institutore suo suscepit, immutilata tenuerit et incorrupta per alia climata mundi docuerit; nec apparuerit quisquam per tot saltem saeculorum curricula qui eius traditionibus derogaverit aut obviare praesumpserit; licet, ut praetulimus, in Ecclesia crebro magni doctores effulserint nec visa sit umquam Ecclesia, ut non dicam CPnam quae longe post instituta est, cuius haec doctrinam vel auctoritatem secuta sit, cum ipsa potius alias instituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit; adeo ut, quemadmodum Bonifacius, Sedis Apostolicae praesul, testatur, institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpserit honore principium, in quo regimen eius et summa consistit... Perpendite nihilominus si a legatis nostris libellus exigi debuit aut quae huic exempla praecesserint, cum nec scripto insertum, nec memoriae commendatum tale quid inveniri credatur. Numquid nos alicuius novitatis inventores exstitimus? numquid alia nisi quae ad salutem ipsorum et ad communem Ecclesiae statum pertinebant transmisimus? numquid nos haeretici aliquando fuimus? Nam licet nos peccatores quidem esse non denegemus, quorumlibet tamen errorum faece pollutos, Deo gratias, minime recognoscimus, quemadmodum illi qui numquam sine schismate, numquam prorsus ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem nos ab illis et exigere et suscipere, non autem illos a nostris requirere solere, consuetudo hucusque custodita demonstrat. Cum enim Christi munere,

propter primatum Ecclesiae Romanae in beato Petro concessum, nemini sit de Sedis Apostolicae iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum, constat nimirum eos ab his nullum ius possidere libellos exigendi, quos habere fas iudicandi nullo iubetur canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim est inferioribus, non inferiorum a potioribus violenter exigere rationem, aut extortam elicere satisfactionem.

Quae his consona statuit CP IV, *oec. VIII, tempore Hadriani II (869-70), can. 21, habentur infra n. 365.*

304. Lateranense IV, *oec. XII, a. 1215, haec de dissidio declarat:*

Cap. 4. De superbia Graecorum contra Latinos.

Licet Graecos, in diebus nostris ad oboedientiam Sedis Apostolicae revertentes, fovere ac honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quae periculum generant animorum et ecclesiasticae derogant honestati. Postquam enim Graecorum ecclesia cum quibusdam complicibus et fautoribus suis ab oboedientia Sedis Apostolicae se subtraxit, in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia, quae in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hoc inquinata lavissent; baptizatos etiam a Latinis ipsi Graeci rebaptizare ausu temerario praesumebant: et adhuc, sicut accepimus, quidam hoc agere non verentur. Volentes ergo tantum scandalum ab Ecclesia Dei amovere, sacro suadente Concilio, districte praecipimus, ut talia de cetero non praesumant, conformantes se tanquam oboedientiae filii sacrosanctae Romanae Ecclesiae matri suae, ut sit *unum ovile et unus pastor* (Io. x, 16). Si quis autem quid tale praesumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio et beneficio ecclesiastico deponatur.

305. *In* Lugdunensi II, *oec. XIV (1274), in quo unio decreta est, error negans Spiritus Sancti ex Patre et Filio processionem reprobatus est (infra p IV. II C 1.). Imperator autem Michael Palaeologus fidei professionem Gregorio X obtulit, in qua erroneas doctrinas Graecorum respuit ac primatum Sedis Romanae agnovit (infra n. 366). Quae unio iterum in conc. Florentino renovata est (1439) atque etiam cum ceteris ecclesiis orientalibus celebrata. Hinc*

Decreta pro Graecis, pro Iacobitis et pro Armenis, ab Eugenio IV edita, quae variis in locis huius Thesauri referuntur. Formulae fidei *postea pro Graecis a Gregorio XIII (a 1575), pro Orientalibus a Benedicto XIV (1743) editae sunt.*

306. Pius X, *in ep.* Ex quo nono *ad Delegatos Apostolicos in Oriente, 26 dec. 1910, errores quosdam commentationis de schismate eiusque historia damnavit (Pensées sur l'union des Églises):* Nimirum ibi non minus temere quam falso huic opinioni fit aditus dogma de processione Spiritus Sancti a Filio haudquaquam ex ipsis Evangelii verbis profluere, aut antiquorum Patrum fide comprobari, — pariter imprudentissime in dubium revocatur utrum sacra de Purgatorio ac de Immaculata Beatae Mariae Conceptione dogmata a sanctis viris priorum saeculorum agnita fuerint. — Cum vero de Ecclesiae constitutione incidit sermo, primo renovatur error a decessore nostro Innocentio X [n. 380] iam diu damnatus, quo suadetur S. Paulum haberi tanquam fratrem omnino parem S. Petro; deinde non minori falsitate inicitur persuasio Ecclesiam catholicam non fuisse primis saeculis principatum unius, hoc est monarchiam, aut primatum Ecclesiae Romanae nullis validis argumentis inniti. — Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, cum praefracte docetur sententiam suscipi posse quae tenet apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa quam « epiclesim » vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidpiam innovandi; — cui haud minus absonum est validam habendam esse Confirmationem a quovis presbytero collatam[1].

307. Facile intelligetis... nos ipsos magnopere obstupuisse catholicam doctrinam, non obiectis verbis, adeo procaciter perverti, pluraque ad historiam spectantia, de causis orientalis schismatis, a vero audacter nimis detorqueri. Ac primum quidem falso in crimen vocantur sanctissimi Pontifices Nicolaus I et Leo IX, quasi magna dissensionis pars illius debeatur superbiae et ambitioni, huius vero acribus obiurgationibus; perinde ac si prioris rigor apostolicus in sacrosanctis iuribus tuendis superbiae sit tribuendus; alterius autem sedulitas in coercendis improbis vocari velit crudelitas. Historiae quoque iura conculcantur cum sacrae illae expeditiones quas *Cruciatas* vocant, tanquam latrocinia traducantur; aut cum, quod etiam gravius est, Romani Pontifices incusantur, quasi studium, quo conati sunt Orientis gentes ad coniunc-

[1] Cf. Benedictum XIV [de Syn. d., l. 7, c. 8, n. 7] ubi dicit irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam.

tionem cum Ecclesia Romana vocare, dominandi cupiditati sit adscribendum, non apostolicae sollicitudini pascendi Christi gregis.

Nec stuporem addidit levem quod in eodem scripto adseritur, Graecos Florentiae a Latinis coactos fuisse ut unitati subscriberent, aut eosdem argumentis falsis inductos ut dogma de processione Spiritus Sancti etiam a Filio susciperent. Quin etiam eo usque proceditur ut, historiae iuribus conculcatis, in dubium revocetur utrum Generalia Concilia quae post Graecorum dissensionem celebrata sunt, hoc est ab octavo usque ad Vaticanum, tanquam oecumenica vere sint habenda; unde hybridae cuiusdam unitatis ratio proponitur, id solum ab utraque Ecclesia deinceps agnoscendum tanquam legitimum, quod commune patrimonium fuerit ante discussionem, ceteris, tanquam supervacaneis et forte spuriis, additamentis, alto silentio pressis.

308 Haec vobis, Venerabiles Fratres, significanda duximus non solum ut sciatis memoratas propositiones atque sententias falsas, temerarias, a fide catholica alienas a nobis reprobari, sed etiam ut, quantum in vobis est, a populis vigilantiae vestrae commissis tam diram luem propulsare conemini... Simul tamen enixe oramus ut eos persuasos faciatis nihil nobis antiquius esse quam ut omnes bonae voluntatis homines vires indefesse exserant quo concupita unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicae professione, sub uno pastore summo, adunentur quas discordia dispersas retinet oves. Denique hoc omnes in animum inducant suum, incassum omnino in hoc opere adlaborari nisi imprimis recta et integra fides catholica retineatur qualis in Sacra Scriptura, Patrum traditione, Ecclesiae consensu, Conciliis Generalibus, ac Summorum Pontificum decretis est tradita et consecrata.

E) Errores modernistarum.

309 *In DL* Pii X *(1907)* : 52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin immo in mente Christi regnum caeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat. — 53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia. — 54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

310. *Sic exponuntur in enc.* Pascendi *(1907)* : Largiorem dicendi segetem offerunt, quae modernistarum schola de Ecclesia imaginatur. — Ponunt initio eam ex duplici necessitate oriri, una in credente quovis, in eo praesertim, qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet; altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate* ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiae collectivae* seu consociationis conscientiarum singularium, quae vi permanentiae vitalis a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis a Christo. Porro societas quaepiam moderatrice auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae in religioso coetu doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina: *disciplinaris*, *dogmatica*, *cultualis*. — Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est, ex natura vero iura atque officia repetenda. Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error, quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare *autocratica* merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, cum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine aeque atque vita una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiae officium inest democraticis utendi formis, eo vel magis, quod, ni faxit, exitium imminet Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta. — Haec omnia modernistae ratiocinantur, qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiae cum credentium libertate componendam.

II

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

A) In genere.

311. CLEMENS I *in ep. ad Corinthios, in fine s. I* : 40. Τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ δεσπότου ἀκολουθοῦντες οὐ διαμαρτάνουσιν. Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται.

41. Ἕκαστος ἡμῶν [*var.* : ὑμῶν], ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστείτω τῷ Θεῷ ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα, ἐν σεμνότητι.

312. *De praestantia ordinis clericalis, idem, ib.* : 57. Ὑμεῖς οὖν οἱ τὴν καταβολὴν τῆς στάσεως ποιήσαντες ὑποτάγητε τοῖς πρεσβυτέροις καὶ παιδεύθητε εἰς μετάνοιαν.

313. CIC. c. 107. Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; utrique autem possunt esse religiosi.

C. 108 § 3. Ex divina institutione sacra hierarchia ratione

---

311. Domini enim mandata sequentes non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur.

Unusquisque nostrum (vestrum), fratres, in suo ordine cum bona conscientia praescriptam ministerii sui regulam non transgrediens, honeste Deo gratias agat.

312. Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis inoboedientiae, subditi estote presbyteris et correctionem suscipite in paenitentiam.

ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.

Cf. *infra*, de ordine, n. 1304, sq.

B) De Romano Pontifice.

1. — VATICANUM : Constitutio dogmatica I de Ecclesia Christi.

(Pastor aeternus, 18 iulii 1870) :

314. Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, *rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt* (Io. XVII, 20 sq). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre* (Io. XX, 21); ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret[1]. Et quoniam *portae inferi* ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra eius fundamentum divinitus positum maiore in dies odio undique insurgunt, Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus

---

1. S. Leo I serm. 4 de natali suo c. 2, PL 54, 150 C.

credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

Cap. 1. De apostolici primatus in beato Petro institutione.

315. Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat : *Tu vocaberis Cephas* (Io. I, 42), postquam ille suam edidit confessionem inquiens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus : *Beatus es, Simon Bar Iona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* (Mt. XVI, 16 sqq). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile dicens : *Pasce agnos meos... Pasce oves meas* (Io. XXI. 15 sqq). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant solum Petrum prae ceteris Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

316. Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse : anathema sit.

Cap. 2. De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

317. Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. « Nulli » sane « dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus », episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine « vivit » et praesidet « et iudicium exercet[1] ». Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. « Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit[2] ». Hac de causa ad Romanam Ecclesiam « propter potentiorem principalitatem necesse » semper fuit « omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles[3] », ut in ea Sede, e qua « venerandae communionis iura[4] » in omnes dimanant, tanquam membra in capite consociata in unam corporis compagem coalescerent.

318. Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem : anathema sit.

Cap. 3. De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

319. Quapropter apertis innixi sacrarum Litterarum testimoniis et inhaerentes tum praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitio-

1. Ephesinum, infra n. 344 b. — 2. S. Leo I, serm. 3 de suo natali c. 3, PL 54, 146 B. — 3. S. Irenaeus, adv. haer. 3. 3 PG 7, 849 A. — 4. S. Ambros., ep. 11, 4 PL 16, 946 A.

nem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est « sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur[1] ».

320. Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

321. Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* (Act. xx, 28) in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ergo vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur[2]. »

---

1. Sunt ipsa verba Florentini : item diffinimus sanctam apostolicam, etc. in *Decreto pro Graecis* (*infra* n. 368). — 2. Ep. ad Eulogium Alex, 8, 30, PL 77, 933 C. Vide *supra* n. 290.

322. Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

323. Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri. Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

324. Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles : anathema sit.

Cap. 4. De Romani Pontificis infallibili magisterio.

325. Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae

usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii CPtani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem : « Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt. XVI, 18), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas[1]. »

326. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo Graeci professi sunt : « Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri[2] ». Florentinum denique Concilium definivit : « Pontificem Romanum verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse[3] ».

327. Huic pastorali muneri ut satisfacerent, praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis antistites, nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis

1. Est Hormisdae fides (n. 352), a Patribus CP IV in sess. 1 (869) subscripta. — 2. Est fides Michaelis Palaeologi, infra n. 366. — 3 Infra n. 368.

fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum[1]. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant.

328. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Lc. XXII, 32).

329. Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, caelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut, sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

330. At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, sollemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicae exaltationem et christianorum populorum salutem,

1. S Bernardi ep. 190, ad Innocentium II, PL. 182, 1053 D.

sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse diffinimus : Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

331. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit : anathema sit.

332. Leo X *in bulla* Exsurge (1520) : Docuissemusque eum [Lutherum] luce clarius sanctos Romanos Pontifices, praedecessores nostros quos praeter omnem modestiam iniuriose lacerat, in suis canonibus seu constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse, quia iuxta prophetam (Ier. VIII, 22) nec in Gilead resina nec medicus deest.

333. CIC. c. 218, § 1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. § 2. Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles a quavis humana auctoritate independens. — c. 219. Romanus Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet iure divino plenam supremae iurisdictionis potestatem[1].

2. — Testimonia RR. PP. et Conciliorum

ad saec. IX.

334. *Romanorum Pontificum innumera sunt acta quibus primatum suum a Christo in Petro acceptum tum re exercuerunt tum declarationibus sive de primatus in Petro institutione sive de transmissione primatus ad Petri successores illustraverunt. Valde notabilis praesertim est doctrina qua asserunt Petrum ipsum semper*

1. Recole quae supra Leo XIII exponit in enc. *Satis cognitum* (1896) praesertim p. 279 sq.

vivere in Ecclesia Christi atque catholicae Ecclesiae praesidere seque eius vicarios saepissime profitentur, ita ut in persona Petri agant, loquantur ceterisque officii ac magisterii sui muneribus defungantur. Cum vero non semel in iisdem locis Pontifices tum unam tum alteram ex his variis rationibus declarandi primatum profiteantur, hic mixtim, ordine tantum chronologico admisso, aliqua hac de re argumenta proferuntur, interiectis eadem de re Conciliorum testimoniis usque ad tempora Pseudo Isidori

335. Clemens I *in epistola ad Corinthios :*

1. Διὰ τὰς αἰφνιδίους καὶ ἐπαλλήλους γενομένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ περιπτώσεις, ἀδελφοί, βράδιον νομίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιῆσθαι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παρ' ὑμῖν πραγμάτων, ἀγαπητοί.

7. ὑμᾶς νουθετοῦντες ἐπιστέλλομεν.

59. Ἐὰν δέ τινες ἀπειθήσωσι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ δι' ἡμῶν εἰρημένοις, γινωσκέτωσαν ὅτι παραπτώσει καὶ κινδύνῳ οὐ μικρῷ ἑαυτοὺς ἐνδήσουσιν· ἡμεῖς δὲ ἀθῷοι ἐσόμεθα ἀπὸ ταύτης τῆς ἁμαρτίας.

63. Χαρὰν γὰρ καὶ ἀγαλλίασιν ἡμῖν παρέξετε, ἐὰν ὑπήκοοι γενόμενοι τοῖς ὑφ' ἡμῶν γεγραμμένοις διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκόψητε τὴν ἀθέμιτον τοῦ ζήλους ὑμῶν ὀργὴν κατὰ τὴν ἔντευξιν, ἣν ἐποιησάμεθα περὶ εἰρήνης καὶ ὁμονοίας ἐν τῇδε τῇ ἐπιστολῇ.

336. *De* Stephano I *in controversia de rebaptismate, Firmilianus scribebat (Ep. inter Cypr. 75, n. 17) :* Sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt.

337. *Julius I in epistola ad Orientales a. 341* Ἀνέγνων τὰ γράμματα : (22) ... Εἰ γὰρ καὶ ὅλως, ὥς φατε, γέγονέ τι εἰς αὐτοὺς ἁμάρτημα, ἔδει κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, καὶ μὴ οὕτως γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν. Ἔδει γραφῆναι πᾶσιν ἡμῖν, ἵνα οὕτως παρὰ πάντων ὁρισθῇ τὸ δίκαιον· ἐπίσκοποι γὰρ

335. Propter subitas ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos, qui nobis acciderunt, tardius, fratres nosmetipsos convertisse existimamus ad res, quae desiderantur apud vos, dilecti.

Ut vos officii vestri admoneamus, scribimus.

Sin autem quidam non obtemperaverint iis, quae ille (Christus) per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse ; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato.

Gaudium (enim) et laetitiam nobis praestabitis, si, oboedientes facti iis quae scripsimus per Spiritum Sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistola.

337. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, iudicium secundum ecclesiasticum canonem, nec eo pacto, fieri oportuit. Oportuit omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur. episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae quae vexabantur, sed quas ipsi

ἦσαν οἱ πάσχοντες, καὶ οὐχ αἱ τυχοῦσαι ἐκκλησίαι αἱ πάσχουσαι, ἀλλ' ἃς αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι δι' ἑαυτῶν καθηγήσαντο. Διὰ τί δὲ περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας μάλιστα οὐκ ἐγράφετο ἡμῖν; Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια; Εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἦν ὑποπτευθὲν εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὴν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι.

Νῦν δὲ οἱ ἡμᾶς μὴ πληροφορήσαντες, πράξαντες δὲ αὐτοὶ ὡς ἠθέλησαν λοιπὸν καὶ ἡμᾶς οὐ καταγνόντας βούλονται συμψήφους εἶναι· οὐχ οὕτως αἱ Παύλου διατάξεις, οὐχ οὕτως οἱ πατέρες παραδεδώκασιν, ἄλλος τύπος ἐστὶν οὗτος, καὶ καινὸν τὸ ἐπιτήδευμα· παρακαλῶ μέντοι, προθυμίας ἐνέγκατε· ὑπὲρ τοῦ κοινῇ συμφέροντός ἐστιν ἃ γράφω· ἃ γὰρ παρειλήφαμεν παρὰ τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου, ταῦτα καὶ ὑμῖν δηλῶ· καὶ οὐκ ἂν ἔγραψα, φανερὰ ἡγούμενος εἶναι ταῦτα παρὰ πᾶσιν, εἰ μὴ τὰ γενόμενα ἡμᾶς ἐτάραξεν[1].

338. *Sardicense (343)* : γ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο προστεθῆναι ἀναγκαῖον, ἵνα μηδεὶς ἐπισκόπων ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ ἐπαρχίας εἰς ἑτέραν ἐπαρχίαν, ἐν ᾗ τυγχάνουσιν ὄντες ἐπίσκοποι, διαβαίνῃ, εἰ μήτοι παρὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἑαυτοῦ κληθείη, διὰ τὸ μὴ δοκεῖν ἡμᾶς τὰς τῆς ἀγάπης ἀποκλείειν πύλας. Καὶ τοῦτο δὲ ὡσαύτως προνοητέον, ὥστε ἐὰν ἔν τινι ἐπαρχίᾳ

Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur? Sane si qua huiusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec patres tradiderunt, sed alia est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro, bono animo ferte, quae enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro apostolo ea vobis significo; non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent.

338. III. Osius episcopus dixit : Illud quoque necessario adiciendum est, ut episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua sunt episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur ianuam claudere caritatis. Quod si in aliqua provincia aliquis episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, ne unus e duobus ex alia provincia advocet episcopum cogni-

1. Cf. PL. 8, 879-908 cum monito praevio D. Coustant, c. 878-80, ibid., 882-83, n. 7, ex Athanasii Apologia contra arianos, c. 21-35, scripta nomine synodi romani; Hefele, § 54-55. Falsum est schisma secutum esse inter Orientalem atque Occidentalem Ecclesiam ad annum 398, cum perpetuo Summi Pontifices scripserint ad orientales orthodoxos qui decreta romana ut a unanimes susceperunt, cf. infra epist. Bonifacii, n. 343 d, et Cavallera, *Le prétendu schisme oriental de 343 à 398*, Tournai, 1909. Ius de rebus orientalium iudicandi exercuit Liberius restituens Eustathium Sebastenum sedi suae, cf. Basilii ep. 263, PG. 32, 980.

ἐπισκόπων τις ἄντικρυς ἀδελφοῦ ἑαυτοῦ καὶ συνεπισκόπου πρᾶγμα σχοίη, μηδέτερον ἐκ τούτων ἀπὸ ἑτέρας ἐπαρχίας ἐπισκόπους ἐπιγνώμονας ἐπικαλεῖσθαι· εἰ δὲ ἄρα τις ἐπισκόπων ἔν τινι πράγματι δόξῃ κατακρίνεσθαι καὶ ὑπολαμβάνει ἑαυτὸν μὴ σαθρὸν ἀλλὰ καλὸν ἔχειν τὸ πρᾶγμα, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ· εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, καὶ γραφῆναι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, εἰ δέοι, ἀνανεωθῆναι τὸ δικαστήριον καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παράσχοι· εἰ δὲ μὴ συστῆναι δύναται τοιοῦτον αὐτοῦ εἶναι τὸ πρᾶγμα, ὡς παλινδικίας χρῄζειν, τὰ ἅπαξ κεκριμένα μὴ ἀναλύεσθαι, τὰ δὲ ὄντα βέβαια τυγχάνειν.

δ'. Γαυδέντιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Εἰ δοκεῖ, ἀναγκαῖον προστεθῆναι ταύτῃ τῇ ἀποφάσει, ἥντινα ἀγάπης εἰλικρινοῦς πλήρη ἐξενήνοχας, ὥστε ἐάν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ τῇ κρίσει τούτων τῶν ἐπισκόπων τῶν ἐν γειτνίᾳ τυγχανόντων, καὶ φάσκῃ πάλιν ἑαυτῷ ἀπολογίας πρᾶγμα ἐπιβάλλειν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον ὑποκαταστῆναι, ἐὰν μὴ ὁ τῆς Ῥωμαίων ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτου, ὅρον ἐξενέγκῃ.

ε'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἤρεσεν, ἵν' εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσιν, καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δίκαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς συνεπισκόποις καταξιώσῃ τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσι καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσιν· εἰ δέ τις ἀξιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τὸ πρᾶγμα ἀκουσθῆναι, καὶ τῇ δεήσει τῇ ἑαυτοῦ τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον

torem. Quod si aliquis episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur: si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices; si autem probaverit, talem causam esse ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit : Placet.

Can. 4 (Isid. 5). Gaudentius episcopus dixit : Addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma : alter episcopus in eius cathedra, post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio episcopi Romani determinata.

Can. 5 (Isid. 6). Osius episcopus dixit : Placuit autem, ut, si episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit qui deiectus est et confugerit ad episcopum Romanae ecclesiae et voluerit se audiri : si iustum putaverit ut renovetur iudicium vel discussionis examen, scribere his episcopis dignetur, qui in

δόξειεν ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστεῖλαι, εἶναι ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ δεῖν, ἀποσταλῆναι τοὺς μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τὴν αὐθεντίαν τούτου παρ' οὗ ἀπεστάλησαν· καὶ τοῦτο θετέον· εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσῃ πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου, ποιήσει ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. Ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν [1].

339. Damasus (366-84), *epist. 7. Episcopis Orientem regentibus* Quod vestra caritas *(anno incerto)* : Quod vestra caritas debitam sedi apostolicae reverentiam tribuit, filii honoratissimi [2], vobis [nobis?] ipsis quoque maximo sane honori est. Nam tametsi [in] sancta Ecclesia in qua sanctus apostolus sedens nos docuit quo pacto illius gubernacula quae suscepimus tractanda sint, nobis primae partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse. Verum ob hanc causam omnibus modis laboramus uti ad gloriam beatitudinis eius si qua ratione possimus tandem aliquando perveniamus.

340. Siricius (384-98) a) *ep. ad Himerium episc. Tarraconensem* Directa ad decessorem, *10 febr. 385* : 1. Ad singula, prout Dominus adspirare dignatus est, consultationi tuae responsum competens non negamus, quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quin immo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes... 3. Hactenus erratum in hac parte sufficiat nunc praefatam regulam omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolicae petrae, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli.

b) *Idem, in ep. 6* Cogitantibus nobis, *anno incerto*. 1. Et cui ... um ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam Domino dicente : *reicitis mandatum Dei ut traditiones vestras statuatis* (Mc. vii, 9).

---

finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit et quid aestimet, et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit [Responderunt episcopi : Quae dicta sunt placent.]

1. Hefele, t. II, § 56-68 toto libro quarto, de canonibus praesertim, p. 167-77 ed. gallicae. — 2 Notanda appellatio quae alibi non occurrere videtur, cum per Damasus in ceteris epistolis episcopos fratres vocet.

341. Innocentius I (401-17) a) *ep. 25* Si instituta *ad Decentium, 19 mart. 416* : 1. Si instituta ecclesiastica ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur, sed dum unusquisque non quod traditum est sed quod sibi visum fuerit hoc aestimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis qui dum nesciunt traditiones antiquas humana praesumptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire aut ab apostolis vel ab apostolicis viris contrarietatem inductam? 2. Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur ab omnibus debere servari nec superinduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat aut aliunde accipere videatur exemplum? praesertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes? Aut legant si in his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

b) *Idem, ep. 29* In requirendis, *ad episcopos Africanos, 27 ian. 417* : 1. In requirendis Dei rebus... antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo quam antea cum pronuntiaretis vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tam mala damnare novimus quam probare laudanda. Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent), quid praecipere, quos abluere, quos veluti caeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret.

c) *Idem, ep. 30* Inter ceteras, *episcopis Milevitanis, 27 ian. 417* : 2. Diligenter ergo et congrue apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam illius, quem praeter illa quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) super anxiis rebus quae sit tenenda sen-

tentia, antiquae scilicet regulae formam secuti quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatum.

d) *Idem, ep. 37* Mirari, *Felici episcopo Nucerino, anno incerto*: 1. Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta maiorum omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet, quod nos et libenter accipimus et dilectionem tuam memorem canonum comprobamus.

342. Zozimus, *ep. 12* Quamvis Patrum, *ad episcopos Africanos, 21 mart. 418*: 1. Quamvis Patrum traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret et soluta vinciret: par potestatis data conditio in eos qui sedis haereditatem, ipso annuente, meruissent; habet enim ipse cum omnium ecclesiarum, tum huius maxime ubi sederat curam, nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiae cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta et quae sine suo periculo temere nullus incessat. Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit et sequentia omnium maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus dantes haec fraternitati ut in commune consulentes non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiae veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo qui apud vos... fuerat accusatus.

343. Bonifacius, a) *ep. 4* Beatus apostolus, *ante 19 sept. 419, ad Rufum Thessalonicensem*: 1. Beatus apostolus Petrus, cui arx sacerdotii dominica voce concessa est, in immensum gratulationis extollitur quoties pervidet concessi sibi honoris a Domino intemeratae se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat maiore pensare quam quod agnoscit acceptae potestatis illaesa iura servari? Vere namque immobile requirit a diversis destinata super negotiis quibusque consultatio fundamentum quae eius consulit Sedis arcanum quam constat dignatione petrae spiritualis elatam.

b) *Idem, ad eumdem, ep. 13* Retro maioribus, *11 mart. 422*: 1. In quippe vice sua beatus apostolus Petrus ecclesiae Thessalonicensi cuncta commisit ut intelligat se sollicitudinem manere multorum, quam minorem facere, nova, quae vires habere non possunt, tentamenta non debent... 2. Talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse; deinde de nostro non esse iudicio retractandum. Numquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.

c) *Idem, ep. 14* Institutio universalis, *11 mart. 422, ad episcopos per Thessaliam*: 1. Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium in quo regimen eius et summa consistit. Ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias religionis iam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum a qua se quisquis abscidit fit christianae religionis extorris cum in eadem non coeperit esse compage.

d) *Idem, in ep. ad Rufum et alios episc.* Manet beatum, *11 mart. 422*: 1. Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiae ab hoc sollicitudo suscepta; quippe quam Evangelio teste in se noverit esse fundatam, nec umquam eius honor vacuus potest esse curarum cum certum sit summam rerum ex eius deliberatione pendere... 4. Sed absit hoc a Domini sacerdotibus ut in hunc aliquis eorum cadat reatum ut nova quidpiam usurpatione tentando inimica sibi faciat scita maiorum: aemulum se illum specialiter habere cognoscens apud quem Christus noster sacerdotii summam locavit. In cuius contumeliam quisquis insurgit, habitator caelestium non poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claves regni caelorum* (Mt. xvi, 19) in quae nullus sine gratia ianitoris intrabit. *Tu es*, inquit, *Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt. xvi, 18). Quicumque igitur cupit etiam ante Deum nostrum sacerdotii dignitate censeri, quoniam ad Deum Petro suscipiente pervenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memoravimus, universalem certum est esse fundatam, debet esse mitis et humilis corde ne incipiat discipulus contumax illius cuius superbiam imitatus est, poenam subire doctoris... 5. Quoniam locus exigit, si placet recensere canonum sanctiones, reperietis quae sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes quaeve sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo distinctus ut se ecclesiarum Pontifices ceterarum sub uno tamen eodemque sacerdotio habere cognoscant quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subiecti. Et quidem haec sententia canonum a vetustate duravit, et nunc usque, Christo

nostro favente, perdurat. Nemo unquam apostolico culmini de cuius iudicio non licet retractari manus obvias audacter intulit ; nemo in hoc rebellis exstitit nisi qui de se voluit iudicari. Servant Ecclesiae magnae praedictae per canones dignitates Alexandrina et Antiochena, habentes ecclesiastici iuris notitiam, servant, inquam, statuta maiorum in omnibus deferentes et eius vicissitudinem recipientes gratiae quem se *in Domino* qui *pax nostra est* (Eph. II, 14), nobis debere cognoscunt... 6. Sed quia res postulat, approbandum documentis est maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiore, sedem semper consuluisse Romanam et quoties usus exegit, eius auxilium postulasse *(sequuntur exempla : Athanasius, Petrus Alex., Meletius et Flavianus Ant., Nectarius* CP, *episcopi Orientales sub Innocentio.)*

344. — **a)** Caelestinus, *in Commonitorio Episcopis et presbyteris euntibus ad Orientem, 8 maii 431 :* Ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite et quidquid in eius videritis arbitrio facietis. Et auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus. Siquidem et instructiones quae vobis traditae sunt hoc loquantur ut interesse conventui debeatis, ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen[1].

b) *Eius legatus* Philippus, *in actione III Ephesini (431), declarat :* Οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστιν, μᾶλλον δὲ πᾶσι τοῖς αἰῶσιν ἐγνώσθη, ὅτι ὁ ἅγιος καὶ μακαριώτατος Πέτρος, ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων, ὁ κίων τῆς πίστεως, ὁ θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος, καὶ λυτρωτοῦ τοῦ γένους τοῦ ἀνθρωπίνου τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἐδέξατο καὶ αὐτῷ δέδοται ἐξουσία τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἁμαρτίας· ὅστις ἕως τοῦ νῦν καὶ ἀεὶ ἐν τοῖς αὐτοῦ διαδόχοις καὶ ζῇ, καὶ δικάζει.

345. — Sixtus III, *ep. 6,* Si ecclesiastici, *ad Ioannem Antiochenum, 17 sept. 433 :* 5. Expertus es negotii praesentis eventu quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus apostolus in successoribus suis quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius se velit separare doctrina quem ipse inter

---

344. b) Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet (supra n. 317.)

1. Cf *epistolam 11,* Tristitiae nostrae, *ad Cyrillum Alex., 11 Aug. 430, I, 372, PL 20. 459, in qua* Cyrillum *auctoritate suae sedis, vice sua, uti iubet (n. 4, 463 B).*

apostolos primum magister edocuit? Non hunc auditus per alterum, non sermo lectus instruxit. Doctus est cum aliis ore doctoris : Non scripturae, non scriptorum passus est quaestionem, absolutam et simplicem fidem et quae controversiam non haberet accepit, quam utique meditari semper et in qua manere debemus ut sensu puro sequentes apostolos, inter apostolicos esse mereamur. Non parum nobis oneris, non parum laboris incumbit ut ecclesiae Domini macula desit et ruga.

346. — Toletanum I *(Libellus* Pastoris) (s. V.) : 18. Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur vel profitetur aut aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat, a. s.

347. — Leo I. **a)** *ep. 5. ad episc. Illyricos, 12 ian. 444 :* 2. Et quia per omnes Ecclesias cura nostra extenditur exigente hoc a nobis Domino qui apostolicae dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum fidei suae remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus cum his qui nobis collegii caritate iuncti sunt sociamus.

b) *Idem, ep. 9., ad Dioscorum Alex., 21 iun. 445 :* 1. Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum et Romana Ecclesia in eius permaneat institutis nefas est credere quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit.

c) *Idem, ep 10. ad episc. Viennensis provinciae, iul. 445 :* 1. Huius muneris (divinae cultus religionis) sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit ut in beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, principaliter collocarit et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominari dicendo : *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt. XVI, 18) ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret ; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans ut illam nec humana temeritas posset appetere nec portae contra illam inferi praevalerent.

d) *Idem, ne concilio interesset recusans, in ep. 31, ad Pulcheriam, 13 iun. 449 :* 4. Nam illud quod pietas ipsius etiam me credidit debere interesse concilio, etiamsi secundum aliquod praecedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum praesentium nimis incerta conditio a tantae urbis populis me abesse non sineret

e) *Eadem de re, in ep. 93, ad synodum (Chalcedonensem), 26 iun. 451* : 1. Amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli et ad reformandam ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri apostoli iure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret ut venerabili synodo nostram praesentiam praeberemus. Quod quidem nec necessitas temporis nec ulla poterat consuetudo permittere. Tamen in his fratribus, hoc est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas aestimet praesidere, non abiuncta a vobis praesentia mea qui nunc in vicariis meis adsum et iamdudum in fidei catholicae praedicatione non desum ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus.

f) *Idem* Leo I, *ep. 119, ad Maximum episcopum Antiochenum, 11 iun. 453* : 2. Ideo, frater carissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere cuius Ecclesiae gubernaculis te Dominus voluerit praesidere et eius meminisse doctrinae quam praecipuus apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum quidem mundum uniformi praedicatione sed speciali magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit, ut illum in suae glorificationis domicilio praeeminentem ea intelligas reposcere instituta quae tradidit, sicut ab ipso quam confessus est veritate suscepit. Neque ullo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis maximeque in his quas Antiochenae sedi sacratissimorum Patrum Nicaeni canones deputaverunt, ab improbis haereticis Evangelio resultari et vel Nestorii vel Eutychis a quoquam dogma defendi. Quoniam sicut dixi catholicae fidei petra, cuius cognomen beatus apostolus Petrus sumpsit a Domino, nullum recipit ab utraque impietate vestigium.

348 Chalcedonense, *oec. IV, in ep.* Repletum est gaudio *ad* Leonem *Papam, initio nov. 451* : Εἰ γὰρ ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ αὐτοῦ ὄνομα, ἐκεῖ ἔφη εἶναι ἐν μέσῳ αὐτῶν, πόσην περὶ πεντακοσίους εἴκοσιν ἱερέας τὴν οἰκείωσιν ἐπεδείκνυτο, οἳ καὶ πατρίδος καὶ πόνου τῆς εἰς αὐτὸν ὁμολογίας τὴν γνῶσιν προέθηκαν, ὧν σὺ μέν, ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσιν, τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος.

349. Felix III *et Syn. rom., a. 485, ad Orientales* : 9. Unde nunc, causa Antiochenae ecclesiae, apud beatissimum Petrum apostolum collecti, rursus dilectioni vestrae morem qui apud nos semper obtinuit properavimus indicare : quotiens intra Italiam propter ecclesiasticas causas, praecipue fidei, colliguntur domini sacerdotes, haec consuetudo retinetur ut successor praesulum Sedis Apostolicae, ex persona cunctorum totius Italiae sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat qui caput est omnium, Domino ad beatum Petrum apostolum dicente, *Tu es Petrus — adversus eam*. Quam vocem sequentes trecenti decem et octo sancti patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae detulerunt quae utraque usque ad aetatem nostram successiones omnes, Christi gratia praestante, custodiunt. Quod ergo placuit sanctae synodo apud beatum Petrum apostolum, sicut diximus, per Tutum ecclesiae defensorem, beatissimus vir Felix, caput nostrum, papa et archiepiscopus indicavit [et] in subditis continetur.

350. Gelasius I a) *ep. 5 ad Honorium* Licet inter varias, *28 iul. 493 (?)* : Pro sedis tamen apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius voce delegata est: *et tu conversus confirma fratres tuos* (Lc. xxii, 32) et item *Petre amas me? pasce oves meas* (Io. xxi, 17), dissimulare nec possumus nec debemus quae nostram sollicitudinem forma perstringat.

b) *Idem, ep. 12* Famuli vestrae, *ad Anastasium Augustum, a. 494* : 2. Si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeeminere et subsequens Ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit? 3. Ubi pietas tua evidenter advertit numquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessione quem Christi vox praetulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem. Impeti possunt humanis praesumptionibus quae divino sunt iudicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt.

c) *Idem, ep. ad episcopos Lucaniae* Necessaria rerum, *11 mart. 494* : Satis indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiae in hac sibimet observatione concordet quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiae totius posuit principatum.

d) *Idem, ep. 13* Valde mirati, *ad episcopos Dardaniae, 1 feb 495* : *(Postquam demonstravit ex traditione quae semel decreta fuerint retractari non posse.)* 10. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis, confidimus quod nullus iam veraciter christianus

---

348. (Versio antiquior.) Si enim *ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ipsius, ibi ait se esse in medio eorum* (Mt. xviii, 20) quantam circa quingentos viginti sacerdotes familiaritatem monstrabit, qui et patriae et labori circa eum scientiam confessionis praeposuerunt, quibus tu tamquam caput membris praepositus eras per eos qui tuam continent vicem, rectum consilium demonstrans?

ignoret uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit adsensus, nullam magis exsequi sedem prae ceteris oportere quam primam quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet. . 26. Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit ecclesia quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes beati Petri apostoli ius habeat resolvendi, utpote quae de omni ecclesia fas habeat iudicandi neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus... 28. Sed nec illa praeterimus quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more maiorum etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi quos synodus inique damnaverat et damnandi nulla existente synodo quos oportuit habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium synodus orientalis addixerat: quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. 29. Sanctae memoriae nihilominus Ioannem CPnum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consentit, absolvit, itemque sanctae memoriae Flavianum pontificem, Graecorum congregatione damnatum, pari tenore quoniam sola Sedes Apostolica non consentit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat Dioscorum, secundae sedis praesulem, sua auctoritate damnavit et impiam synodum non consentiendo sola submovit ac pro veritate ut synodus Chalcedonensis fieret sola decrevit. 30. In qua pontificibus innumeris qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit et in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit, quam congregatio quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat est secuta, quoniam sicut id quod prima sedes non probaverat constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum Ecclesia tota suscepit. 31. Ubi etiam consequenter ostenditur quia male gesta synodus id est contra Scripturas sacras, contra doctrinam patrum, contra ecclesiasticas regulas, quam tota merito ecclesia non recepit et praecipue Sedes Apostolica non probavit per bene gestam synodum, id est, secundum Scripturas sanctas, secundum traditionem patrum, secundum ecclesiasticas regulas, pro fide catholica et communione prolatam, quam cuncta recepit ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit, ut debuerit et potuerit immutari, bene vero gestam synodum iuxta supra dictum modum nova synodo nullatenus immutari dam.

e) *Idem, in tractatu* De damnatione nominum Petri et Acacii (a 492-6): 8. Nisi forte confuso iam ordine rerum atque turbato, nec prima nec secunda nec tertia sedes debeat observari vel suscipi secundum antiqua statuta maiorum et sublato capite, ut videmus, omnia

membra vario inter se compugnent certamine... Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beati Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor? utpote qui Dni recordantur sententiam. (Mt. xvi, 18; Lc., xxii, 32; Io. xxi, 7) Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti et beati apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret et una esset Ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius Redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur... Duodecim certe fuere apostoli paribus meritis parique dignitate suffulti. Cumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit ita sanguinis gloriosa effusione decoratus aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi quam ipse benedixit ut a portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit aeterna statione gaudebit, qui vero contempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat iudicii.

351. Gelasianum (s. VI): III. *Item dictum est:* 1. Post has omnes propheticas et evangelicas atque apostolicas quas superius deprompsimus scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod, quamvis universae per orbem catholicae diffusae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit: *Tu es Petrus*, inquiens,... *et in caelo* (Mt. xvi, 18 sq). 2. Addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, *vasis electionis*, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est, et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt.

352. Hormisdas, *in libello professionis fidei addito epistolae* Inter ea quae, *ad episcopos Hispaniae, 2. apr. 517:* Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia

dicentis : *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, etc. (Mt. xvi, 18), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes et Patrum sequentes constituta, anathematisamus omnes haereses, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatum in Concilio EPHESINO a beato CAELESTINO Papa urbis Romae et ab venerabili viro Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite. Similiter anathematizantes et Eutychen et Dioscorum Alexandrinum in sancta Synodo, quam sequimur et amplectimur, CHALCEDONENSI damnatos, quae secuta s. Concilium NICAENUM fidem apostolicam praedicavit. Detestamur et Timotheum parricidam, Aelurum cognomento, discipulum quoque ipsius et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum. Condemnamus etiam et anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam episcopum ab Apostolica Sede damnatum, eorum complicem et sequacem, vel qui in eorum communionis societate permanserint : quia Acacius quorum se communioni miscuit, ipsorum similem iure meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis et omnium suprascriptorum.

Suscipimus autem et probamus epistolas beati LEONIS Papae universas, quas de Christiana religione conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et praedicantes eius omnia constituta. Et ideo spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax Christianae religionis et perfecta soliditas : promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare tentavero, his, quos damnavi, complicem me mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi, et tibi HORMISDAE sancto ac venerabili Papae urbis Romae direxi.

353. JOANNES II, *ep. ad Iustinianum* Inter claras, *24 mart. 534* : Inter claras sapientiae mansuetudinis vestrae laudes, christianissime principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat quod amore fidei, quod caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanae Sedi reverentiam conservatis et ei cuncta subicitis et ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est apostolorum primum, Domino loquente, praeceptum est : *pasce oves meas* (Io. xxi, 17), quam esse vere omnium ecclesiarum caput et patrum regulae et principum statuta declarant et pietatis vestrae reverentissimi testantur affatus[1].

---

1. *Eadem repetit* JOANNES VIII, *ep. 143*, Inter claras, *16 aug. 879*, imperatoribus, PL. 126, 853 (L. 3271).

354. PELAGIUS I a) *in ep. ad Sapaudum episc. Arelatensem* Maiorum nostrorum, *ei vices suas conferens, 3 feb. 557* : ... Caritati tuae per universam Galliam sanctae Sedis Apostolicae cui divina gratia praesidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana testantur scrinia a sanctis patribus et decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum ut illius stabilis petrae sempiterna soliditas supra quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, a solis ortu usque ad occasum, primatus sui apicem, successorum suorum auctoritate, tam per se quam per vicarios suos, firmiter obtineret... Sic ergo participata sollicitudine sanctam Dei universalem Ecclesiam nostri per Dei gratiam rexere maiores.

b) *Idem, occasione schismatis Trium Capitulorum, ep. 26,* Adeone te *ad episcopum (Iohannem?), ca. 560* : Adeone te in summo sacerdotii gradu positum catholicae fefellit veritas matris, ut non statim schismaticum te conspiceres, cum a sedibus apostolicis recessisses? Adeone populis ad praedicandum positus non legeras super Apostolorum principem a Christo Deo nostro Ecclesiam esse fundatam, et ita fundamentum, ut *portae adversus ipsam inferi praevalere* non possent (Mt. xvi, 18)? Quod si legeras, ubinam praeter ipsum esse credebas Ecclesiam, in quo uno omnes scilicet apostolicae sedes sunt? Quibus pariter sicut illi, qui *claves* acceperat, *ligandi solvendique* potestas indulta est (Mt. xvi, 19)? Sed idcirco uni primum quod daturus erat etiam (in) omnibus dedit, ut, secundum beati Cypriani martyris id ipsum exponentis sententiam, una esse monstretur Ecclesia. Quo ergo te, carissime iam in Christo, ab ista divisus errabas, vel quam salutis tuae tenebas spem?

355. PELAGIUS II, *in ep.* Quod ad dilectionem, *ad episcopos schismaticos Istriae, ca. 585* : Nostis enim in evangelio Dominum proclamantem : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te Patrem, ut non deficiat fides tua; et tu conversus confirma fratres tuos* (Lc. xxii, 31 sq).

Considerate, carissimi, quia Veritas mentiri non potuit nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari : nam cum omnes discipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur et ab eo voluit ceteros confirmari : cui etiam pro maiori dilectione, quam prae ceteris Domino exhibebat, *pascendarum ovium* sollicitudo commissa est (Io. xxi, 15 sqq) cui et *claves regni caelorum* tradidit; et super quem *Ecclesiam suam aedificaturum* esse promisit *nec portas inferi adversus eam praevalere* testatus est (Mt. xvi, 16 sqq)

356. GREGORIUS I a) *ep. ad Theodelindam 4, 33 (38), ial. 594* : In vera fide persistite et vitam vestram in petra ecclesiae, id est in con-

fessione beati Petri apostolorum principis, solidate, ne tot vestrae lacrimae tantaque bona opera pereant, si a fide vera inveniuntur aliena. Sicut enim rami sine virtute radicis arefiunt, ita opera, quamlibet bona videantur, nulla sunt si a soliditate fidei disiunguntur.

b) *Idem, ep. 4.41 (43) ad Bonifacium, aug. 594 :* Hortor tamen ut dum vitae spatium superest ab eiusdem beati Petri ecclesia, cui claves caelestis regni commissae sunt et ligandi ac solvendi potestas attributa, vestra anima non inveniatur divisa ne si hic beneficium eius despicitur illic vitae aditum claudat.

c) *Idem, ad Joannem episc. Syracusanum, ep. 9.59 (27 oct. 598) :* De CPna ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicae esse subiectam? Quod et piissimus domnus imperator et frater noster eiusdem civitatis episcopus assidue profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat ut bona quae viderit discere contemnat.

d) *Idem, ad Virgilium ep. Arelatensem, ep. 9 111 (216, iul. 599 :* Quaeque contulit (Childebertus rex) in iure eiusdem monasterii (Arelatensis) epistolis suis apostolica petiit auctoritate firmari, hoc quoque tuae petitioni subiungens ut eidem monasterio tam in dispositione rerum quam in ordinatione abbatis quaedam pariter privilegia largirentur, sciens quippe eam Apostolicae Sedi reverentiam a fidelibus exhiberi ut quae eius fuissent decreto disposita nullius deinceps illicitae usurpationis molestia quaterentur... Nam licet ea quae semel Apostolicae Sedis auctoritate sancita sunt nihil egeant firmitatis, ex abundantia tamen cuncta quae pro huius rei quiete a praedecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus.

e) *Idem, in Decr. 35, q. 9. c 4 :* Apostolicae Sedis sententia tanta semper consilii moderamine concipitur, tanta maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur ut retractatione non egeat nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit ut retractari possit vel immutanda secundum praemissae tenorem conditionis existat.

357. Vitalianus, *ep. ad Theodorum Cantuariensem, ca. 668 :* Ex auctoritate autem beati Petri apostolorum principis cui a Domino nostro potestas data est ligandi atque solvendi in caelo et in terra, nos licet immeriti, eiusdem beati Petri clavigeri regni caelorum vicem tenentes.

358. Agatho *Pp., ex Decr. I, d. 19, c. 2 :* Sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt, tanquam ipsius voce divina Petri firmatae[1].

---

1. Friedberg l. l. existimat esse concilii romani a. 680.

359. Gregorius II, *ex ep. ad Bonifatium, 15 maii 719 :* In nomine indivisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem beati Petri apostolorum principis cuius doctrinae magisterii dispensatione fungimur et locum sacrae sedis administramus.

360. Hadrianus I, *ep.* Pastoralibus curis *ad Tarasium CPnum post 26 octobr. 785 :* Ἀλλ' ἡ ὑμετέρα ὁσιότης τοῖς αὐτοῖς εὐσεβεστάτοις καὶ τροπαιούχοις βασιλεῦσι προθύμως ἀναγάγοι ἵνα ἐν πρώτοις ὁ ψευδοσύλλογος ἐκεῖνος, ὁ γενόμενος χωρὶς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἀτάκτως καὶ ἀσυλλογίστως ἐξ ἐναντίας τῆς τῶν σεπτοτάτων πατέρων παραδόσεως κατὰ τῶν θείων εἰκόνων, ἀναθεματισθῇ παρόντων τῶν ἀποκρισιαρίων ἡμῶν καὶ πᾶν ζιζάνιον ἐκριζωθῇ ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ λόγος πληρωθῇ, ὅτι πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· καὶ πάλιν· Σὺ εἶ Πέτρος ... οὐρανοῖς. Οὗ ὁ θρόνος εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πρωτεύων διαλάμπει, καὶ κεφαλὴ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ ὑπάρχει. Ὅθεν ὁ αὐτὸς μακάριος Πέτρος ὁ ἀπόστολος τῷ τοῦ κυρίου προστάγματι ποιμαίνων τὴν ἐκκλησίαν οὐδὲν παραλέλοιπεν, ἀλλ' ἐκράτησεν πάντοτε καὶ κρατεῖ τὴν ἀρχήν.

361. Leo IV *pallium sibi ab Ignatio CP. oblatum declinans, c. a. 853 :* Quod (pallium superhumerale) a nobis suscipi non potuit quia non est mos istius ecclesiae, cum magistra et caput omnium videatur ecclesiarum existere, aliunde pallium erogatum accipere sed per totam Europam ad quod delegatum est tradere.

362. *Synodus romana, a. 863 :* Cap. 5. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a Sedis Apostolicae praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

363. Nicolaus I a) *ep. ad Hermentrudem, 26 nov. 862 :* Fidelium universitas gentium ex variis mundi partibus cuiuscumque sint ordinis vel notatus, si qua forte criminis noxa vel seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc sanctam omnium terrarum matrem Romanam Ecclesiam ut salutare percipiant remedium recurrunt et ab ea non solum

---

360. Sed vestra sanctitas eisdem piissimis imperatoribus et triumphatoribus alacriter suggerat ut in primis pseudosyllogus ille, qui sine Apostolica Sede inordinate et insyllogistice factus est, adversus venerabilium Patrum traditionem, contra divinas imagines, anathematizatur praesentibus apocrisiariis nostris et omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, et Domini nostri Iesu Christi sermo compleatur, quia *portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Mt. xvi, 18); et rursus : *Tu es Petrus... caelis* (Mt. xvi, 18-19). Cuius sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus apostolus, Domini praecepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit sed tenuit semper et retinet principatum.

animae sed et corporis salvationem ut omnibus patet humili prece suscipere precantur.

b) *Idem, ep.* Proposueramus, *ad Michaelem imp. CP., a. 865*. Ergo saltem nunc non videtis ad maiora semper esse properandum? et quanto magis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius maius culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cuius causa aut a se, negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur, aut solius Dei sine quaestione reservatur arbitrio... [PL. 119, 945-7].

Non ergo dicatis non eguisse vos, in causa pietatis, Romanae Ecclesiae quae collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit, unde quaedam eorum quia consensum Romani Pontificis non habuerunt valetudinem perdiderunt... (947-8). Porro si nos non audieritis, restat, ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Iesus Christus haberi praecepit qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum Ecclesiae Romanae privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus Synodis celebrata atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Itaque potissimum peccat qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiae perpetua sunt, divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque Christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic sanctae Ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei... (948-54) ...quoniam, cum secundum canones, ubi est maior auctoritas iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum: patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. [*Sequuntur auctoritates Bonifacii I et Gelasii I*]. Non negamus eiusdem Sedis sententiam posse in melius commutari, cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam et egregium apostolum Paulum

quaedam fecisse dispensatorie legimus quae postea reprobasse dignoscitur. Quando tamen illa Romana videlicet Ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quae paene [bene] sunt diffinita retractare voluerit [955, cf. 960 A].

c) *Ad Bulgaros* (13 nov. 866): 73. Vos tamen sive patriarcham, sive archiepiscopum, sive episcopum vobis ordinari postulatis, a nemine nunc valle congruentius quam a Pontifice sedis beati Petri a quo et episcopatus et apostolatus sumpsit initium.

106. Verum nos in his non sumus sufficientes sed sufficientia nostra ex Deo est et beatus Petrus qui in sede sua vivit et praesidet dat quaerentibus fidei veritatem. Nam et sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit et sine ruga, nimirum quia ille hanc instituit cuius fidei confessio divinitus exstitit approbata; ad quam videlicet Christianitatis fidem, licet eius mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam, inspirante Deo, ecce scripta nostra et missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus... (illi missi et episcopus futurus) sive nunc sive post haec semper in rebus dubiis et negotiis maioribus Sedem, totius ecclesiae more, consulent Apostolicam.

d) *Idem Decr.* Romana Ecclesia quae magistra est omnium Ecclesiarum.

364. Hadrianus II *ep. ad synodam Tricassinam, 2 feb. 868*: Constitutus super omnem universalis sanctae Ecclesiae terram.

365. Constantinopolitanum IV, *oec. VIII, a. 869-70*: κγ'. Εἴ τις τοιαύτῃ τόλμῃ χρήσαιτο, ὥστε κατὰ τὸν Φώτιον καὶ Διόσκορον ἐγγράφως ἢ ἀγράφως παροινίας τινὰς κατὰ τῆς καθέδρας Πέτρου, τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, κινεῖν, τὴν αὐτὴν ἐκείνοις δεχέσθω κατάκρισιν· εἰ δὲ συγκροτηθείσης συνόδου οἰκουμενικῆς γένηταί τις καὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων ἀμφιβολία, ἔξεστιν εὐλαβῶς καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης αἰδοῦς διαπυνθάνεσθαι περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος καὶ δέχεσθαι τὴν λύσιν καὶ ἢ ὠφελεῖσθαι, ἢ ὠφελεῖν, μὴ μέντοι θρασέως ἀποφέρεσθαι κατὰ τῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἱεραρχῶν.

Can. 21. Dominicum sermonem, quem Christus sanctis Apostolis et discipulis suis dixit, quia: *Qui vos recipit, me recipit* (Mt. x, 40); *et qui vos spernit, me spernit* (Lc. x, 17), ad omnes etiam, qui post eos secundum ipsos facti sunt Summi Pontifices ad pastorum principes in Ecclesia catholica dictum esse credentes, definimus, neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum, qui patriarchalibus sedibus praesunt, inhonorare aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia et honore dignos iudicare; praecipue quidem sanctissimum Papam senioris Romae, deinceps autem Constantinopoleos

patriarcham, deinde vero Alexandriae ac Antiochiae atque Hierosolymorum; sed nec alium quemcumque conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romae ac verba complicare et componere sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum; quod et nuper Photius fecit et multo ante Dioscorus.

Quisquis autem, tanta iactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Photium vel Dioscorum, in scriptis vel sine scriptis, iniurias quasdam contra sedem Petri, Apostolorum principis, moveat, aequalem et eandem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua saeculi potestate fruens vel potens, pellere tentaverit praefatum Apostolicae cathedrae Papam aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romae Pontifices.

3. — Professiones fidei de primatu

Graecis et Orientalibus impositae.

366. *Michaelis Palaeologi (1274) :* Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere: sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri; et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.

367. Clemens VI, *in ep.* Super quibusdam *ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, 29 sept. 1351 :* a) Quaerimus: Primo, si creditis

tu et Ecclesia Armenorum, quae tibi oboedit, omnes illos, qui in baptismo eandem fidem Catholicam receperunt, et postmodum a communione fidei eiusdem Ecclesiae Romanae, quae una sola Catholica est, recesserunt vel recedent in futurum, esse schismaticos et haereticos, si pertinaciter divisi a fide ipsius Romanae Ecclesiae perseverent.

Secundo petimus, si creditis tu et Armeni tibi obedientes, quod nullus homo viatorum extra fidem ipsius Ecclesiae et obedientiam Pontificum Romanorum poterit finaliter salvus esse.

b) In secundo vero capitulo... quaerimus:

Primo, si credidisti, credis vel credere es paratus cum Ecclesia Armenorum, quae tibi obedit, quod beatus Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles Christianos a Domino Iesu Christo: et quod omnis potestas iurisdictionis, quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Thaddaeus et ceteri Apostoli, subiecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati, quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis beatus Petrus ab ipso Domino Iesu Christo accepit: et quod nullus Apostolus vel quicumque alius super omnes Christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit.

Secundo, si credidisti, tenuisti vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subiectis, quod omnes Romani Pontifices, qui beato Petro succedentes canonice intraverunt et canonice intrabunt, ipsi beato Petro Romano Pontifici successerint et succedent in eadem plenitudine, iurisdictione potestatis, quam ipse beatus Petrus accepit a Domino Iesu Christo super totum et universum corpus Ecclesiae militantis.

Tertio, si credidistis et creditis, tu et Armeni tibi subiecti, Romanos Pontifices qui fuerunt, et nos qui sumus Pontifex Romanus, ac illos qui in posterum successive erunt, tanquam legitimos et potestate plenissimos Christi vicarios, omnem potestativam iurisdictionem, quam Christus ut caput conforme in humana vita habuit, immediate ab ipso Christo super totum ac universum corpus militantis Ecclesiae accepisse.

Quarto, si credidisti et credis, quod omnes Romani Pontifices qui fuerunt, nos qui sumus, et alii qui erunt in posterum, ex plenitudine potestatis et auctoritatis praemissae potuerunt, possumus et poterunt immediate per nos et eos de omnibus tanquam de iurisdictioni nostrae ac eorum subditis iudicare et ad iudicandum quoscumque voluerimus ecclesiasticos iudices constituere et delegare.

Quinto, si credidisti et credis, quod in tantum fuerit, sit et erit suprema et praeeminens auctoritas et iuridica potestas Romanorum Pontificum qui fuerunt, nostri qui sumus, et illorum qui in posterum erunt, ut a nemine iudicari potuerint, potuerimus neque in posterum poterunt; sed soli Deo iudicandi servati fuerint, servemur et servabuntur: et quod

a sententiis et iudiciis nostris non potuerit neque possit nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari.

Sexto, si credidisti et adhuc credis, plenitudinem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum, quod patriarchas, catholicon, archiepiscopos, episcopos, abbates et quoscumque praelatos alios de dignitatibus, in quibus fuerint constituti, possit ad alias dignitates maioris vel minoris iurisdictionis transferre, vel exigentibus eorum criminibus ipsos degradare et deponere, excommunicare et Sathanae tradere.

Septimo, si credidisti et adhuc credis, Pontificialem auctoritatem non posse nec debere subici cuicumque imperiali et regali aut alteri saeculari potestati, quantum ad institutionem iudicialem, correctionem vel destitutionem.

Octavo, si credidisti et credis, Romanum Pontificem solum posse sacros generales canones condere, plenissimam indulgentiam dare visitantibus limina Apostolorum Petri et Pauli vel ad Terram Sanctam accedentibus, aut quibuscumque fidelibus vere et plene paenitentibus et confessis.

Nono, si credidisti et credis omnes qui se contra fidem Romanae Ecclesiae erexerunt et in finali impaenitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse et ad perpetua infernorum supplicia descendisse.

Decimo, si credidisti et adhuc credis, Romanum Pontificem circa administrationem sacramentorum Ecclesiae, salvis semper illis, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum, posse diversos ritus Ecclesiarum Christi tolerare et etiam concedere ut serventur.

Undecimo, si credidisti et credis, Armenos, qui Romano Pontifici in diversis partibus orbis oboediunt et formas et ritus Romanae Ecclesiae in administratione sacramentorum et in ecclesiasticis officiis, ieiuniis et aliis caerimoniis studiose et cum devotione observant, bene agere et ita agendo vitam aeternam mereri.

Duodecimo, si credidisti et credis, neminem de dignitate episcopali ad archiepiscopalem, patriarchalem vel catholicon posse transferri auctoritate propria, nec etiam auctoritate cuiuscumque principis saecularis, sive rex fuerit sive imperator, vel quicumque alius fultus qualicumque potestate et dignitate terrena.

Tertiodecimo, si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et Catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum : et quod determinat esse falsum et haereticum, sic censendum.

Quartodecimo, si credidisti et credis Novum et Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.

368. FLORENTINUM, *Decr. pro Graecis (1439)* : Item, diffinimus sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse ; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.

Eadem insunt in GREGORII XIII *fide pro Graecis et* BENEDICTI XIV *pro Orientalibus, omissa voce* diffinimus.

4. — De Romano Pontifice et Conciliis Oecumenicis.

369. CIC., c. 222 : § 1 Dari nequit Concilium Oecumenicum quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum. § 2. Eiusdem Romani Pontificis est Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare. — c. 227. Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata. — c. 228. § 1. Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate. § 2. A sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium Oecumenicum appellatio.

370. *Haec appellatio, iam damnata est a Pio II in bulla* Exsecrabilis, *18 ian. 1460* : Exsecrabilis et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Iesu Christi vicario, — cui dictum est in persona beati Petri : *Pasce oves meas* (Io. XXI 17), et : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* (Mt. XVI, 19), nonnulli, — spiritu rebellionis imbuti, non senioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare praesumant... Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere.. huiusmodi provocationes damnamus et tanquam erroneas ac detestabiles reprobamus.

371. *Item de relatione inter Romanum Pontificem et Concilia, haec* LEO X *in bulla* Pastor aeternus, *Lateran. V, s. XI, 19 dec. 1516* : Nec illud nos movere debet, quod Sanctio ipsa, et in ea contenta, in Basiliensi Concilio edita... fuerunt..., cum ea omnia post translationem eiusdem Basileensis Concilii a Basileensi conciliabulo facta exsti-

terint ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam, praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet. Cf. *nunc* Pius XI, *enc.* Lux veritatis, *25 dec. 1931, de oecumenica synodo Ephesina*, §. Atque heic intente (AAS, 1931, 498 sq.)

372. CIC, *c. 229:* Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit.

5. — De Romano Pontifice et episcopis.

373. CIC, c. *329, § 1:* Episcopi sunt apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis. — § 2. Eos libere nominat Romanus Pontifex. — c. 1431. Ius Romano Pontifici est beneficia in universa Ecclesia conferendi eorumque collationem sibimet reservandi. *Adde supra n. 286-90 et infra n. 389-92.*

6. — Errores varii de Romano Pontifice.

374. **Marsilii Patavini** *et* **Ioannis de Ianduno**, *damnatus a* Ioanne XXII *(1327):* 2. Quod beatus Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem vicarium suum fecit.

375. **Wicleff**, *damnati a* Martino II *et* Constantiense *in bulla* Inter cunctas, *22 feb. 1418:* 8. Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare. — 9. Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis. — 37. Ecclesia Romana est synagoga Satanae, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum. — 40. Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta. — 41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

376. **Ioannis Hus**, *ab iisdem*. 7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae. — 9. Papalis dignitas a Caesare inolevit

et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit. — 10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis. — 11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit. — 12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus: cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas. — 13. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Iudae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Iesu Christi. — 20. Si Papa est malus et praesertim, si est praescitus, tunc ut Iudas, apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum eius. — 22. Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro. — 23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium; quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; immo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei. — 24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Iudas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium. — 26. Non eo ipso, quod electores, vel maior pars eorum consenserint viva voce secundum ritum hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde, sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem. — 27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur. — 29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem iudicii.

377. *Hinc interrogationes propositae Wicleffitis et Hussitis,*

ab iisdem : 23. Item, utrum credat quod beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram. — 24. Item, utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. — 25. Item, utrum credat auctoritatem iurisdictionis Papae, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat.

378. Petri de Osma, *damnati a* Sixto IV, *in bulla* Licet ea, *9 aug. 1479 :* 6. Papa non potest indulgere alicui vivo [*al.* : viro] poenam purgatorii. — 7. Ecclesia urbis Romae errare potest. — 8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiae.

379. Lutheri *a* Leone X, *in bulla* Exsurge, *15 iunii 1520 :* 25. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus. — 26. Verbum Christi ad Petrum : *Quodcumque solveris super terram* etc. (Mt. XVI) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro. — 27. Certum est, in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum seu bonorum operum. — 28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. — 29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

380. *De Petro et Paulo capite Ecclesiae,* Innocentius X, *in decr. S. Officii, 24 ian. 1647 :* Sanctissimus, relata unanimi theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, et auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc : S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt, vel : sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti, vel : sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel : sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, — ita explicatam ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, haereticam censuit et declaravit. *Adde supra n. 306.*

381. *Aliquo tamen sensu Paulum Petro sociari in regenda*

Ecclesia Nicolaus I *docet his verbis in ep.* Proposueramus *ad Michaelem imperatorem, a. 865 :* Cui, sancto scilicet Petro, addita est societas beatissimi Pauli, vasis electionis, magistri veritatis, cui iugiter imminebat omnium Ecclesiarum sollicitudo (II Cor. XI, 28). Hi ergo tanquam duo luminaria magna caeli in Ecclesia Romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt et Occidens, eorum praesentia, veluti rutilante sole, tam per se nitorem dante quam per discipulos suos, quasi quosdam radios lucis micante, factus est Oriens, quique, non postquam mortui sunt, Romam a principibus sunt delati, ut Romanae Ecclesiae maiorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos [CP] non rationabiliter sed potentialiter actum est, videlicet ut Ecclesiae ceterae patronis suis privarentur et sola CP spoliis et opibus quas violenter abstulit, ditaretur; sed Romam in carne venientes, vitae verbum evangelizantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes et in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam Romanam Ecclesiam roseo cruore suo consecraverunt, et hanc non habentem maculam, aut rugam aut aliquid huiusmodi exhibentes, Deo Domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt, per beatum scilicet Marcum, unius horum filium ac discipulum. Haereditas quippe filii in potestate parentis exsistit et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus praesentia corporali et Ecclesiam Antiochenam iam suam, quae, sicut beatus papa dicit Innocentius (ep. XI) urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres praecipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo beatorum apostolorum principum Petri et Pauli procul dubio moderamen exspectat. Pro quibus patribus nos divinitus, incremento gratiae ministrato, nati sumus filii et constituti, licet eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est super universam Ecclesiam. Terra enim Ecclesia dicitur, sicut scriptum est : *Non sic impii non sic sed tamquam pulvis quem proicit ventus a facie terrae* (Ps. I, 4). Quae, sicut sanctus Augustinus exponit, Ecclesia intelligitur. Heredes quippe horum effecti, facultatem potestatis quam a Domino perceperunt et onus sollicitudinis nihilominus capessere nos oportet. Proinde animadvertendum est quia non Nicaena, non denique ulla synodus, quidquam Romanae contulit Ecclesiae privilegium, quae in Petro noverat eam totius iura potestatis pleniter meruisse et cunctorum Christi ovium regimen accepisse. *Adde supra n. 351.*

382. *Articuli* **Cleri Gallicani** *damnati ab* Alexandro VIII *in Const.* Inter multiplices, *4 aug. 1690 :* 1. Beato Petro eiusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et

ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Io. XVIII, 36), et iterum: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* (Lc XX, 25), ac proinde stare Apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (Rom. XIII, 1). Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam Imperio utilem ut verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.

2. Sic inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata ipsorumque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur, nec probari a Gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant.

3. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae propriam stabilitatem obtineant.

4. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

Damnatio: Omnia et singula, quae tam quoad extensionem iuris regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica ac quattuor in ea contentas propositiones in supradictis comitiis cleri Gallicani a. 1682 habitis acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, delarationibus, epistolis, edictis et decretis a quibusvis personis sive ecclesiasticis sive laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate, etiam individuam expressionem requirente, fungentibus, editis seu publicatis etc. ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad

illorum seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri... tenore praesentium declaramus (*infra* n. 386).

383. *Propositiones damnatae ab* Alexandro VIII, *S. Off. 7 dec. 1690:* 29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate. — 30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam. — 31. Bulla Urbani VIII « In eminenti », est subreptitia.

384. Febronianismus *damnatus a* Pio VI, *brevi* Super soliditate, *28 nov. 1786:* Et sane cum, monente Augustino, in cathedra unitatis posuerit Deus doctrinam veritatis, contra infelix iste scriptor *(Eybel)* nil non molitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, qua in sede constitutam Patres unanimi sensu cathedram eam coluere, qua in una unitas ab omnibus servaretur; e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant; ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles convenire. Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse, qui claves regni caelorum cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit: eundem porro vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, iudicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni caelorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves communicandas ceteris, post Tertullianum, Petrum solum accepisse, Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot sollemnia totiesque repetita Pontificum Conciliorumve decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarent, in beato Petro Apostolorum principe, successorem eius Romanum Pontificem constitutum a Deo caput Ecclesiae visibile ac vicarium Iesu Christi, eiregendae Ecclesiae plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui christiano nomine censentur, obedientiam deberi; atque vim eam esse primatus, quem divino iure obtinet, ut ceteris episcopis non honoris tantum gradu, sed et supremae potestatis amplitudine antecellat? Quo magis deploranda est praeceps ac caeca hominis temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit ac per multas ambages passim insinuarit quemlibet episcopum vocatum a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam Papam, nec minore praeditum esse potestate; Christum eandem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse; quidquid aliqui credant obtineri et concedi solum a Pontifice, posse

idipsum, sive a consecratione sive ab ecclesiastica iurisdictione pendeat perinde obtineri a quolibet episcopo : voluisse Christum Ecclesiam reipublicae more administrari; ei quidem regimini opus esse praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare, privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia; vim primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo; Pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu; Pontificem caput esse, quod vim suam ac firmitatem teneat ab Ecclesia; licitum sibi fecisse Pontifices violandi iura episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quae singulatim recenset atque velut indebitas ac episcopis iniuriosas reservationes traducit.

385. Pius VI *in damnatione* Synodi Pistoriensis *ex bulla* Auctorem fidei, *28 aug. 1794:*

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

3. Insuper, quae statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia : — haeretica.

386. *Et in fine :* Neque silentio praetereunda insignis et fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab Apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682 (n. 382) ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et sollemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam praedecessoribus Nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem, quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor Noster venerabilis Innocentius XI per litteras in forma Brevis die 11 aprilis anni 1682, post autem expressius Alexander VIII Constitutione *Inter multiplices*, die 4. augusti anni 1690, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam ac praesertim post edita praedecessorum Nostrorum decreta huic Apostolicae Sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

387. Pii IX S *(1864) :* 23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt (Litt. *Ad apostolicae* 22 aug. 1851).

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit (Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851).

35. Nihil vetat alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri (Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851).

36. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest (Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851).

37. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae (Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860; Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861).

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt (Lit. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851).

388. DL. Pii X *(1907) ;* 55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est, sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia. — 56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

C) De ceteris hierarchiae membris.

1. — De episcopis [1].

389. *De eorum origine.* Clemens I, *ib. :* 42. Οἱ ἀπόστολοι ἡμῖν εὐηγγελίσθησαν ἀπὸ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐξεπέμφθη... Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς

---

389 Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo; Iesus Christus missus est a Deo... Per regiones igitur et urbes verbum

1. Adde n. 280-90 et 373.

ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.

390. *De unitate in unaquaque dioecesi.* CORNELIUS I, *occasione schismatis novatianorum, ep.* ἵνα δὲ γνῷς, *ad Fabium episc. Antiochenum, a. 251* : Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ; ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει (πῶς γάρ;) πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτά, ὑποδιακόνους ἑπτά, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα, χήρας σὺν θλιβομένας ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας.

391. *Quare ipsi schismatici ad unitatem reversi hanc libellum obtulerant (refert ipse Cornelius in ep.* Quantam sollicitudinem, *ad Cyprianum episc. Carthag., a. 252)* : Nos Cornelium episcopum sanctissimae Ecclesiae catholicae, electum a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scimus; nos errorem nostrum confitemur; imposturam passi sumus; circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa, nam tametsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, cor tamen nostrum semper in Ecclesia fuit; nec enim ignoramus, unum Deum esse et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Sanctum Spiritum, unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere.

392. *De eorum munere et iuribus*, CIC *c. 335 § 1.* Ius ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda. — *c. 1326.* Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt.

2. — De Patriarchis[1].

393. GELASIANUM (s. VI), III :

3. Est ergo prima Petri Apostoli sedes, Romana Ecclesia, *non habens maculam, nec rugam, nec aliquid eiusmodi* (Eph. v, 27).

praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant.

390. Ille ergo evangelii vindex (Novatianus) ignorabat, unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica in qua non eum latebat (quomodo enim latere posset?) presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis plus mille quingentas.

1. Adde n. 365 et 381.

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo et evangelista consecrata est ipseque in Aegypto directus a Petro apostolo verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam beatissimi Petri Apostoli habetur honorabilis eo quod illic priusquam Romae venisset habitavit et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est.

394. INNOCENTIUS III, *Maximo notario, 18 aug. 1212* : Scriptum est in Apocalypsi Ioannis quod in medio sedis et in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis ante et retro... Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur quae usitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur, utique sedes agni, sedes viventis in saecula saeculorum, in medio eius quasi filiae in gremio resident et in circuitu adstant quasi famulae in obsequio quatuor patriarchales Ecclesiae, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana et Constantinopolitana, quae per illa quatuor animalia designantur... [propter evangelistas Marcum, Lucam, Matthaeum et Ioannem, qui asianam fundavit Ecclesiam]... Sic CP ecclesia licet posterior tempore, postmodum propter honorificentiam piissimi Constantini praelata est aliis dignitate[1].

395. LATERANENSE IV, *oecum. XII, 1215* :

Cap. 5. De dignitate Patriarcharum.

Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat.

396. EUGENIUS IV, *Decr. pro Graecis, bulla* Laetentur, *1439* : Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum ut patriarcha CPnus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum.

3. — Ceteri ordines.

397. CIC : *c. 491.* Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regulari-

1 Cf. eadem fere in ep. ad CP patriarcham, 2 aug. 1206 (P 2860, PL 215, 959).

bus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus dioecesanis. § 2. At clerus saecularis praecedit tum laicis, tum religiosis extra eorum ecclesias atque etiam in eorum ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiate eisdem praecedit ubique locorum.

4. — De religiosis.

398. CIC: *c. 487*. Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.— *c. 499* § *1*. Religiosi omnes tamquam supremo superiori subduntur Romano Pontifici cui oboedire tenentur etiam vi voti obοedientiae.

5. — De laicis.

399. *Fides pro Waldensibus* (Innocentius III, *1207*): Remanentes in saeculo et sua possidentes, eleemosynas et cetera beneficia ex suis rebus agentes, praecepta Domini servantes, salvari fatemur et credimus.

D). Errores de Ecclesiae constitutione et hierarchia.

1. — In genere.

400. Abaelardi (Senonense, *1141*): 12. Quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus.

401. Beguardorum (Viennense, *1311-12*): 3. Quod illi, qui sunt in praedicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanae subiecti oboedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur; quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas.

402. Fraticellorum (Ioannes XXII, *1318*): Primus itaque error, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, effluentem divitiis [*al.* deliciis], sceleribus maculatam, cui Romanum praesulem aliosque inferiores praelatos dominari asserunt; aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendaciis, principantur... — 2. Secundus error, quo praedictorum insolentium conscientia maculatur, venerabiles Ecclesiae sacerdotes aliosque ministros sic iurisdictionis et ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre, nec sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant vel docere, illos fingentes omni ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderint alienos: quia apud ipsos solos (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitae sanctitas, sic auctoritas perseverat, in qua re Donatistarum sequuntur errorem.

403. Marsilii Patavini *et* **Ioannis de Ianduno** (Ioannes XXII, *1327*): 4. Quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi auctoritatis et iurisdictionis aequales.

404. Wicleff (Martinus V *et* Constantiense, *1418*): 14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae sive episcopi catholici. — 15. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. (*Idem* 30, Io. Hus). — 23. Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

405. Ioannis Hus *(id.)*: 1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas. — 2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles. — 3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidet. — 5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis. — 6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non secundum praesentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei. — 8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis, et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus. — 15. Obοedientia ecclesiastica est obοedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae. — 28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

406. *Hinc interrogationes* **Wicleffitis** *et* **Hussitis** *(id.)*: 5. Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium generale, et

etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet. — 6. Item, utrum credat quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentans, approbavit et approbat in favorem fidei, et ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum et tenendum : et quod condemnavit et condemnat esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab iisdem esse tenendum pro condemnato, credendum et asserendum. — 37. Item, utrum credat quod liceat laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus, libere praedicare verbum Dei. — 38. Item, utrum credat quod singulis sacerdotibus libere liceat praedicare verbum Dei, ubicumque, quandocumque et quibuscumque placuerit, etiam si non sint missi — 39. Item, utrum credat quod omnia peccata mortalia, et specialiter manifesta, sint publice corrigenda et exstirpanda.

407. **Quesnel** (Clemens XI, *1713*): 72. Nota Ecclesiae christianae est quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos caeli et omnes electos et iustos terrae et omnium saeculorum. — 73. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam, et exspectantium gratiam futuri saeculi ? — 74. Ecclesia sive integer Christus incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra. — 75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona ; unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator. — 76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei : quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt. — 77. Qui non ducit vitam dignam filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite. — 78 Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus Iudaicus et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium quam non credendo Evangelio

408. **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, *Auctorem fidei*, *1794*) :

De potestate *communitati Ecclesiae* attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

2. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum;* sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas ; — *haeretica.*

Iura *episcopis* praeter fas attributa.

409. 6. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis :* perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia : — schismatica, ad minus erronea.

7. Item, in eo quod hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem ;* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei et maiori aedificationi fidelium ;* per id quod supponit, episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae et vim legis obtinent : — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *iura episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et ubi contigerit, horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originalia sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae ;* in eo, quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiore potestate praepediri aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae ecclesiae : — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

Ius perperam tributum *inferioris ordinis sacerdotibus* in decretis fidei et disciplinae.

410. 9. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum :* — falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aërianae a Calvino innovatae.

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto : — falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

11. Sententia enuntians, vetere maiorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae, etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et appro-*

batae a synodo dioecesana : — falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate oboedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

De coagmentatione *corporis Ecclesiae.*

411. 15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;* intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate : — haeretica.

412. 77. Item, in eo quod subdit *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;* quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae et probatae obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis : — propositio falsa, temeraria, erronea.

78. Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinae,* subiungit *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum;* quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum : — falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.

De nationali concilio convocando.

413. 85. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem ; sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in ecclesia quacumque subortae per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret, — schismatica, haeretica.

2. — Errores de religiosis.

414 Alexander IV, *bulla* Romanus Pontifex, *in damnatione libri* Gulielmi de S. Amore, *5 oct. 1256, post multa de sollicitudine et curis Summorum Pontificum, pergit :* Sane quidam Scripturae sacrae intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, cogitaverunt nuper malitiam et contra innocentes et rectos iniquitatem maximam sunt locuti, exarserunt in cordibus suis, et lingua eorum maliloqua dolum et nequitiam concinnavit; surgentes adversus fratres detraxerunt, et contra dilectos matris ecclesiae filios scandalum posuere. Prodiere, inquam, et in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt libellum quendam valde perniciosum et detestabilem temere componentes, libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem, non veritatis, sed mendacii, non eruditionis, sed derogationis, non monentem sed mordentem, non instruentem veraciter, sed fallentem, quem nos ad sedem delatum apostolicam venerabili fratri Odoni episcopo Tusculano et dilectis filiis nostris Joanni tit. Sancti Laurentii in Lucina et Hugoni tit. Sanctae Sabinae presbyteris, et Joanni Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinalibus examinandum commisimus, ut plene ipsum inspicerent, et universa contenta in eo perfecte attenderent et discuterent diligenter.

Quo studiose perlecto et mature ac districte examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quia in ipso quaedam perversa et reproba contra potestatem et auctoritatem Romani pontificis, et coepiscorum suorum; et nonnulla contra illos, qui propter Deum sub artissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes; alia vero contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter et sacris studiis procurantes multos in ecclesia Dei operantur spirituales profectus, et magnum faciunt ibi fructum, quaedam autem contra salutem pauperum seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dilecti fratres Praedicatores et Minores, qui vigore spiritus saeculo cum suis divitiis derelicto ad solam caelestem patriam tota intentione suspirant; necnon et alia plura inconvenientia digna utique confutatione ac confusione perpetua manifeste comperimus contineri; qui etiam idem libellus magni scandali seminarium et multae turbationis materia exsistebat et inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret a devotione solita et consueta eleemosynarum largitione ac a conversione et religionis ingressu fideles : nos libellum eundem, qui sic incipit : « Ecce videntes clamabunt foris », quique secundum ipsius titu-

lum : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, nuncupatur, tamquam iniquum, scelestum et exsecrabilem, et institutiones ac documenta in eo tradita utpote prava, falsa et nefaria de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica reprobamus et in perpetuum condemnamus, districte praecipientes ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem et condemnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parte comburere et abolere procuret. Et in illos qui huius nostri praecepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, firmiter in virtute obedientiae prohibendo, ne quisquam praedictum libellum ore apostolico iam damnatum approbare vel quomodolibet defensare praesumat Si quis praesumpserit, tanquam contumax, inobediens et rebellis Romanae ecclesiae ab omnibus fidelibus habeatur.

415. *Inter articulos quos delegati Parisienses, mag. Odo de Duaco et Christianus canonicus Belvacensis, se observaturos esse iurarunt, 23 oct. 1256, dicitur :* Quinto, quod tam in Romana curia quam Parisius bona fide ac sine fraude non adiciendo aliquid scienter, quod sapiat aliquid principaliter vel consequenter, sed ista quae eis in hoc articulo iniunguntur praedicent publice et in civitate Parisiensi pluries et in diversis locis, et asseverent fideliter in ipsis praedicationibus infrascripta, scilicet, quod reprobent libellum in ipsis predicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, et errores in praedicationibus asserant et ipso contentos, qui sunt contra infrascripta, quae in ipsis praedicationibus asserant et affirment, videlicet;

de potestate Romani pontificis, quod possit praedicatores et confessores mittere ubique per mundum iuxta suae beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum praelatorum quorumcumque seu parochialium sacerdotum;

item quod archiepiscopi et episcopi in suis dioecesibus licentiam dare possint praedicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quod ipse praedicatores et confessores sic missi possint libere praedicare et licite confessiones audire ac absolvere paenitentes;

item de mendicitate quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis;

item quod religiosi pauperes, qui omnia relinquunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, legendo, disputando, praedicando;

item quod ea quae continebantur in libello praedicto et quibusdam articulis a magistro Christiano praefato confectis, quae explicite vel implicite videbantur seu poterant in praedictorum ordinum infamiam

redundare, sicut de pseudoprophetis et apostolis et de nuntiis antichristi, de penetrantibus domos et periculis novissimorum temporum, non intelligant nec intellexerunt de fratribus ordinum praedictorum, quod tales ipsi sint vel fuerint vel etiam sint futuri, sed fateantur ordines ipsos esse bonos et ab Ecclesia approbatos et inter cetera asserant et affirment quod Deus hoc ipsum per manifesta iudicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula, scilicet quae per sanctos utriusque ordinis sanctorum catalogo per Romanam ecclesiam canonice, legitime, fideliter ac rite adscriptos, est misericorditer operari dignatus.

416. *Errores* **Wicleff** (MARTINUS V *et* CONSTANTIENSE (*1418*) : 20. Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto. — 21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei. — 22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt. — 23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana. — 24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem. — 31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici. — 34. Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati. — 35. Ingredientes religionem aut aliquem ordinem eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum caelorum, nisi apostataverint ab iisdem. — 44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi paenituerint de hoc quod habuerunt possessiones et instituerunt et intraverunt religiones : et sic, a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici. — 45. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.

417. *Interrogationes pro* **Wicleffitis** *et* **Hussitis**. — 30. Item utrum credat religiones ab Ecclesia approbatas, a sanctis Patribus rite et rationabiliter introductas.

417 bis. *Error* **Lutheri** (*1520*) : 41. Praelati ecclesiastici et principes saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

418. **Synodus Pistoriensis** (PIUS VI, *1794*) :

De *tribus regulis*, fundamenti loco a synodo positis *pro reformatione regularium*.

80. Regula I, quae statuit universe et indiscriminatim : *statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsismet vitae monasticae principiis :* — falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto, pro-

bato Ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria : quasi *monachi, quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat*, non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *clericorum officiis aggregentur* (ex S. Siricii epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13).

81. Item, in eo, quod subiungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset : — scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, *multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem*, item, in eo quod praemittit regularium *fundatores*, qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;* intellecta de ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat : — falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices iniuriosa.

83. Regula III, qua, postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin vere sit pars eiusdem parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum*, subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias, civili reipublicae periculosas et noxias : — falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad religionis profectum approbatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

De *systemate* seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa, *pro reformatione regularium*.

84. Art. I. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris regula Sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam tum ob praeclara illius ordinis merita, sic tamen ut in his quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-Regium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat;*

Art. II. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint; nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo initiandi tanquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

Art. III. *Unam tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum;*

Art. IV. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam si cui libuerit litterarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem; quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantundem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium;*

Art. V. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum caritatis expulit;*

Art. VI. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio et christianismi ornamentum extiterunt; vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus;*

Art. VII. *Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio;*

Art. VIII. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula n. 2 statuta, sic tamen, ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una aut ad summum duae in diem Missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

Item *pro reformatione monialium.*

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda; moniales solidis exercitationibus, speciatim labori, addicendae, a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae; expendendum utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui.

Systema vigentis atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum, etiam generalium, tum speciatim Tridentini sanc-

tionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta, stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

419. *Error* **Americanismi** *de vita religiosa, damnatus a* LEONE XIII, *ep. Testem*, 22 *ian.* 1899. — Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam *passivae* appellantur, pronum erat sequi ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse, coniicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere.

Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiae facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito: nam qui, a Deo vocati, illud sponte sua amplectuntur, non contenti communibus praeceptorum officiis, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hocne debilium esse animorum putabimus? aut ad perfectiorem vitae modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis iactura remoti, ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe *qua Christus nos liberavit* (Gal. IV, 31).

Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem aut non omnino aut parum Ecclesiae iuvandae esse, praeterquam quod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unus certe sentiet, qui Ecclesiae annales evolverit. Ipsae vestrae foederatae civitates num non ab alumnis religiosarum familiarum fidei pariter atque humanitatis initia habuerunt? quorum uni nuper, quod plane vobis laudi fuit, statuam publice ponendam decrevistis. Nunc vero, hoc ipso tempore, quam alacrem, quam frugiferam catholicae rei religiosi coetus, ubicumque ii sunt, navant operam! Quam pergunt multi novas oras Evangelio imbuere et humanitatis fines propagare; idque per summam animi contentionem summaque pericula! Ex ipsis, haud minus quam e clero cetero, plebs christiana verbi Dei praecones conscientiaeque moderatores, iuventus institutores habet, Ecclesia denique omnis sanctitatis exempla. Nec discrimen est laudis inter eos qui actuosum vitae genus sequuntur, atque illos qui, recessu delectati, orando afflictandoque corpori vacant. Quam hi etiam praeclare de hominum societate meruerint, mereant, ii norunt profecto qui, quid ad placandum conciliandumque Numen possit *deprecatio iusti assidua* (Iac. v, 16), minime ignorant, ea maxime quae cum afflictatione corporis coniuncta est.

Si qui igitur hoc magis adamant, nullo votorum vinculo, in coetum unum coalescere, quod malint, faxint; nec novum id in Ecclesia nec improbabile institutum. Caveant tamen ne illud prae religiosis Ordinibus extollant; quin potius, cum modo ad fruendum voluptatibus proclivius, quam ante, sit hominum genus, longe pluris ii sunt habendi, *qui relictis omnibus, secuti sunt Christum* (Lc. v, 11).

III

DE POTESTATE IUDICIARIA ET COACTIVA ECCLESIAE

(A In genere.

420. CIC, c. *1552*, § 1 : Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio. — c. *1553*, § *1* : Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit : 1° de causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas ; 2° de violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem , 3° de omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680. — § 2. In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni. — c. *1556* : Prima sedes a nemine iudicatur. — c. *1569*, § *1* : Ob primatum Romani Pontificis, integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere. — c. *1597* : Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 1569 iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos. — c. *1999* : Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum unius Sanctae Sedis iudicio reservantur.

421. CIC, c. *2198* : Delictum quod unice laedit Ecclesiae legem, natura sua, sola ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum iudicaverit, auxilio brachii saecularis; delictum quod unice laedit legem societatis civilis, iure proprio, salvo praescripto can. 120, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati; delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest. — c. *2214*, § *1* : Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a

qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos, poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus. — § *2* : Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid. sess. XIII *de ref.* cap. 1 : « Meminerint[1] Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant , elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant ; ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia · cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas ; plus exhortatio, quam commination; plus caritas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur ; et qui correcti fuerint, emendentur ; aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur. »

B) Documenta quaedam antiqua.

422. *Notum est Ecclesiam de iis qui foris sunt non iudicare* (I Cor. v, 12), *his vero qui baptismate filii sui effecti sint opem omni ratione ferre ut salutem consequantur eosque non tantum orationibus, monitis, consiliis, sacramentis verum etiam interdum minis et poenis quoque ne deteriores fiant iuvare. Quare prout rei circumstantiae requirunt, mox suavitatem mox rigorem in agendo tum commendant tum etiam ipsi exhibent RR. PP. et Concilia.*

1. — De infidelibus et Iudaeis.

423. *Non vi sed bonis artibus utendum non semel declaravit* S. Gregorius Magnus. *Sic in ep. ad Petrum episc, Terracinensem,*

1. *Sic incipit Tridentinum:* intendens nonnulla statuere quae ad iurisdictionem pertineant episcoporum, ut, iuxta proximae sessionis decretum, illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos regere, et in vitae ac morum honestate continere potuerint; illud primum eos admonendos censet ut se pastores, non percussores esse meminerint... (Cf. S. Gregorius Magnus, infra, n. 436.)

m. mart. 591 : Hos enim qui a Christiana religione discordant mansuetudine, benignitate admonendo, suadendo ad unitatem fidei necesse est congregare ne quos dulcedo praedicationis et praeventus futuri iudicii terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur. Oportet ergo magis ut ad audiendum de vobis verbum Dei benigne conveniant quam austeritate quae supra modum extenditur expavescant.

424. *Idem, in ep. ad Virgilium episc. Arelatensem et Theodorum Massiliensem, m. iun. 591* : Actum est ut uno in tempore et quae decebant de dilectione proximitatis fraternae persolverem et quorundam querimoniam quae ad nos perlata est quomodo errantium animae salvandae sint, non tacerem. Plurimi siquidem iudaicae religionis viri in hac provincia commanentes ac subinde in Massiliae partes pro diversis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam multos consistentium in illis partibus Iudaeorum vi magis ad fontem baptismatis quam praedicatione productos. Nam intentionem quidem huiuscemodi et laude dignam censeo et de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eandem intentionem nisi competens Scripturae sacrae comitetur effectus timeo ne aut mercedis opus exinde non proveniat aut iuxta aliquid animarum quas eripi volumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur.

Fraternitas ergo vestra huiusmodi homines frequenti praedicatione provocet quatenus mutare veterem vitam magis de doctoris suavitate desiderent. Sic enim et intentio nostra recte perficitur et conversi animus ad priorem demum vomitum non mutatur. Adhibendus ergo est illis sermo qui et errorum in ipsis spinas urere debeat et praedicando quod in his tenebrescit illuminet ut pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas vestra capiat et eos quantum Deus donaverit, ad novae regenerationem vitae perducat.

425. *Iterum, m. sept. vel oct. 591, de aliis iudaeis, ad Bacaudam et Agnellum episcopos scribit* : Praedictos vero hebraeos gravari vel affligi contra rationis ordinem prohibemus. Sed sicut romanis vivere legibus permittuntur, annuente iustitia actosque suos ut norunt nullo impediente disponant. Eis tamen christiana mancipia habere non liceat.

426. TOLETANUM IV, *c. 57* : De Iudaeis autem hoc praecepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre : *cui enim Deus vult miseretur et quem vult indurat* (Ro. IX, 18). Non enim tales inviti salvandi sunt sed volentes ut integra sit forma iustitiae. Sicut

enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia Dei propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi sed propria arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. — Qui autem iampridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia iam constat eos esse sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam percepisse et chrismate unctos esse et corporis Domini et sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt tenere cogantur ne nomen divinum blasphemetur et fides quam susceperunt vilis ac contemptibilis habeatur.

427. NICOLAUS I, *ad Bulgaros (866)* : 41. De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt et idolis immolant vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus et ratione illos potius quam vi quod vane sapiant convincatis... Porro illis violentia ut credant nulla inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest; scriptum est enim *voluntarie sacrificabo tibi* et rursus *voluntaria*, inquit *oris mei beneplacita fac Domine* et iterum *et ex voluntate mea confitebor illi* (Ps. LIII, 8; CXVIII, 108; XXVII, 7); ultronea quippe Deus obsequia et exhiberi tantum ab ultroneis praecipit, nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiae illius resistere potuisset... Propter conscientiam ergo magnopere idola colentium cavenda est omnino communio, nam qui idololatris communicat ipsis idolis, immo daemoniis, communicare videtur. — Cf. 102 : non esse inferendam pagano violentiam ut christianus fiat, supra docuimus.

2. — De haereticis et apostatis.

428. *Aliter agendum esse cum* haereticis *docet* INNOCENTIUS I *in epistola 41, ad Laurentium episcopum, a. incert. (401-17)* : (Photiniani) ne alterius debacchandi habeant facultatem et animas simplicium ac rusticanorum secum in gehennam cui destinati sunt trahant, actum est adversus eos a defensoribus Ecclesiae nostrae quo eos possint expellere, ut qui Christum Deum ex Patris substantia ante saecula negant genitum, hi cum Iudaeis qui eius deitatem negaverunt et nunc usque negant participium habeant damnationis.

429. *Sic de* Christianis paganizantibus, GREGORIUS MAGNUS, *ep. ad Brunigildam sept. 597* : Hoc quoque pariter hortamur ut et ceteros subiectos vestros sub disciplinae debeatis moderamine restringere ut idolis non immolent, cultores arborum non exsistant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant, quia pervenit ad nos quod

multi Christianorum et ad ecclesias occurrant et, quod dici nefas est, a culturis daemonum non abscedant. Quoniam vero omnino Deo nostro haec displicent et divisas mentes non possidet, providete ut ab his debeant illicitis salubriter coerceri ne, quod absit, non eis ad ereptionem sed ad poenam sacri fiat baptismatis sacramentum.

430. *Idem, ep. ad Agnellum episc. Terracinensem, apr. 598 :* Pervenit ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, arbores colere et multa alia contra christianam fidem illicita perpetrare; et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare ultione distulerit. Expropter scriptis vos praesentibus adhortamur ut hos diligenti investigatione perquiri et veritate cognita talem in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus et Deus placari possit et aliis eorum ultio correctionis exemplum sit.

431. Nicolaus I, *Resp. ad Bulgaros (866):* 18 Scire vos velle significatis quid de his qui legem Christianam respuunt agere debeatis ... Porro si nec ecclesiam audierit sit omnibus revera sicut ethnicus, id est gentilis, ac per hoc iam merito per potestates exteras tanquam extraneus opprimatur... Nam nisi moverentur potestates christianae adversus huiusmodi quomodo rationem redderent de imperio suo Deo? Quippe cum pertineat hoc ad reges saeculi christianos ut temporibus suis pacatam et sine diminutione velint servari matrem suam Ecclesiam unde spiritaliter nati sunt... Nam qui illis mentiri vel esse infideles convincuntur aut vix aut numquam ab eis vivere profecto sinuntur et quomodo non indignentur et saeviant quando vident Christum qui est *rex regum et dominus dominantium* (Ap. xix, 16) ab hominibus abnegari, illudi, et ei fidem promissam non custodiri? Zelentur itaque zelo Dei quia se ipsos per Christum recolunt liberatos a gehenna.

3. — De schismaticis.

432. Pelagius I, *ep.* Quali nos, *ad Narsetem (vel Carellum) (558 sept.-560) :* ... Nec putetis alicuius esse peccati si huiusmodi homines comprimuntur. Hoc enim et divinae et humanae leges statuerunt ut ab Ecclesiae unitate divisi et eius pacem iniquissime perturbantes saecularibus etiam potestatibus comprimantur. Nec quicquam maius est unde Deo sacrificium potestis offerre quam si id ordinetis ut hi qui in suam et aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.

433. *Idem, ad Valerianum patricium (eodem tempore) :* Nec in hac parte vos hominum vaniloquia retardent dicentium quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quae committuntur reprimit vel ani-

marum salutem requirit. Errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum iam actum vel punit vel prohibet ne fiat, non persequitur iste sed diligit nam si, ut illi putant, nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus a malo ad bonum est, humanas et divinas leges necesse est evacuari quae et malis poenam et bonis praemia iustitia suadente constituunt. Malum autem schisma esse et per exteras etiam potestates huiusmodi homines debere opprimi et canonicae Scripturae auctoritas et paternarum regularum nos veritas docet... Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali vel iudiciali auctoritate comprimere, quia regulae Patrum hoc specialiter constituerunt ut si qua ecclesiastici officii persona cui subiectus est restiterit vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur. Quod si forte et hoc contempserit et permanserit, divisiones et schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce, domine, quod animus vester forte timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate haec breviter dirigenda curavi, cum mille alia exempla et constitutiones sunt quibus evidenter agnoscitur ut facientes scissuras in sancta Eclesie, non solum exiliis sed etiam proscriptione rerum et dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.

4. — De fidelibus.

434. *Etiam cum ipsis* fidelibus *interdum severe agendum declarat* Gregorius Magnus *ad Eusebium ep. Thessalonicensem, iul. 601 :* Qui si forte (Lucas presbyter), quod non credimus, facere hoc aliqua excusatione distulerit, nihil vobis cum illo commune sit, sed a familiaritate atque communione vestra per omnia segregandus est, nam, sicut iam ante scripsimus, melius est de ovili dominico morbosam ovem eicere quam unius vitio sanas amittere.

435. *Saepius tamen lenitati indulgendum, idem, ep. ad Ioannem episc. Constantinopolitanum, iul. 593 :* Quid autem de episcopis qui verberibus timeri volunt canones dicant bene fraternitas vestra novit. Pastores enim facti sumus, non persecutores. Et egregius praedicator dicit : *argue, obsecra, increpa, cum omni patientia et doctrina* (II Ti. iv, 2) Nova vero atque inaudita est ista praedicatio quae verberibus exigit fidem (*supra*, n. 421, *in* Tridentino).

436 *Idem, ad Bonifacium, aug. 594 :* Hi autem qui dubitationis vestrae participes sunt si ad me venire voluerint, nullam in me quasi ex potestate prodeuntem violentiam pertimescant. Nam nos licet in omnibus causis, in his praecipue quae Dei sunt, ratione magis stringere homines quam potestate festinamus.

C) Errores de potestate iudiciaria et coactiva Ecclesiae.

437. Lateranense (1102) *in Formula praescripta omnibus metropolitanis Ecclesiae occidentalis :* Anathematizo omnem haeresim et praecipue eam, quae statum praesentis Ecclesiae perturbat, quae docet et adstruit anathema contemnendum et Ecclesiae ligamenta spernenda esse. Promitto autem oboedientiam Apostolicae Sedis Pontifici Domno Paschali eiusque successoribus sub testimonio Christi et Ecclesiae, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia.

438. Marsilii Patavini (Joannes XXII, 1327). 5. Quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator.

439. Wicleff (Martinus V *et* Constantiense, *1418*) *:* 11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo; et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus. — 12. Praelatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni. — 13. Illi qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum sunt excommunicati et in Dei iudicio traditores Christi habebuntur. — 30. Excommunicatio Papae vel cuiuscumque praelati non est timenda, quia est censura antichristi.

440. Joannis Hus *(id.) :* 14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis oboedire in omnibus dicentes : *Nobis non licet interficere quemquam* (Io. xviii, 31), ipsum saeculari iudicio tradiderunt; et tales sunt homicidae graviores quam Pilatus. — 17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius et habentes Scripturae notitiam et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa vel aliquis praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare non debet subditus oboedire. — 18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit; et illud mandatum debet exsequi, praetensa excommunicatione non obstante. — 19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat antichristo. Signum autem evidens est quod ab antichristo tales procedunt censurae, quas

vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

441. Wicleffitae *et* **Hussitae** *interrogandi (id.) :* 31. Item, utrum credat quod Papa vel alius praelatus, propriis nominibus Papae pro tempore expressis, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum ecclesiasticum sive saecularem propter inoboedientiam sive contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus. — 32. Item, utrum credat quod inoboedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, praelati vel eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggravandi et reaggravandi, interdictum ponendi et brachium saeculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit oboediendum. — 33. Item, utrum credat quod Papa vel alii praelati et eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem sacerdotes et laicos inoboedientes et contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu ecclesiae et administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

442 Lutheri (Leo X, *1520*) *:* 23 Excommunicationes sunt tantum externae poenae nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus. — 24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quam timere. — 33. Haereticos comburi est contra voluntatem Spiritus. — 34. Proeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

443. *Propositio damnata ab* Alexandro VII (*1666*) : 44. Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae.

444. *Errores* **Quesnelli** (Clemens XI, *1713*)*:* 90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis. — 91. Excommunicationis iniustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per caritatem affixi sumus. — 92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum; tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem aut scindere unitatem. — 93. Iesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. — 94. Nihil peiorem de Ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt nec mores. — 95 Veritates eo devenerunt, ut sint lingua

quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae et irae Dei in filios suos. — 96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit nisi divinae gratiae. — 97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed iustus vivit ex fide, et non ex opinione hominum. — 98. Status persecutionis et poenarum, quas qui tolerat tanquam haereticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Iesu Christo. — 99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitae, verbi gratia bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc. — 100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem eiusque discipulos! Tempus hoc advenit.. Haberi et tractari a religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum. — 101. Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

445. Synodi Pistoriensis (Pius VI, *1794*) :

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam *exteriorem disciplinam*.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis*; quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda : — haeretica. — **5.** Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem

subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi* (ex Bened. XIV in Brevi « *Ad assiduas* », anni 1755, Primati, Archiepiscopis et Episcopis Regni Polon.) : — inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

De *censuris*.

46. Propositio asserens *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae;* quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in caelo, animas obligans (ex S. August. epist. 250 Auxilio Episcopo; Tract. 50 in Io. n. 12) : — falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea. — **47.** Item, quae tradit necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu : — falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea. — **48.** Item, quae pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset* : — falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa. — **49.** Item, quae damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia* : — falsa, perniciosa, in Tridentinum iniuriosa. — **50.** Item, in eo, quod insinuat, soli episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1 de reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae : — iurisdictionis praelatorum Ecclesiae laesiva.

De *iuramentis*.

75. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus;* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse;* indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta, in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque, adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muneris et officiis et generatim pro omni actu curiali : — falsa, Ecclesiae iniuriosa, iuris

ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.

De proscriptis *libris* in Ecclesia publice legendis.

68. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnelli commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant : — falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

446. *De libris proscribendis propositio iam damnata erat ab* Alexandro VII (*1666*) : 45. Libri prohibiti « donec expurgentur » possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

447. *Ius vero librorum examinandorum* Nicolaus I *ad Carolum Calvum scribens (859), occasione versionis librorum Dionysii Areopagitae ab Ioanne Scoto, Romanae sedi vindicaverat :* Relatum est apostolatui nostro quod opus beati Dionysii Areopagitae, quod de divinis nominibus vel caelestibus ordinibus graeco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes, genere scotus, nuper in latinum transtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti et nostro debuit iudicio approbari praesertim cum idem Ioannes licet multae scientiae esse praedicetur olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est vestra industria suppleat et nobis praefatum opus sine ulla cunctatione mittat quatenus dum a nostri apostolatus iudicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

448. *Propositio damnata in* Pii IX S. (*1864*) : 24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 aug. 1851).

449 **Americanismus** *damnatus a* Leone XIII *in ep.* Testem benevolentiae, (*22 ian. 1899*) : Novarum igitur, quas diximus, opinionum id fere constituitur fundamentum, quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam traducantur, debere Ecclesiam ad adulti saeculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac, veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur, intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum enim esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur, aut molliantur, ita ut non eundem retineant sensum quem constanter tenuit Ecclesia. — Id porro, dilecte Fili Noster, quam improbando sit consilio

excogitatum, haud longo sermone indiget; si modo doctrinae ratio atque origo repetatur, quam tradit Ecclesia. Ad rem Vaticana Synodus (*De fide*) : « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda... Is sensus sacrorum dogmatum perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum[1]. »

450. Neque omnino vacare culpa censendum est silentium illud, quo catholicae doctrinae principia quaedam consulto praetereuntur ac veluti oblivione obscurantur. — Veritatem namque omnium quotquot christiana disciplina complectitur, unus atque idem auctor est et magister *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris* (Io. I, 18). Easdem vero ad aetates quaslibet ac gentes accommodatas esse, perspicue ex verbis colligitur, quibus ipse Christus apostolos est allocutus : *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* (Mt. XXVIII, 19). Quapropter idem Vaticanum Concilium : « Fide divina, inquit, et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur[2] ». Absit igitur ut de tradita divinitus doctrina quidpiam quis detrahat vel consilio quovis praetereat; id enim qui faxit, potius catholicos seiungere ab Ecclesia, quam qui dissident ad Ecclesiam transferre volet. Redeant, nil enim Nobis optatius, redeant universi, quicumque ab ovili Christi vagantur longius; non alio tamen itinere, quam quod Christus ipse monstravit.

451. Disciplina autem vivendi, quae catholicis hominibus datur, non eiusmodi est, quae, pro temporum et locorum varietate, temperationem omnem reiciat. — Habet profecto Ecclesia, inditum ab Auctore suo, clemens ingenium et misericors; quam ob causam, inde a sui exordio, id praestitit libens, quod Paulus Apostolus de se profitebatur : *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos* (I Co. IX, 22). — Aetatum vero praeteritarum omnium historia testis est, Sedem hanc Apostolicam, cui, non magisterium modo, sed supremum etiam regimen totius Ecclesiae tributum est, constanter quidem *in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia*[3] haesisse; at vivendi disciplinam ita semper moderari consuevisse, ut, divino incolumi iure, diversorum

1. Const. *de Fid. cath.*, c. IV [210]. — 2. Const. *de Fid. cath.*, c. III [180]. — 3. Conc. Vat. *de fide*, cap. 4 [210].

adeo gentium, quas amplectitur, mores et rationes nunquam neglexerit. Id si postulet animorum salus, nunc etiam facturam quis dubitet? — Non hoc tamen privatorum hominum arbitrio definiendum, qui fere specie recti decipiuntur; sed Ecclesiae iudicium esse oportet in eoque acquiescere omnes necesse est, quicumque Pii VI decessoris Nostri reprehensionem cavere malunt. Qui quidem propositionem LXXVIII synodi Pistoriensis « Ecclesiae ac Spiritui Dei quo ipsa regitur iniuriosam *edixit*, quatenus examini subiciat disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia disciplinam constituere possit inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur. »

452. In causa tamen de qua loquimur, dilecte Fili Noster, plus affert periculi estque magis catholicae doctrinae disciplinaeque infestum consilium illud, quo rerum novarum sectatores arbitrantur libertatem quandam in Ecclesiam esse inducendam, ut constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia liceat fidelibus suo cuiusque ingenio actuosaeque virtuti largius aliquanto indulgere. Hoc nimirum requiri affirmant ad libertatis eius exemplum, quae, recentius inventa, civilis fere communitatis ius modo ac fundamentum est. — De qua Nos fuse admodum locuti sumus in iis Litteris, quas de civitatum constitutione ad Episcopos dedimus universos; ubi etiam ostendimus, quid inter Ecclesiam, quae iure divino est, intersit ceterasque consociationes omnes, quae libera hominum voluntate vigent. — Praestat igitur quamdam potius notare opinionem, quae quasi argumentum affertur ad hanc catholicis libertatem suadendam. Aiunt enim, de Romani Pontificis infallibili magisterio, post solemne iudicium de ipso latum in Vaticana Synodo, nihil iam oportere esse sollicitos; quamobrem, eo iam in tuto collocato, posse nunc ampliorem cuivis ad cogitandum atque agendum patere campum.

453. Praeposterum sane arguendi genus: si quid enim ex magisterio Ecclesiae infallibili suadet ratio, hoc certe est ut ab eo ne quis velit discedere, immo omnes eidem se penitus imbuendos ac moderandos dent, quo facilius a privato quovis errore serventur immunes. Accedit, ut ii, qui sic arguunt, a providentis Dei sapientia, discedant admodum; quae cum Sedis Apostolicae auctoritatem et magisterium affirmata solemniore iudicio voluit, idcirco voluit maxime, ut pericula praesentium temporum animis catholicorum efficacius caveret. Licentia, quae passim cum libertate confunditur; quidvis loquendi obloquendique libido; facultas denique quidlibet sentiendi litterarumque formis exprimendi tenebras tam alte mentibus obfuderunt, ut maior nunc quam ante sit magisterii usus et necessitas, ne a conscientia quis officioque abstrahatur. — Abest profecto a Nobis ut quaecumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus; quin potius quidquid indagando veri

aut enitendo boni attingitur ad patrimonium doctrinae augendum publicaeque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis accedit. Id tamen omne, ne solidae utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet, Ecclesiae auctoritate sapientiaque posthabita.

454. Sequitur ut ad ea veniamus quae ex his, quas attigimus, opinionibus consectaria veluti proferuntur, in quibus si mens, ut credimus, non mala, at certe res carere suspicione minime videbuntur. — Principio enim externum magisterium omne ab iis, qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile, reicitur, ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit. — Non levis profecto temeritatis est velle modum metiri, quo Deus cum hominibus communicet; id enim unice ex eius voluntate pendet, estque ipse munerum suorum liberrimus dispensator. *Spiritus ubi vult spirat* (Io. III, 8), *unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (Eph. IV, 7).

455. Ecquis autem repetens Apostolorum historiam, exordientis Ecclesiae fidem, fortissimorum martyrum certamina et caedes, veteres denique pleraque aetates sanctissimorum hominum fecundissimas, audeat priora tempora praesentibus componere eaque affirmare minore Spiritus Sancti effusione donata? Sed, his omissis, Spiritum Sanctum secreto illapsu in animis iustorum agere eosque admonitionibus et impulsionibus excitare, nullus est qui ambigat; id ni foret, externum quodvis praesidium et magisterium inane esset. « Si quis... salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu[1] ». Verum, quod etiam experiendo novimus, hae Sancti Spiritus admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adiumento ac veluti comparatione, persentiuntur. « Ipse, ad rem Augustinus, in bonis arboribus cooperatur fructum, qui et forinsecus rigat atque excolit per quemlibet ministrum, et per se dat intrinsecus incrementum[2] ».

456. Scilicet ad communem legem id pertinet qua Deus providentissimus, uti homines plerumque fere per homines salvandos decrevit, ita illos, quos ad praestantiorem sanctimoniae gradum advocat per homines eo perducendos constituit, « ut nimirum, quemadmodum Chrysostomus ait, per homines a Deo discamus[3] ». Praeclarum eius rei exemplum, ipso Ecclesiae exordio, positum habemus: quamvis enim Saulus,

1. Arausic. II, can. 7. — 2. De Grat. Christi, I c. 19, n. 20, PL 44 370. — 3. Hom. I in inscr. Act. PG 51.71.

spirans minarum et caedis (Act. IX, 1) Christi ipsius vocem audivisset ab eoque quaesivisset : *Domine quid me vis facere?* Damascum tamen ad Ananiam missus est : *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere* (Act. IX, 6). — Accedit praeterea, quod qui perfectiora sectentur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri, doctore ac duce indigent. — Atque haec agendi ratio iugiter in Ecclesia obtinuit; hanc ad unum omnes doctrinam professi sunt, quotquot, decursu saeculorum, sapientia ac sanctitate floruerunt; quam qui respuant, temere profecto ac periculose respuent.

457. *Doctrina* **modernistarum** *in enc.* Pascendi Pii X (*1907*). Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quemlibet auctore inscio notare ac proscribere nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum. — Quare hic etiam medium est quoddam iter reperiendum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint iura. Interea temporis catholico sic est agendum, ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. — Generatim vero sic de Ecclesia praescribunt : quoniam ecclesiasticae potestatis finis ad spiritualia unice pertinet externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane negligitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi; et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere...

Regimen Ecclesiae omni sub respectu reformandum clamitant, praecipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscientia componendum, quae tota ad democratiam vergit : ideo inferiori clero ipsisque laicis suas in regimine partes tribuendas, et collectam nimium contractamque in centrum auctoritas dispertienda. — Romana concilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a *Sancto Officio* tum quod ab *Indice* appellatur. — Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exsulet eisdem tamen se aptet, ut suo illas spiritu imbuat.

IV

DE ECCLESIA ET POTESTATE CIVILI

A) De mutuis relationibus inter Ecclesiam et potestatem civilem.

1. — Ex Leone XIII.

458. *Doctrinam catholicam varie pro variis temporibus a Summis Pontificibus et Conciliis expressam ad amussim descripsit* Leo XIII *in encyc.* Immortale Dei, *1 nov. 1885 : in qua statuit quae sint propria Ecclesiae iura et a Christo instituta est :*

Nam unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (Io. XX, 21). *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Mt. XXVIII, 20). Igitur, sicut Iesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (Io. X, 10), eodem modo Ecclesia propositum habet, tanquam finem, salutem animarum sempiternam : ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (Mc. XVI, 15)).

Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent : unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo claves regni caelorum* (Mt. XVI, 19). — *Pasce agnos..... pasce oves* (Io. XXI, 16-17) : — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (Lc. XXII, 32). Haec societas, quamvis ex hominibus constet non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernatu-

ralis est et spiritualis; atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili; et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Mt. xxviii, 18-20). Et alibi : *Si non audierit eos dic Ecclesiae* (Mt. xviii, 17). Atque iterum : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (II Cor. x, 6). Rursus : *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem* (*Ibid.*, xiii, 10). Itaque dux hominibus esse ad caelestia non civitas, sed Ecclesia debet : eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut, de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat : ut doceat omnes gentes; ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret.

459 Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus synagogae prohiberentur, constanter respondebant : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29). Eandem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt : Romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare nunquam praetermiserunt. Quin etiam et opinione et re eandem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

460. *Partes tum Ecclesiae tum potestatis civilis in hominibus concorditer regendis*. Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineantur, ter-

minos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem cum usu venire possit ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinata sunt* (Rom. xiii, 1). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque causae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti haerere homo deberet anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires causasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illud, quod mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent.

461 Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio : quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae : cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo.

462. Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

463. *Commoda huius doctrinae :* Talis autem conformatio reipu-

blicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum : tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi, ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita : incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa : officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores : pariterque intelligunt sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos.

464. *Iam in enc.* Arcanum, *10 feb. 1880, ipse* Leo *eadem brevius tradiderat :* Nemo autem dubitat quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii altera, cui sunt humana tradita opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt caelestia concredita. — Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus Encyclicis Litteris ostendimus, si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, nunquam erit non iustum imperium : alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in praesenti, viros principes in concordiam atque amicitiam iungendam iterum hortamur; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremae potestatis

Nostrae auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto ius imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis iam procaci libertate animis, et omne imperii, vel maxime legitimi, iugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili societati impendent.

2. — Ex aliis documentis.

465. Gelasius I, *de utraque potestate, in ep.* Famuli vestrae *ad Anastasium Augustum, a. 494 .* Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis atque ab eis causas tuae salutis exspectas inque sumendis caelestibus sacramentis eisque, ut competit, disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae, quo, oro te, decet affectu eis obedire qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est qui cum parere debeant, despiciunt.

466. *Idem, in ep.* Quid ergo, *ad episc. Orientales de schismate Acaciano, a. 495* : 8 Cur igitur compassi non estis tantis fratribus vestris? Cur non adiistis imperatorem? Cur non Ecclesiae causam et sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflexistis? Allegantes numquam de pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse; non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiae principaliter constitutis principibus, obsequi solere principes christianos decretis Ecclesiae, non suam praeponere potestatem; episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare; quibus Ecclesiae conciliis, qua synodo pellerentur, quid denique commisissent ut sine ulla discussione rerum, tot ecclesiarum praesules pro humano libitu et saecularis potestatis arbitrio pellerentur, inauditos, indiscussos, inconvictos non debere percelli, maxime cum novae causae et nova

rerum facies appareret ut rectores isti plebium repentinis incursionibus pro mundanae potentiae voluntate sacris dignitatibus privarentur.

467. Symmachus, *in Apologetico (p. a. 506)*: 8. Conferamus autem honorem imperatoris cum honore pontificis : inter quos tantum distat quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu imperator a pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, paenitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certe aequalis honor est. Nec te putes mundi pompa praecellere quia *quod infirmum Dei fortius est hominibus* (I Cor. 1, 25)... Sit istud in mundo iudicium, exspectante Deo et angelis eius, spectaculum omni saeculo simus, quo aut sacerdos bonae vitae aut imperator religiosae modestiae consequantur exemplum : quia his praecipue duobus officiis regitur humanum genus et non debeat aliquid eorum exsistere quo valeat offendi divinitas, maxime cum uterque honor videatur esse perpetuus, atque ita humano generi ex alterutro consulatur. 9. Precor, imperator, pace tua dixerim, memento te hominem ut possis uti concessa tibi divinitus potestate : quia etiamsi haec sub humano praevenere iudicio, sub divino necesse est ut discutiantur examine. Fortasse dicturus es scriptum esse, *omni potestati nos subditos esse debere* (Ro. xiii, 1). Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Ceterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quae rebus est praestituta divinis. Defer Deo in nobis et nos deferimus Deo in te. Ceterum si tu Deo non deferas, non potes eius uti privilegio cuius iura contemnis.

468. *De concordia utriusque potestatis*, Hormisdas, *in ep. ad Ioannem CP., 9 iul. 519*: Gratias igitur excellentissimae Trinitati quae consentientes in Christum Ecclesiae ac reipublicae dedit esse rectores! Enimvero magna rerum salus est, quotiens in fidei catholicae veritate sacerdotes ac principes mens una conectit. Hoc firmum pacis vinculum est, haec caelitus demissa societas; neque enim fas est in quo videtur concordare praepositos, aliud sentire subiectos.

469. Nicolaus I, *ad Michaelem imp. CP. ep.* Proposueramus *a. 865*: Dicite, quaesumus, ubinam legistis, imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quae universalis est, quae omnium communis est, quae non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos?... Quamvis, Deo gratias, et per principalem beatorum apostolorum Petri ac Pauli, de qua supra partim exposuimus, potestatem et ius habeamus, non solum monachos verum etiam quoslibet clericos, de quacumque dioecesi, cum necesse fuerit, ad nos convo-

care, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare. Hoc quidem nostrum, vestrum autem et piorum imperatorum non est ullum penitus quaerendi monachos ministerium, nisi ad miserendum et orationes eorum submisse poscendum...

470. Vos autem, quaesumus, nolite praeiudicium Dei Ecclesiae irrogare : illa quippe nullum imperio vestro praeiudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius aeternam divinitatem exoret et pro incolumitate vestra et perpetua salute iugi devotione precetur. Nolite, quae sua sunt, usurpare : nolite, quae ipsi soli commissa sunt, velle surripere, scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum et militantium Deo nullis convenit negotiis saecularibus implicari. Denique hi, quibus tantum humanis rebus et non divinis praeesse permissum est, quomodo de his, per quos divina ministrantur, iudicare praesumant, penitus ignoramus. Fuerunt haec ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes exsisterent; quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia, quodque in membris suis diabolus imitatus, utpote qui semper, quae divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem *mediator Dei et hominum homo Christus Iesus* (1 Tim. ii, 5) sic actibus propriis et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur : quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus. — Et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur qui esset negotiis saecularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur ne extolleretur utroque suffultus et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.

471 *Eiusdem decreta*: I. 1. Imperiali iudicio non possunt iura Ecclesiastica dissolvi nec possunt imperatorum leges evangeliis et apostolicis atque canonicis decretis quibus postponendae sunt inferre praeiudicium. Cf. *decreta de matrimonio*: 8. Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus. Gladium non habet nisi spiritualem qui non occidit sed vivificat.

472. *Libertatem Ecclesiae in rebus spiritualibus vindicat CP IV, oecumenicum VIII, (869-70)*: Can. 12. Apostolicis et sy-

nodicis canonibus promotiones et consecrationes episcoporum et potentia et praeceptione principum factas penitus intercidentibus, concordantes definimus et sententiam nos quoque proferimus, ut, si quis episcopus per versutiam vel tyrannidem principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei et ritu ac decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex hominibus et per homines Dei donum possidere voluit vel consensit.

473. ιβ'. Ἦλθεν εἰς τὰς ἡμῶν ἀκοάς, τὸ μὴ δύνασθαι ἄνευ ἀρχοντικῆς παρουσίας σύνοδον γενέσθαι. Οὐδαμοῦ δὲ οἱ θεῖοι κανόνες συνέρχεσθαι κοσμικοὺς ἄρχοντας ἐν ταῖς συνόδοις νομοθετοῦσιν, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἐπισκόπους· ὅθεν οὐδὲ πλὴν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων τὴν παρουσίαν αὐτῶν γεγενημένην εὑρίσκομεν. Οὐδὲ γὰρ θεμιτόν ἐστι γίνεσθαι θεατὰς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας τῶν τοῖς ἱερεῦσι τοῦ Θεοῦ συμβαινόντων πραγμάτων.

Ex can. 17. lat... Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse synodum absque principali praesentia celebrari: cum nusquam sacri canones convenire saeculares principes in Conciliis sanxerint, sed solos antistites. Unde nec interfuisse illos synodis, excepto Conciliis universalibus, invenimus; neque enim fas est, saeculares principes spectatores fieri rerum, quae sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt.

474. *Ex multis* Gregorii VII *hac de re assertionibus, en paucas. Ad Rodulphum Sueviae ducem, ep. 19, 1 sept. 1073:* Nam sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus (sacerdotii et imperii) in pura religione concordantibus corpus Ecclesiae spirituali lumine regi et illuminari probatur.

475. *Idem, Sancio reg. Aragoniae, 20 april. 1074:* Confidimus quia beatus Petrus Apostolus quem Dominus Iesus Christus rex gloriae principem super regna mundi constituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorem desiderii tui adducet.

476. *Idem, Herimanno ep. Metensi, 25 aug. 1076:* Sed forte hoc volunt praedicti viri intelligere quod quando Deus Ecclesiam suam ter beato Petro commisit dicens: *Pasce oves meas* (Io. xxi, 17), reges exceperit. Cur non attendunt vel potius erubescendo confitentur quia ubi Deus beato Petro principaliter dedit potestatem ligandi et solvendi in caelo et in terra (Mt. xvi, 19) nullum excepit, nihil ab eius potestate subtraxit? Nam qui se negat non posse Ecclesiae vinculo alligari, restat

ut neget non posse ab eius potestate absolvi. Et qui hoc impudenter negat, se a Christo omnino sequestrat. Quod si sancta Sedes Apostolica, divinitus sibi collata principali potestate, spiritualia decernens diiudicat, cur non et saecularia? Reges quidem et principes huius saeculi qui honorem suum et iura temporalia iustitiae Dei praeponunt eiusque honorem negligendo proprium quaerunt, cuius sint membra cuive adhaereant vestra non ignorat caritas. Nam sicut illi qui omni suae voluntati Deum praeponunt eiusque praecepto plusquam hominibus oboediunt, membra sunt Christi, ita et illi de quibus supra diximus, membra sunt antichristi. Si ergo spirituales viri cum oportet iudicantur, cur non saeculares amplius de suis pravis actibus constringunt. Sed forte putant quod regia dignitas episcopalem praecellat? Ex eorum principiis colligere possunt quantum a se utraque differunt. Illam quidem superbia humana reperit, hanc divina pietas instituit; illa vanam gloriam incessanter captat, haec ad caelestem vitam semper adspirat[1].

477. *Idem, ep. ad Germanos, 31 maii 1077:* Si enim caelestia et spiritualia sedes beati Petri solvit et iudicat quanto magis terrena et saecularia?

478. Paschalis II, *de concordia utriusque potestatis, Danorum regi, 23 apr. 1117:* Legimus in apostolo Paulo: *non est potestas nisi a Deo* (Ro. xiii, 1). Tunc vero recte potestas agitur cum ad Deum respicitur a quo datur. Tu ergo, fili, ad Deum semper intendas, ut sicut a Deo potestatem accepisti, ita ei placere semper per eius gratiam valeas, ecclesias et sacerdotes Domini gratanter et humiliter venereris, pupillis et viduis opem tuae protectionis impendas. Iustitiam efficaciter exerceas et iustitiae repugnantes tua comprimas potestate. Nec a quibuslibet iniquis ecclesiarum bona diripi patiaris quia sacrilegii crimen est et eorum culpa te respicit. Nec enim debent aliquorum violentia diripi quae pro multorum sunt concessa salute. In his et aliis nequitiis coercendis regni tui debes pontificibus adiutor et cooperator existere. Tunc enim bene mundus regitur cum sacerdotali auctoritati potestas regia comitatur. Sacerdotes enim in Christi Ecclesia oculi sunt, Quos sequi condecet populum quia et virtute Domini corpus eius illuminatur. Ipsis profecto convenit veritatem Domini nuntiare ut sponsam Domini castam illibatamque custodiant... Si qui autem veritati resistere voluntur et sacerdotali ministerio commonendi et regia sunt potentia coercendi. Tunc igitur potestati confratres nostros Lundensem metropolitanum et alios regni Danorum episcopos commendamus ut eis et oboedentiam reverenter exhibeas et adiutorium efficaciter subministres.

1. Cf. totam epistolam (8, 21) eidem Herimanno, 15 mart. 1081 (I 5201, Pl. 148, 594).

479. *Idem, Rogerio comiti Siciliae, 1 oct. 1117:* Antecessor meus patri tuo legati vicem gratuita benignitate concessit. Nos quoque tibi, post ipsum eius successori, concessimus, ea videlicet ratione ut si quando illuc ex latere nostro legatus dirigitur, quem profecto vicarium intelligimus, quae ab eo gerenda sunt, per tuam industriam effectui mancipentur. Sic enim in ecclesia saeculares potestates dispositas legimus ut quod ecclesiastica humilitas minus valet saecularis potestas suae formidinis rigore perficiat. Nam personarum ecclesiasticarum seu dignitatum iudicia nusquam legimus laicis vel religiosis fuisse commissa. Porro episcoporum vocationes ad synodum quis unquam sibi legatus aut vicarius usurpavit? Quod aliquando singularibus, aliquando pluralibus litteris per quoslibet solet nuntios fieri. Cognosce, fili carissime, modum tuum et datam tibi a Domino potestatem noli contra dominicam erigere potestatem. Sic enim a Domino Romanae ecclesiae potestas concessa est ut ab hominibus auferri non possit. Disce in comitatu tuo bonorum imperatorum exempla ut ecclesias non impugnare studeas sed iuvare, non iudicare aut opprimere episcopos sed tamquam Dei vicarios venerari... Noli Deum praecedere sed sequaris, quia eo duce non offendes sed vitae lumen habebis.

480. CALLISTO II *sedente*, LATERANENSE I, *oecumenicum IX, a. 1123, hanc contra abusum investiturarum canonem protulit*. Can. 4. Praeterea iuxta beatissimi STEPHANI Papae[1] sanctionem statuimus, ut laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem; sed secundum Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat et ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo principum aut laicorum aliorum dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticorum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur[2].

481. *De concordia utriusque potestatis, praestantiore tamen sacerdotali*, INNOCENTIUS III, *ep. Acerbo priori, 30 oct. 1198:* Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento caeli constituit, luminare maius ut praeesset diei et luminare minus ut nocti praeesset (Gen. I, 16) sic ad firmamentum universalis Ecclesiae quae caeli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates: maiorem quae quasi diebus animabus praeesset et minorem quae quasi noctibus praeesset corporibus: quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Porro sicut luna lumen suum a sole sortitur quae revera minor est illo, quantitate simul et qualitate, situ pariter et effectu, sic

1. Allegatur Pseudo Isidorus. — 2. Cf. ALEXANDRI III ep. 350, iun. 1165, Henrico Anglorum regi, de immunitate ecclesiastica et clericis ad tribunal saeculare non trahendis (J 11206; PL 200. 375-6).

regalis potestas ab auctoritate pontificali suae sortitur dignitatis splendorem; cuius conspectui quanto magis inhaeret, tanto maiori lumine decoratur; et quo plus ab eius elongatur adspectu eo plus proficit in splendore. Utraque vero potestas sive primatus sedem in Italia meruit obtinere, quae dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum et ideo licet ad universas provincias nostrae provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiae paterna nos convenit sollicitudine providere in qua Christianae religionis fundamentum exstitit et per Apostolicae Sedis primatum, sacerdotii simul et regni praeeminet principatus.

482. *Iterum, Germanis scribens, ep.* Quanta debeat, *3 maii 1199:* Quanta debeat esse concordia inter regnum et sacerdotium in se ipso Christus ostendit qui est rex regum et dominus dominantium, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ap. XIX, 16; Ps. CIX, 4), qui et secundum naturam carnis assumptae de sacerdotali pariter et regali stirpe descendit. Ad quod etiam designandum beatissimus Petrus ad fidem Christi conversis dicebat: *vos estis genus electum, regale sacerdotium* (I Pet. II, 9) et ad Christum in Apocalypsi clamatur: *fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium* (Apoc. VI). Haec enim sunt duo cherubim qui versis vultibus in propitiatorium super ipsum duabus alis coniunctis mutuo se describuntur respicere. Haec sunt duae mirabiles et speciosae columnae positae iuxta ostium in vestibulo templi quas ambit linea duodecim cubitorum; haec sunt duo magna luminaria quae Deus in firmamento caeli constituit (Gen. I, 16), luminare maius ut praeesset diei et luminare minus ut nocti praeesset. Isti sunt duo gladii de quibus apostoli responderunt: *ecce gladii duo hic* (Lc. XXII, 38). Quorum omnium rationem aliorumque multorum quae de sacris libris excerpta concordiam expresse significant inter Ecclesiam et imperium, exponere praetermittimus, cum utilitas ex ipsa proveniens expressius hanc exponat. Per hanc enim concordiam propagatur fides, haeresis confutatur, plantantur virtutes, vitia succiduntur, servatur iustitia, iniquitas propulsatur, viget tranquillitas, persecutio conquiescit, cum pace populi christiani paganorum barbaries subiugatur, cum incremento imperii Ecclesiae libertas accrescit, cum incolumitate corporum salus proficit animarum et tam clero quam populo sua iura servantur. Et licet Romanam Ecclesiam quasi matrem universa regna respiciant in quibus nomen colitur christianum, Romanum tamen imperium eam arctius debet ac devotius amplexari ut et ipsa per illud accipiat defensionis auxilium et illud per ipsam in suis necessitatibus adiuvetur[1].

1. Cf. in registro Rainerii tit. II: Quod sacerdotium maius sit regno, ubi duae sunt epistolae (tertia Acerbo, supra) nuntiis ducis Philippi et Alexio (ante a. 1203, CP imperatori datae, in quibus latius ea de re Innocentius III disserit.

483. Bonifacius VIII, *in bulla* Unam sanctam, *18 nov. 1302, sic de utraque potestate:* In hac eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis: *ecce gladii duo hic* (Lc. XXII, 38) in Ecclesia scilicet, cum apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: *converte gladium tuum in vaginam* (Mt. XXVI, 52). Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati. Nam cum dicat apostolus: *non est potestas nisi a Deo quae autem sunt a Deo ordinata sunt* (Ro. XIII, 1), non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum Dionysium[1] lex divinitatis est infima per media in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia aeque ac immediate, sed infima per media, inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione et benedictione et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum generatione claris oculis intuemur. Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et iudicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Ieremiae prophetae: *ecce constitui te hodie super gentes et regna* etc. quae sequuntur. (Ier. I, 10). Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed, si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: *Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur* (1 Cor. II, 15).

484. Pii IX *declaratio de duabus potestatibus in encycl.* Etsi

1. Ps. Areop. De eccl. hier. c. 5, § 4; PG 3, 503 C.

multa, *21 nov. 1873:* Fides tamen docet et humana ratio demonstrat, duplicem exsistere rerum ordinem simulque binas distinguendas esse potestates in terris, alteram naturalem, quae humanae societatis tranquillitati et saecularibus negotiis prospiciat, alteram vero, cuius origo supra naturam est, quae praeest civitati Dei, nimirum Ecclesiae Christi, ad pacem animarum et salutem aeternam divinitus instituta. Haec autem duplicis potestatis officia sapientissime ordinata sunt, *ut reddantur quae sunt Dei Deo* et propter Deum *quae sunt Caesaris Caesari* (Mt. XXII, 21); qui « ideo magnus est, quia caelo minor est; illius enim est ipse, cuius (et) caelum est et omnis creatura »[1]. A quo certe divino mandato nunquam deflexit Ecclesia, quae semper et ubique fidelium suorum animis ingerere contendit obsequium, quod inviolabiliter servare debent erga supremos principes eorumque iura quoad saecularia; docuitque cum Apostolo esse principes *non timori boni operis sed mali*, iubens fideles *subditos esse non solum propter iram*, quia princeps *gladium portat vindex in iram ei qui malum agit, sed etiam propter conscientiam* quia in officio suo *Dei minister est* (Rom. XIII, 3 sqq). Hunc autem principum metum ipsa cohibuit ad opera mala, eundem plane excludens a divinae legis observantia, memor eius quod fideles docuit beatus Petrus: *Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine* (I Petr. IV, 15-16.)

485. *Libertatem Ecclesiae sic vindicabat contra leges iniquas, enc. ad episc. Borussiae* Quod numquam, *5 febr. 1875:* ... Partes Nostri muneris implendas intendimus per hasce litteras aperta testatione denuntiantes omnibus, ad quos ea res pertinet, et universo catholico orbi, leges illas irritas esse, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni prorsus adversantur. Non enim potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum antistitibus in iis quae ad sanctum ministerium attinent; sed beatum Petrum, cui non modo agnos sed et *oves suas pascendas* commendavit (Io. XXI, 16-17); proindeque a nulla quantumvis sublimi saeculi potestate episcopali officio privari possunt ii *quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28). ... Illud autem sciant qui Vobis infesti sunt, quod renuentes vos praestare Caesari quae Dei sunt nullam regiae auctoritati iniuriam allaturi estis, et nihil ex ea detracturi; scriptum est enim *oboedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. V, 29), ac simul noverint, unumquemque vestrum tributum et obsequium Caesari dari paratum esse, *non propter iram, sed propter conscientiam* (Rom. XIII, 5) in iis, quae civili subsunt imperio et potestati.

1. Tertull. *Apol.* 30, PL 1, 442 A.

486. *Iterum in allocutione* Luctuosis, *12 martii 1877, de placito regio*: Nos novissime declarare coacti fuimus, tolerari posse ut acta canonicae institutionis eorundem episcoporum laicae potestati exhibeantur, ad occurrendum, quantum in Nobis est, funestissimis rerum adiunctis, in quibus non amplius agebatur de temporalium honorum possessione, sed ipsae fidelium conscientiae, earum pax, animarum procuratio et salus, quae suprema Nobis lex est, in apertum discrimen vocabantur. Verum in hoc quod egimus ad gravissima pericula removenda, palam ac iterum agnosci volumus, Nos iniustam eam legem, quae regium placitum vocatur, omnino improbare ac detestari, aperte declarantes per ipsam laedi divinam Ecclesiae auctoritatem eiusque libertatem violari.

487. *Separationem Ecclesiae a Statu iam Gregorius XVI in encycl.* Mirari vos, *15 aug. 1832, damnaverat*: Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris.

Saepius Leo *ipse* XIII, *ut in ep.* Au milieu des sollicitudes *ad Gallos 16 feb. 1892, in ep.* Ante vestrum *ad arch. Pragensem 1 maii 1894*, etc.

488. Pius X *in damnatione legis gallicae de separatione, ep. ad Gallos* Vehementer nos, *11 feb. 1906*: Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. Primum enim, cum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis religiosae et civilis concordiam requirit. Nam quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exerceant, necessitate fit, ut causae inter eas saepe exsistant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iam-

vero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis contentionum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum: quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum: haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest. Itaque Romani Pontifices hujusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt...

489. Nos pro suprema quam obtinemus divinitus auctoritate sancitam legem, quae rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus, idque ob eas quas exposuimus causas: quod summa afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, episcoporum ordinem, clerum et catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quicquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura ulla hominum vi ausuque mutabilia.

B) De Ecclesiae iuribus.

1. — Ex Codice iuris canonici.

490. *Circa magisterium c. 1352*: Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt. — *c. 1375*: Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias sed etiam medias et superiores condendi. — *c. 1376 § 1*. Canonica constitutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis Sedi Apostolicae reservatur. — *c. 1377*: Gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa. — *c. 1381 § 1*: Religiosa iuventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subicitur. § 2. Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos

mores tradatur aut fiat. § 3. Eisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros, itemque religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur. — *c. 1382* : Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etc., in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae. — *c. 1384*. Ecclesiae est ius exigendi ne libros quos ipsa suo iudicio antea non recognoverit, fideles edant, et a quibusvis editos ex iusta causa prohibendi. — *c. 1393 § 2* : Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae dogmata et communem catholicorum doctrinam quae conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicae constitutionibus seu praescriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur. Cf Pius XI *enc.* de Christiana iuventutis educatione (31 dec. 1929, AAS, 1930, 49 seq.)

491. *Circa temporalia, c. 1495 § 1* : Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos. § 2 : Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi. — *c. 1496* : Ecclesiae ius quoque est independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria. — *c. 1499 § 1* : Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi quibus id aliis licet. § 2. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam quae eadem bona legitime acquisierit. — *c. 1518* : Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator.

2. — Errores damnati.

492. **Waldenses** (Innocentius III, *in formula fidei, 1208, damnantes errorem oppositum, profitentur* : Decimas primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas.

493 **Marsilius Patavinus** *et* **Ioannes de Ianduno** (Joannes XXII, *const.* Licet iuxta, *23 oct. 1327*) : 1. Quod illud quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthaei, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem sumptum ex ore piscis (Mt. xvii, 26), illis qui pete-

bant didrachma, iussit dari, hoc fecit non condescensive e liberalitate sive pietate, sed necessitate coactus. *Quare concludebant* quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt imperatori, et ea potest accipere velut sua. — 3. Quod ad imperatorem spectat Papam corrigere, instituere et destituere ac punire

494. **Wicleff** *negans praesertim potestatem Ecclesiae in res temporales* (Martinus V, *post* Constantiense, *22 feb. 1418*) : 10. Contra Scripturam sacram est quod viri ecclesiastici habeant possessiones. — 39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus. — 32. Ditare clerum est contra regulam Christi. — 33 Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam dotando. — 36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et ceteri laici. — 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. — 18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre.

495. *Quare interrogandi sunt eius sequaces* (*iidem*) : 34. Item, utrum credat quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato huius mundi habere possessiones et bona temporalia. — 35. Item, utrum credat quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; immo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiam si male viverent personae ecclesiasticae bona huiusmodi possidentes. — 36. Item, utrum credat quod huiusmodi ablatio et invasio, cuicumque sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter facta vel illata, inducat sacrilegium.

496. *Modernorum hac de re multiplices errores exposuit* Pius IX, *in enc.* Quanta cura *(1864)* : Etsi (autem) haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa animarumque salus Nobis divinitus commissa atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi, non minus erga singulos homines quam erga nationes, populos summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium

consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper exstitit ac salutaris[1].

Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere *optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine*. Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant: *optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet.*

497. Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea, haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. GREGORIO XVI praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam, nimirum *libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem, nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant*. Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis*[2] praedicant, et quod « si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Iesu Christi institutione cognoscat[3] ».

498. Et quoniam, ubi a civili societate fuit amota religio ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas vel ipsa germana iustitiae humanaeque iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet, cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare: *voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata eo ipso quod consummata sunt vim iuris habere*. Verum ecquis non videt planeque sentit, hominum societatem

1. Enc. *Mirari vos*, 15 aug. 1832. [487]. — 2. August. ep. 105, c. 2, n. 9. PL. 33, 399. — 3. S. Leonis M., ep. 164, c. 4, PL. 54, 1149 B.

religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis?

499. Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur *religiosas familias* quamvis de re christiana, civili ac litteraria summopere meritas, et blaterant *easdem nullam habere legitimam existendi rationem*, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. PIUS VI decessor Noster docebat « regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangeliorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates[1] ».

500. Atque etiam impie pronuntiant *auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem, qua eleemosynas christianae caritatis causa palam erogare valeant, ac de medio tollendam legem, qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur*, fallacissime praetexentes, *commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere*. Neque contenti amovere religionem a publica societate volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis.

501. Etenim funestissimum *communismi* et *socialismi* docentes ac profitentes errorem, asserunt *societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae*.

502. Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a *iuventutis institutione et educatione* prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram tum publicam perturbare ac rectum societatis ordinem evertere et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca numquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima

1. Epist. ad card. de la Rochefoucault, 10 mart. 1791.

historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere *ipsum clerum utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum.*

503. At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta insigni impudentia audent *Ecclesiae et huius apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent.*

504. Namque ipsos minime pudet affirmare *Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate, acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas*[1], *quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio* Tridentino *et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium: Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.*

505. Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores Dictitant enim *Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis.*

Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam qui, sanam non sustinentes doctrinam, contendunt *illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eius-*

1. Clementis XII, *In eminenti*, 28. apr. 1738; Benedicti XIV, *Providas Romanorum*, 18. maii 1751; Pii VII, *Ecclesiam*, 13. sept. 1821; Leonis XII, *Quo graviora*, 13. mart. 1825.

demque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et oboedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura. Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

506. *Hi errores in* Syllabum *redacti, sequentibus propositionibus, eodem documento* Pii IX *traduntur :*

§ IV. *Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.*

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 dec. 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 decem. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur maerore*, 15 augusti 1863.

§ V. *Errores de Ecclesia eiusque iuribus.*

507. 19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat. (Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854; Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860; Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.)

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu. (Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 septembris 1861.)

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem. (Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.)

22. Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. (Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt. (Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.)

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem

ullam temporalem directam vel indirectam. (Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.)

25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio. (Litt. *Ad apostolicae*, 22 augusti 1851.)

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856; Epist. encycl. *Incredibili*, 17 septembris 1863.)

27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi. (Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.)

28. Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit. (Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede. (Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852, Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

32. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. (Epist. ad episc. Montisregal. *Singularis Nobisque*, 29 septembris 1864.)

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam. (Epist. ad archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

§ VI. *Errores de societate civili tam in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.*

508. 39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. (Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur. (Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846, Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potes-

tas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant *ab abusu*. (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 augusti 1851.)

42. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet. (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 august. 1851.)

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante. (Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850; Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.)

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam, pro suo munere, edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. (Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850; Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.)

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili; et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. (Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850; Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.)

46. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim. (Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. (Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 iulii 1864.)

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites

et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent. (Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.)

50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

51. Immo laicum gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem. (Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851; Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

52. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

53. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare. (Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852; Alloc. *Probe memineritis*, 22 ian. 1855; Alloc. *Cum saepe*, 26 iulii 1855.)

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. (Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.)

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est. (Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

§ IX. *Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

509. 75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii. (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 augusti 1851.)

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. (Alloc. *Quibus quantisque*, 10 aprilis 1849.)

N. B. — Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debent, de civili Romani Pontificis principatu.

Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum*, 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

§ X. *Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.*

510. 77. Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis. (Alloc. *Nemo vestrum*, 26 iulii 1855.)

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere. (Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

79. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam. (Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.)

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. (Alloc. *Iamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

511. *Iterum* Pius X *in enc.* Pascendi *(1907) errores consimiles modernistarum damnavit*: Nec enim non intra domesticos tantum parietes habet Ecclesia, quibuscum amice cohaerere illam oporteat; habet et extra. Non una namque ipsa occupat mundum, occupant aeque consociationes aliae, quibuscum commercium et usus necessario intercedat. Quae iura igitur, quae sint Ecclesiae officia cum civilibus consociationibus, determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiae natura, qualem nimirum modernistae nobis descripsere. — In hoc autem eisdem plane regulis utuntur, quae supra pro scientia atque fide sunt allatae. Ibi de *obiectis* sermo erat, hic de *finibus*. Sicut igitur ratione obiecti fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines, quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subici; licuit de mixtis quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis, consiliis prae-

ceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi, quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est toto nisu reiciendus. — Ea nimirum, Venerabiles Fratres, unde haec omnia dimanant, eadem profecto sunt, quae Pius VI decessor Noster, in Constitutione apostolica *Auctorem fidei*, sollemniter damnavit.

512. Sed modernistarum scholae satis non est debere statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquiunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt, ratiocinatione tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accidat credentem intimis religionis actibus haud contentum in externos exsilire, ut puta administrationem susceptionemve sacramentorum, necesse erit haec sub Status dominium cadere. Et quid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum haec nisi per externos actus non explicetur: Statui tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi e protestantibus liberalibus cultum omnem sacrum externum, quin etiam externam quamlibet religiosam consociationem, e medio tollunt, religionemque, ut aiunt, *individualem* invehere adnituntur. — Quod si modernistae nondum ad haec palam progrediuntur, petunt interea ut Ecclesia, quo ipsi impellunt, sua se sponte inclinet sesoque ad civiles formas aptet. Atque haec de auctoritate disciplinari.

PARS TERTIA

De Deo Trino.

I

ANTE CONCILIUM NICAENUM

513. Dionysii *papae ad Dionysium Alexandrinum (c. 165)* : a) *de ipsa Trinitate* : (1) Ἑξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιροῦντας καὶ κατατέμνοντας καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις καὶ θεότητας τρεῖς· πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, ταύτης ὑφηγητὰς τῆς φρονήσεως· οἳ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ· ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν Υἱὸν εἶναι λέγων τὸν Πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα· ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον Λόγον, ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἤδη καὶ τὴν θείαν Τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Μαρ-

513. Iam vero aequum fuerit disputare adversus eos, qui monarchiam, quae augustissima est Ecclesiae Dei praedicatio, in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque deitates dividentes ac discindentes destruunt. Audivi enim quosdam, qui apud vos divinum verbum praedicant et docent, huius opinionis magistros esse, qui quidem e diametro, ut ita loquar, Sabellii opinioni adversantur. Hic enim blasphemat, ipsum Filium dicens esse Patrem, et vicissim : illi vero tres deos quodammodo praedicant, dum sanctam unitatem in tres diversas hypostases ab invicem omnino separatas dividunt. Necesse est enim divinum Verbum Deo universorum esse unitum, et Spiritum Sanctum in Deo manere et inhabitare : adeoque divinam Trinitatem in unum, quasi in quendam verticem, hoc

Μαρκίωνος γὰρ τοῦ ματαιόφρονος δίδαγμα, εἰς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν καὶ διαίρεσιν, παίδευμα ὂν διαβολικόν, οὐχὶ δὲ τῶν ὄντως μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀρεσκομένων τοῖς τοῦ Σωτῆρος μαθήμασιν. Οὗτοι γὰρ Τριάδα μὲν κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται, τρεῖς δὲ θεοὺς οὔτε παλαιὰν οὔτε καινὴν διαθήκην κηρύττουσαν.

514. b) *De Filio*. (2) Οὐ μεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποίημα τὸν Υἱὸν εἶναι δοξάζοντας, καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντως γενομένων νομίζοντας, τῶν θείων λογίων γέννησιν αὐτῷ τὴν ἁρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' οὐχὶ πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυρούντων. Βλάσφημον οὖν οὐ τὸ τυχόν, μέγιστον μὲν οὖν, χειροποίητον τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον. Εἰ γὰρ γέγονεν Υἱός, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· ἀεὶ δὲ ἦν, εἴ γε ἐν τῷ Πατρί ἐστιν, ὡς αὐτός φησιν, καὶ εἰ λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός — ταῦτα γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαί, ὥσπερ ἐπίστασθε — ταῦτα δὲ δυνάμεις οὖσαι τοῦ Θεοῦ τυγχάνουσιν. Εἰ τοίνυν γέγονεν ὁ υἱός, ἦν ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα· ἦν ἄρα καιρός, ὅτε χωρὶς τούτων ἦν ὁ Θεός· ἀτοπώτατον δὲ τοῦτο.

Καὶ τί ἂν ἐπὶ πλέον περὶ τούτων πρὸς ὑμᾶς διαλεγοίμην, πρὸς ἄνδρας πνευματοφόρους καὶ σαφῶς ἐπισταμένους τὰς ἀτοπίας τὰς ἐκ τοῦ ποίημα λέγειν τὸν Υἱὸν ἀνακυπτούσας; Αἷς μοι δοκοῦσι μὴ προσεσχηκέναι τὸν νοῦν οἱ καθηγησάμενοι τῆς δόξης ταύτης, καὶ διὰ τοῦτο κομιδῆ τοῦ ἀληθοῦς διημαρτηκέναι, ἑτέρως ἢ βούλεται ταύτῃ ἡ θεία καὶ προφητικὴ γραφή, τὸ «Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ» ἐκδεξάμενοι. Οὐ μία γὰρ ἡ τοῦ ἔκτισεν, ὡς ἴστε, σημασία. Ἔκτισε γὰρ ἐνταῦθα ἀκουστέον ἀντὶ τοῦ ἐπέστησε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ γεγονόσιν

est in Deum universorum omnipotentem reduci atque colligi. Insipientis enim Marcionis doctrina, quae in tria principia monarchiam secat et dividit, diabolica sane est, non autem verorum Christi discipulorum vel eorum quibus Salvatoris disciplina placet. Hi enim probe norunt Trinitatem quidem in divina Scriptura praedicari, tres autem esse deos neque in Veteri neque in Novo Testamento doceri.

514. Sed neque minus culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse sicut unum eorum quae vere facta sunt arbitrantur; cum illum genitum esse, ut congruit ac decet, non conditum aut factum, divina eloquia testentur. Non levis igitur, sed maxima est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius, erat tempus quando non erat: atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre (Io. xiv, 10 sq.). Et si Christus verbum, sapientia et virtus est, haec enim Christum esse divinae docent litterae (Io. i, 14; I Co. i, 24) ut ipsi nostis, haec sane virtutes Dei sunt. Quocirca si factus est Filius, fuit tempus quando haec non erant; adeoque fuit tempus quo sine his erat Deus: quod perabsurdum est.

Sed quid pluribus de his apud vos disseram, viros Spiritu plenos, et apprime intelligentes quae sequantur absurda ex illa sententia, quae Filium factum asserit? Ad haec minime attendisse mihi videntur opinionis huius duces, et idcirco a veritate prorsus aberrasse, qui aliter, quam quod sibi vult divina et prophetica Scriptura, explicant illud *Dominus creavit me principium viarum*

ἔργοις, γεγονόσι δὲ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ. Οὐχὶ δέ γε τὸ ἔκτισε νῦν λέγοιτ' ἂν ἀντὶ τοῦ ἐποίησε. Διαφέρει γὰρ τοῦ ποιῆσαι τὸ κτίσαι. «Οὐκ αὐτὸς οὗτός σου πατὴρ ἐκτήσατό σε, καὶ ἐποίησέ σε καὶ ἔκτισέ σε;» τῇ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ μεγάλῃ ᾠδῇ ὁ Μωσῆς φησιν. Πρὸς οὓς καὶ εἴποι ἄν τις· Ὦ ῥιψοκίνδυνοι ἄνθρωποι, ποίημα ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὁ ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεννηθείς, ὁ εἰπὼν ὡς σοφία, «πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με»; Καὶ πολλαχοῦ δὲ τῶν θείων λογίων γεγεννῆσθαι, ἀλλ' οὐ γεγονέναι τὸν Υἱὸν λεγόμενον εὕροι τις ἄν. Ὑφ' ὧν καταφανῶς ἐλέγχονται τὰ ψευδῆ περὶ τῆς τοῦ Κυρίου γεννήσεως ὑπολαμβάνοντες, οἱ ποίησιν αὐτοῦ τὴν θείαν καὶ ἄρρητον γέννησιν λέγειν τολμῶντες.

515. c) *Iterum de tota Trinitate*: (3) Οὔτ' οὖν καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς θεότητας τὴν θαυμαστὴν καὶ θείαν μονάδα, οὔτε ποιήσει κωλύειν τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τοῦ Κυρίου· ἀλλὰ πεπιστευκέναι εἰς Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Υἱὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἡνῶσθαι δὲ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν Λόγον. «Ἐγὼ γάρ, φησι, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν» καὶ «Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρί, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί.» Οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία Τριὰς καὶ τὸ ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο.

516. *Fides* Gregorii Thaumaturgi, *c. 260-275*: Εἷς Θεός, Πατὴρ Λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, Πατὴρ Υἱοῦ μονογενοῦς. Εἷς Κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς

suarum (Prov. viii, 22). Non enim una est, ut scitis, verbi *creavit* significatio. Nam hoc in loco *creavit* idem est quod praefecit operibus ab ipso factis, factis, inquam, per ipsum Filium. At hic *creavit* non perinde intelligendum est atque *fecit*. Facere enim et creare inter se differunt. *Nonne ipse ille pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te?* (Dt. xxxii, 6) ait Moyses in magno Deuteronomii carmine. Sic etiam illos recte quis possit coarguere: O praecipites temerariique homines, ergone facta res est *primogenitus omnis creaturae* (Col. i, 15), *ex utero ante luciferum genitus* (Ps. cix, 3), qui, ut Sapientia dicit, *ante omnes colles gignit me* (Prov. viii, 25)? Denique multis in locis divinorum eloquiorum eum genitum dici, at nusquam factum Filium quis legerit. Ex quibus aperte convincuntur falsa de Domini generatione opinari, qui divinam atque inexplicabilem eius generationem factionem audent dicere.

515. Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres divinitates est separanda, neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda: sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem et in Christum Iesum eius Filium, et in Spiritum Sanctum: Verbum autem Deo universorum esse unitum. Quippe *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (Io. x, 30), et: *Ego in Patre, et Pater in me est* (Io. xiv, 10). Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiae praedicatio integra servabitur.

516. Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis et virtutis suae et figurae aeternae; perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, figura et imago deitatis, Verbum effi-

ἐκ Θεοῦ, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, Λόγος ἐνεργός, σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική, Υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ Πατρός, ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. Καὶ ἓν Πνεῦμα Ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ διὰ Υἱοῦ πεφηνὸς δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις· εἰκὼν τοῦ Υἱοῦ, τελείου τελεία, ζωὴ ζώντων αἰτία, πηγὴ ἁγία, ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ Πατήρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι, καὶ Θεὸς ὁ Υἱός, ὁ διὰ πάντων. Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. Οὔτε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ Τριάδι, οὔτε ἐπείσακτον, ὡς πρότερον μὲν οὐχ ὑπάρχον, ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν. Οὔτε οὖν ἐνέλιπέ ποτε Υἱὸς Πατρί, οὔτε Υἱῷ τὸ Πνεῦμα· ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος ἡ αὐτὴ Τριὰς ἀεί.

—

vum, sapientia omnium substantiam comprehendens, et virtus totius creaturae effectrix. Filius verus veri Dei, invisibilis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, immortalis ex immortali, aeternus ex aeterno. Et unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit hominibus, imago Filii perfecti perfecta, vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationem inducens: in quo Deus Pater manifestatur, qui est super omnia et in omnibus, et Deus Filius, qui est per omnia. Trinitas perfecta, gloria et aeternitate et regno non divisa, neque abalienata. Neque creatum quid aut serviens in Trinitate neque superinductum, quasi antea non fuisset et postea supervenisset. Neque ita defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper.

II

A CONCILIO NICAENO EVOLUTIO SYMBOLI APOSTOLICI

A) De tribus personis singillatim.

1. — De Patre.

517. Apostolicum : Πιστεύω εἰς θεὸν Πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. — Nicaenum (325) : Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. — Epiphanii *fides* (375) : Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ἀοράτων τε καὶ ὁρατῶν ποιητήν. — Symbolum CP : Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων.

2. — De Filio.

518. Apostolicum : Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ. — Nicaenum (325) : Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ..... Τοὺς δὲ λέγοντας· ἦν ποτε ὅτε οὐκ

---

517. Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae. — Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. — Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. — Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

518. Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. — Et in unum D. N. I. X. Filium Dei natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt in caelo et in terra... Eos autem qui dicunt : erat, quando non erat, et antequam nasceretur,

ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι ἢ κτιστὸν ἢ τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία.

Cf. fidem Orientalium (1743) : Veneror etiam et suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet : NICAENAM primam et profiteor, quod in ea contra *Arium* damnatae memoriae definitum est : Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces rec e in eadem Synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis quae non sunt, aut ex alia substantia vel essentia, aut quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei.

519. CONCILIUM PARISIENSE I, *a. 360-62, in epistola ad Orientales.* Ex litteris enim vestris quas dilecto fratri et consacerdoti nostro Hilario direxistis fraudem diaboli et conspirantia adversus Ecclesiam Domini haereticorum ingenia cognovimus, ut divisi, in partibus Orientis atque Occidentis diversis invicem opinionibus falleremur. Nam plures in mero qui aut Arimini aut Nicaeae adfuerunt sub auctoritate vestri nominis ad *usiae* silentium sunt coacti. Quod verbum a vobis quondam contra Ariomanitarum haeresim inventum a nobis semper sancte fideliterque susceptum est.

Nam *homousion* sermonem ad verum et legitimam ex Deo Patre Unigeniti nativitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabelli blasphemias ipsam unionem neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes sed ex toto atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum Unigenitum Deum natum, unius a nobis idcirco vel *usiae* vel *substantiae* cum Deo Patre confessum ne creatura potius aut adoptio aut appellatio videretur, et quia ex ipso esset ut ex patre filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus ut ex spiritu spiritus, ut lumen ex lumine. Similitudinem quoque eius ad Deum Patrem non invidi audientes, quippe cum imago invisibilis Dei sit (Col. 1, 15). Sed eam solum similitudinem dignam ad Patrem intelligentes quae veri Dei sit ad Deum verum. Ita ut non unio divinitatis sed unitas intelligatur quia unio sit singularis, unitas vero secundum nativitatis veritatem plenitudo nascentis sit. Maxime cum Dominus ipse Iesus Christus ad discipulos suos sit professus dicens : *Ego et Pater unum sumus* (Io. x, 30). Quo non solum caritatem quae ad Patrem est sed et divinitatem

non erat, et quod de non exstantibus factus est, vel ex alia substantia aut essentia, dicentes convertibilem et demutabilem Deum, hos anathematizat catholica Ecclesia.

quae Dei ex Deo est significat, secundum illud : *Qui me videt videt et Patrem* (Io. XIV, 9) et : *Si mihi non vultis credere vel operibus meis credite quia Pater in me est et ego in Patre* (Io. x, 38).

Hanc igitur semper fidem tenentes et tenebimus, detestantes quoque eos qui dicunt : Non erat antequam nasceretur ; non quod unigenitum Deum innascibilem praedicemus sed quod impium sit maxime Deo temporum tempus aliquod anteferre cum ipsum illud antequam nasceretur non fuisse sit temporis. Sed et oboedientem quoque Patri Filium etiam usque ad mortem crucis secundum infirmitatem assumpti hominis non negamus, cum ipse de ascensu suo ad caelos locutus sit : *Si diligeretis me, gauderetis quia vado ad Patrem quia Pater maior me est* (Io. XIV, 28). Per cuius carnis susceptionem nos sibi fratres connuncupare dignatus est, cum in forma Dei manens forma servi esse voluit[1] (Phil. II, 7).

520. *Ancyrana Ecclesia, per Eugenium diaconum (ante m. maium 373).* Ἡμεῖς προηγουμένως μὲν ἀναθεματίζομεν τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν· πιστεύομεν δὲ ὡς οἱ πατέρες ἡμῶν ὡμολόγησαν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν γενομένῃ συνόδῳ· ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱὸν καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ καὶ μήτε κτίσμα μήτε ποίημα εἶναι αὐτὸν ἀλλὰ δι' αὐτοῦ πάντα τὰ γενητὰ γεγενῆσθαι· οὐ γὰρ ἄλλον τὸν Υἱὸν καὶ ἄλλον τὸν Λόγον φρονοῦμεν, ὥς τινὲς ἡμᾶς διέβαλλον, ἀλλὰ τὸν Λόγον εἶναι Υἱόν, σοφίαν, δύναμιν τοῦ Πατρὸς ἐν ᾧ τὰ πάντα, ὡς ἐδίδαξεν ὁ ἀπόστολος, τά τε ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαί, εἴτε ἐξουσίαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται (Col. 1, 16).

521. EPIPHANII *fides (375)* : Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ Θεοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ,

520. Nos igitur in primis anathemate damnamus Arianam haeresim ; credimusque, quemadmodum et patres nostri in Nicaena Synodo confessi sunt, ex substantia Patris esse Filium et consubstantialem Patri ipsumque neque rem creatam neque rem factam esse, verum omnia quae facta sunt per ipsum facta fuisse. Neque enim censemus alium esse Filium, alium esse Verbum, ut quidam nos sentire mentiti sunt, sed ipsum Verbum esse Filium, sapientiam, virtutem Patris, in quo omnia, ut nos docuit Apostolus, *cum visibilia tum invisibilia, sive throni, sive principatus, sive potestates, omnia demum per ipsum et in ipsum creata sunt.*

521. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, genitum a Deo Patre unigenitum, hoc est, e Patris substantia, Deum de Deo, lumen de

1. Lege declarationes synodi Alexandrinae (363), in epistola Athanasii ad Iovianum (PG 26, 813-18) et synodi Antiochenae (363), in epist. ad eumdem ap. Sozomeni HE VI, 4), de consubstantiali.

γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα.

522. *Symbolum CP (IV[1] s.)* . Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο.

523. Damasus, *in Confessione fidei, a. inc. post 375* . 2. Anathematizamus quoque eos, qui Sabellii sequuntur errorem, eundem dicentes Patrem esse quem Filium. — 8. Anathematizamus eos, qui Verbum Filium Dei extensione aut collectione et a Patre separatum, insubstantivum et finem habiturum esse contendunt. — 11. Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est de divina substantia ipsius, A. S. — 12. Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem eius et omnia posse et omnia nosse et Patri aequalem, A. S.

3. — De Spiritu Sancto.

a) De spiritus sancti divinitate[1].

524. *Apostolicum* : Καὶ εἰς ἓν ἅγιον Πνεῦμα τὸν παράκλητον — *Nicaenum (325)* : Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα.

525. *Tomus ad Antiochenos (362)* . 3. Μηδὲν πλέον ἀπαιτήσατε παρ' αὐτῶν [τοὺς βουλομένους εἰσηνεύειν πρὸς ἡμᾶς] ἢ ἀναθεματίζειν μὲν τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν ὁμολογεῖν δὲ τὴν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ὁμολογηθεῖσαν ἐν

Iomine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam quae caelis quam quae terra continentur, visibilia et invisibilia.

522 Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, unigenitum ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

524 Et in Spiritum sanctum paraclitum.

525. 3. Nihilque amplius ab illis [quotquot nobiscum pacem habere cupiunt] exigatis quam ut Arianam haeresim anathemate damnent fidemque a sanctis Patribus Nicaeae promulgatam profiteantur. Condemnent item eos

1. Cf. Palmieri, *art* Esprit-Saint, sa divinité, in DTC, V, c. 676-762

Νικαίᾳ πίστιν, ἀναθεματίζειν δὲ καὶ τοὺς λέγοντας κτίσμα εἶναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ διῃρημένον ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Χριστοῦ · τοῦτο γάρ ἐστιν ἀληθῶς ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς μυσαρᾶς αἱρέσεως τῶν ἀρειανῶν τὸ μὴ διαιρεῖν τὴν ἁγίαν Τριάδα καὶ λέγειν τι ταύτης εἶναι κτίσμα. Οἱ γὰρ προσποιούμενοι μὲν ὀνομάζειν τὴν ὁμολογηθεῖσαν ἐν Νικαίᾳ πίστιν τολμῶντες δὲ κατὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος βλασφημεῖν οὐδὲν πλέον ποιοῦσιν ἢ τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν τοῖς μὲν ῥήμασιν ἀρνοῦνται τῷ δὲ φρονήματι ταύτην καὶ ἔχουσιν.

526. Alexandrinum *(362) de Nicaenis Patribus adversus novatores* βλασφημοῦντας εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν τῷ φάσκειν αὐτοὺς κτίσμα εἶναι αὐτὸ καὶ ποίημα διὰ τοῦ Υἱοῦ γεγενῆσθαι — *dicit* 7. Ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξασαν αὐτὸ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας Τριάδος πίστει διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι θεότητα.

527. Iconiense *c. 375* : (In Synodo Nicaena) σεσιγημένου δὲ τηνικαῦτα τοῦ κατὰ τὸ Πνεῦμα ζητήματος διὰ τοῦτο πλατύτερον μὲν οὐδὲν προσέθεσαν · τοῖς μέντοι γε συνετῶς ἀναγινώσκουσιν, αὐτάρκης καὶ ἡ περὶ τοῦ Πνεύματος ἐν ἐκείνῃ τῇ πίστει διδασκαλία ὥσπερ εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν πιστεύειν οὕτω καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα πιστεύειν ἐδογμάτισαν · μήτε ἑτέραν τινὰ φύσιν ἐπεισάγοντες τῇ θείᾳ καὶ μακαρίᾳ Τριάδι μήτε τι τῶν ἐκ τῆς Τριάδος ἀποτέμνοντες εἰς τὴν τῆς πίστεως ἔκθεσιν.

Ἐπεὶ δὲ πρόσφατον ὁ Σατανᾶς διασαλεύειν τὰς Ἐκκλησίας ἐπιχειρῶν, ἐνέβαλέ τισι περὶ τοῦ Πνεύματος δισταγμόν, ἀναγκαῖον ἐπὶ τὴν πηγὴν ἀνατρέχειν τῆς πίστεως ἐξ ἧς καὶ οἱ κατὰ Νίκαιαν πατέρες ἀναρυσάμενοι, τὴν ἔκθεσιν

---

qui Spiritum Sanctum affirmant creaturam esse et a Christi substantia divisum. Illud enim vere est resilire a detestanda Arianorum haeresi sanctam Trinitatem non dividere nec dicere aliquid quod ad eam pertineat creaturam esse. Nam qui simulant quidem se Nicaenam fidem profiteri atque interea contra Spiritum Sanctum blasphemare non dubitant, nihil aliud praestant quam quod Arianam haeresim verbis quidem negant animo autem et sententia retineant.

526. *De Nicaenis Patribus adversus novatores* : impia proferentes in Spiritum Sanctum quem nimirum aiunt rem creatam esse et per Filium factum *dicit* : Neque etiam Spiritum Sanctum a Patre et Filio disiunxere sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere in una sanctae Trinitatis fide quia semper una est in sancta Trinitate divinitas.

527. Cumque eo tempore (Nicaenae synodi) de quaestione circa Spiritum Sanctum taceretur ideo nihil amplius addiderunt. Verum iis qui prudenter legerint sufficiens videbitur doctrina de Spiritu quae ea in fide (Nicaena) continetur. Docuerunt enim sicut credi debet in Patrem et Filium, ita etiam credendum esse in Spiritum nec aliam quampiam inducentes in divina beataque Trinitate naturam neque quidquam de Trinitate resecantes in illa fidei expositione.

Sed quia nuper Ecclesias concutere aggressus Satanas immisit quibusdam dubitationem de Spiritu, necesse est ut ad fidei fontem recurramus e quo, cum

τῆς πίστεως ἐποίησαν. Τίς οὖν ἡμῶν ἡ τῆς πίστεως τελειότης; ἡ τοῦ Κυρίου παράδοσις, ἣν μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς ἐνετείλατο, προστάξας· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος (Mt. xxviii, 19). Δῆλον ὅτι τὴν ἐντολὴν ἐδεξάμεθα, οὐ μόνον εἰς τὸ βαπτίζειν οὕτως ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ μαθητεύειν οὕτως· ὡς διὰ ταύτης τῆς ἐντολῆς καὶ τὴν Σαβελλίου νόσον ἀποκλεισθῆναι, τῶν τριῶν ὑποστάσεων καθαρῶς ἡμῖν παραδοθεισῶν καὶ τῶν ἀνομοίων καὶ τῶν ἀρειανῶν καὶ τῶν πνευματομάχων ἐμφραγῆναι τὰ στόματα· τῶν προσώπων καὶ τῶν ὑποστάσεων τριῶν δηλουμένων, τῆς δὲ φύσεως καὶ τῆς θεότητος μιᾶς ὁμολογηθείσης. Ἀνάγκη τοίνυν οὕτως ἡμᾶς βαπτίζειν ὡς ἐδιδάχθημεν καὶ οὕτω πιστεύειν ὡς ἐβαπτίσθημεν καὶ οὕτω δοξάζειν ὡς ἐπιστεύσαμεν· πολλὰ γὰρ τῇ διανοίᾳ περισκοποῦντες καὶ πανταχοῦ στραφέντες τοῖς λογισμοῖς, οὐδὲν ἐπινοῆσαι δυνάμεθα μεταξὺ τοῦ κτίστου καὶ τῆς κτίσεως, ὥστε εἰ τῆς θεότητος τὸ Πνεῦμα χωρίζομεν, ἀνάγκη μετὰ τῶν κτισμάτων αὐτὸ καταριθμεῖν. Εἰ δὲ κτίσμα τολμήσομεν εἰπεῖν, πῶς δυνατὸν ἐν τῷ βαπτίσματι μιχθῆναι; τὴν πολυθεΐαν οὕτως ὡς καὶ τὴν ἀθεΐαν καπίζομεν καὶ οὔτε τρεῖς ἀρχὰς οὔτε τρεῖς θεοὺς οὔτε τρεῖς διαφόρους καταγγέλλομεν φύσεις· ἀλλὰ ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸν Πατέρα γινώσκοντες, οὔτε τινὰ τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἀθετοῦμεν καὶ τὸ σεμνὸν τῶν τριῶν (l. θειων?) γραφῶν καὶ τὰς ἐφ' ἕκαστον μαρτυρίας προσάγοντες...

Ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς δοξολογίαις τὸ Πνεῦμα Πατρὶ καὶ Υἱῷ συνδοξάζειν καὶ εἰδέναι τοῦτο ὅτι οἱ τὴν ἀσυγχώρητον ἁμαρτίαν, διὰ τῆς εἰς τὸ Πνεῦμα βλασ-

---

Nicaene congregati patres etiam hausissent, fidei expositionem confecerunt. Quaenam ergo est nostrae fidei perfectio? Domini traditio quam postquam resurrexisset a mortuis, mandavit Sanctis suis discipulis praecipiens: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Constat accepisse nos mandatum non solum hoc modo baptizandi verum etiam pari modo docendi, adeo ut per hoc praeceptum tum Sabellii intercludatur morbus per tres hypostases pure nobis traditas, tum Anomoeorum Arianorumque et Pneumatomachorum obturentur ora tribus quidem personis ac hypostasibus, una vero natura et divinitate confessa. Quamobrem oportet nos eo modo baptizare quo edocti sumus atque eo credere quo fuimus baptizati, eo autem glorificare quo credidimus. Multa siquidem mente volutatis et in omnes partes cogitationibus conversi, nihil possumus medium advertere Creatorem inter et creaturam. Quocirca si a divinitate Spiritum seiunxerimus, necessario illum cum creaturis debemus annumerare. Quod si ausi fuerimus creaturam dicere, qui fieri poterit ut in baptismo coniungatur? Eo pacto deorum multitudinem recurrenumus, una cum negatione divinitatis et neque tria principia neque tres deos neque tres diversas praedicamus naturas sed Patrem pro universorum principio agnoscentes, nullam trium hypostasum subtiumar, sacrarum Scripturarum maiestatem ac singulis probandis testimonia proferentes.

Sed et oportet in doxologiis Spiritum una cum Patre et Filio conglorificare atque hoc intellegere quod ii qui irremissibile peccatum per blasphemiam in

φημίας ἐξαμαρτάνοντες, εἰκῇ παραιτοῦνται τὴν πρὸς τοὺς Ἀρειανοὺς κοινωνίαν· μετὰ γὰρ ἐκείνων κατακριθήσονται.

528. *Symbolum Epiphanii (375)*: Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα πιστεύομεν, τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ κηρύξαν ἐν τοῖς προφήταις καὶ καταβὰν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, λαλοῦν ἐν ἀποστόλοις, οἰκοῦν ἐν ἁγίοις· οὕτως δὲ πιστεύομεν ἐν αὐτῷ, ὅτι ἐστὶ πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα Θεοῦ, πνεῦμα τέλειον, πνεῦμα παράκλητον, ἄκτιστον, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβανόμενον καὶ πιστευόμενον. — *Symbolum* CP (s. IV): Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν.

Cf. Fides Orientalium (1743): (Veneror et suscipio) CPtanam primam, secundam in ordine, et profiteor, quod in ea contra *Macedonium* damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre et Filio deitatem.

529. Damasus, *in fg*. Ea gratia, *ante 381*: Spiritum quoque Sanctum, increatum atque unius maiestatis, unius usiae, unius virtutis cum Deo Patre et D. N. I. X. fateamur. Neque enim creaturae dignus iniuria est qui emissus est ut crearet, sicut propheta sanctus adstruxit dicens: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* (Ps. ciii, 30); deinde alius item posuit: *Spiritus divinus qui fecit me* (Iob, xxxiii, 4), qui in operatione ac peccatorum remissione conectitur.

530. *Idem in Confessione fidei ad Paulinum, post 375*: Et quia postea is error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum esse per Filium:

1. Anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiae. — 16. Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius, de divina substantia et Deum verum, A. S. — 17. Si quis non dixerit omnia posse et ubique esse, sicut Filium et Patrem, A. S. — 18. Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam, aut per Filium factum, A. S. — 22. Si quis non dixerit adorandum Spiritum Sanctum ab omni crea-

---

Spiritum admittunt frustra repudiant communionem cum Arianis quia scilicet cum iis condemnabuntur.

528. Credimus et in Spiritum Sanctum, qui locutus est in lege, et per prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in apostolis locutus est, et in sanctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus: Spiritum esse sanctum, Spiritum Dei, Spiritum perfectum, Spiritum Paraclitum, increatum, a Patre procedentem, accipientem a Filio, in quem credimus. — Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre [Filioque] procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

tura sicut Filium et Patrem, A. S. — 23. S. quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem Sancto non recte habuerit, haereticus est. Quod omnes haeretici de Filio Dei et Spiritu Sancto male sentientes, in perfidia Iudaeorum et gentilium inveniuntur.

Cf. infra, sub. b, n. 534. fidem Leonis IX et Mich. Palaeologi.

b) De processione Spiritus Sancti[1].

531. *Synodi* Ctesiphontis *symbolum (410) :* Et confitemur in Spiritum vivum et sanctum Paraclitum vivum de Patre et Filio in una Trinitate, in una substantia, in una voluntate, amplexantes fidem cccxviii episcoporum habitam in Nicaena civitate[2].

532. Gelasianum *(s. VI) ex* Augustino : *l. 3* Spiritus enim Sanctus non est Patris tantummodo aut Filii tantummodo Spiritus, sed Patris et Filii Spiritus; scriptum est enim : *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo* (I Io. II, 15). Item scriptum est : *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Ro. VIII, 9). Nominato ita Patre et Filio intelligitur Spiritus Sanctus[3] de quo ipse Filius in evangelio dicit quia *Spiritus Sanctus a Patre procedit* (Io. XV, 26), et *de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Io. XVI, 14).

533 *Formulae ex variis documentis praesertim symbolis* :

Fides Ps. Damasi (saec. VI) : De Patre et Filio procedentem.

Toletanum I (*libellus Pastoris*) (*saec. V*) : A Patre Filioque procedens (*bis*).

Quicumque (saec. VI) : A Patre et Filio non factus, nec creatus nec genitus, sed procedens.

Hormisdae ep. *(521)* : De Patre et Filio procederet (*infra*, n. 563).

Pelagii I *fides (556):* Qui ex Patre intemporaliter procedens Patris est Filiique Spiritus.

Toletanum III *(589)* : Praedicandus est a Patre et a Filio procedere. — Anathema 3 : Quicumque Sp. S. non credit aut non crediderit a Patre et Filio procedere, a. s.

1. Cf. Palmieri, La procession du Saint-Esprit, du Père et du Fils, in DTC, V, c. 761-829; et art. *Filioque, ibid.*, 2309-43. — 2. De hoc symbolo magna est controversia (cf. HL. t. 2, § 117, p. 159, n. 3, ubi bibliographia). Codex in quo refertur, saec. IX vel X (ita Chabot, *Synodicon Orientale* p. 262, n. 5), nullum vestigium interpolationis exhibet. Authenticitas vero praecipue impugnata est ob assertionem processionis Sp. S. a Filio, et post J. B. Martin, Th. Lamy optimas, ut videtur, rationes attulit cur haec genuina doctrina antiquiorum syrorum esse existimetur. — 3. Hucusque Augustinus, in Io. tr. 9, 7 (PL 35, 1461).

Gregorii I *fides (c. 590) :* De Patre et Filio procedentem.

Toletanum IV *(633)* . Procedentem ex Patre et Filio.

Toletanum VI *(638) :* De Patre Filioque procedentem utriusque esse Spiritum ac per hoc substantialiter unum sunt quia et unus ab utroque procedit.

Toletanum VIII *(653) : Addit symbolo CP :* ex Patre et Filio procedentem. *Ita Emeritense (666), Bracarense IV (675), Toletanum XII (684), XIII (685), XV (688), XVII (694).*

Toletanum XI *(675) :* Ab utrisque procedentem amborum esse Spiritum ... nec Patris tantum sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur, simul ab utrisque processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum esse cognoscitur.

Heotfeldense *(680) :* procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter[1].

Toletanum XVI *(693)* : Qui pro eo quod de Patre Filioque procedit ad Patrem Filiumque refertur.

Forojuliense *(791)* : Ex Patre Filioque intemporaliter et inseparabiliter procedens, ... ex utroque procedit.

Leonis III *fides (809)* : A Patre et Filio aequaliter procedentem... A Patre et Filio procedens.

Lateranense IV *(1215)* : Sp. S. pariter ab utroque. Sp. S. procedens (cap. 1); Sp. S. ab utroque procedens (cap. 2).

534. *Fides* Leonis IX *(1053):* Credo etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio, per prophetas locutum. — *Fides Michaelis Palaeologi (1274):* Credimus et Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coaequalem et consubstantialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio.

535. Lugdunense II, *oecumenicum XIV (1274), Const. de summa Trinitate et fide catholica :* Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit : hoc professa est hactenus, praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet, praedicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra : hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter et Graecorum incommuta-

1. *At Mediolanense et Romanum eiusdem anni omittunt* ex Filio : *M* : ab alterni Patris persona eum procedere monstramus. — *R* : ex Patre procedentem.

bilis et vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis praemissae veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi: Nos huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus, qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno, procedat.

536. *Fides Ioannis Vecci patriarchae CP (1277)*: Credimus eodem modo et in Spiritum Sanctum omnia scrutantem etiam profunda Dei (I Cor. II, 10), qui naturaliter inest Deo et Patri et essentialiter insitus est, ut ita dicamus, et indivisibiliter ex ipso procedens, naturaliter inest et Filio et essentialiter ei insitus et indivisibiliter ex ipso procedit. Profunditur quidem et procedit quemadmodum a fonte, Deo et Patre; profunditur autem et ab ipso Filio quemadmodum a fonte, velut utique et ex ipso Deo et Patre, sed licet Pater fons Spiritus sit et Filius fons Spiritus sit non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater et Filius. Unum enim fontem Spiritus Patrem et Filium fidelis et pia intelligentia tenet, et propter hoc communem Patris et Filii Spiritum Sanctum Ecclesiae luminaria et doctores theologizarunt. Sicut enim de substantia Patris naturaliter Spiritus est, sic et ex substantia Filii naturaliter Spiritus est et sicut secundum substantiam exsistit Dei et Patris ita et secundum substantiam Filii exsistit et ut proprius est essentiae Patris et non extra hanc procedens in esse ita et essentiae Filii proprius est et non extra hanc procedens in esse. Naturalium enim bonorum Dei et Patris essentialiter exsistens Filius communicator, habet Spiritum sicut unusquisque nostrum proprium in seipso continens Spiritum et ex intimis visceribus ad extra profundit ipsum. Propter quod et corporaliter ipsum discipulis insufflavit quia inspiratione Filii Spiritum novimus et sensum Christi Spiritum esse ab Apostolo edocti sumus (I Cor. II, 16).

537. Florentinum, *oec. XVII, DGr. (1439)*:

Controversia. Convenientes enim Latini ac Graeci in hac sacrosancta synodo oecumenica, magno studio invicem usi sunt ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur, prolatis vero testimoniis ex divinis Scripturis plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum et ad eandem intelligentiam adspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, *Graeci* quidem asseruerunt quod id quod dicunt Spiritum

Sanctum ex Patre procedere non hac mente proferunt ut excludant Filium sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere tanquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat et Filio; *Latini* vero asseruerunt non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere ut includant Patrem quin sit fons et principium totius Deitatis, Filii scilicet ac Spiritus Sancti aut quod id quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia seu duas spirationes, sed ut unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus tandem in infrascriptam sanctam et Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt:

538. *Definitio*: In nomine igitur sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, diffinimus ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem[1]. Et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Diffinimus insuper explicationem verborum illorum *Filioque*, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. — *Cf. DLac. (1442*, n. 603).

Eadem declaratio profertur in Fide Graecorum (Gregorius XIII, *1575)*.

---

[1] In epistola Hadriani I ad Carolum Magnum (M. 13, 761-66) allegantur textus pro ratione dicendi Graecorum (Tarasii CP) *Sp. S. ex Patre per Filium procedere*.

c) De spiritus sancti muneribus.

539. Gelasianum (s VI) : Incipit Concilium Urbis Romae sub Damaso papa de explanatione fidei :

I. Dictum est : 1. Prius agendum de Spiritu septiformi (Is. xi, 2) qui in Christo requiescit

Spiritus sapientiae : *Christus Dei virtus et Dei sapientia* (I Cor. i, 24) ;

Spiritus intellectus : *Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris* (Ps. xxxi, 8) ;

Spiritus consilii : *Et vocabitur magni consilii Angelus* (Is. ix, 6),

Spiritus virtutis, ut supra : *Christus Dei virtus et Dei sapientia* (I Cor. i, 24),

Spiritus scientiae : *Propter eminentiam Christi scientiae Iesu*, apostoli (Phil. iii, 8);

Spiritus veritatis : *Ego sum via et vita et veritas* (Io. xiv, 6),

Spiritus timoris Dei : *Initium sapientiae timor Domini* (Ps. cx, 10)[1].

540. Leo XIII, *in enc.* Divinum illud munus, *9 maii 1897 : In incarnatione Verbi :* A principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic emicet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tanquam proprium adscribitur : ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent : *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, et : *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* (Mt. i, 18-20). Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas ; cum hoc *magnum pietatis Sacramentum* (I Ti. iii, 16) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (Io. iii, 16). Accedit quod natura humana evecta inde sit ad coniunctionem personalem cum Verbo : quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, propterea que ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus : *Iste modus*, inquit, *quo est*

1. Vide in ed. E. von Dobschütz (T. U. 38, 4) quam hic describo, p. 23 ad ll. 45-51 textum alium apocryphum in quo spiritus septiformis pro variis donis de Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moyse, David praedicatur.

natus Christus de Spiritu Sancto... insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui Filius hominis, et Filius hominis qui Filius Dei[1]. Divini autem Spiritus opera non solum conceptio Christi effecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, quae unctio in sacris libris nominatur (Act. x, 38) : atque adeo *omnis eius actio praesente Spiritu peragebatur*[2], praecipueque sacrificium sui : *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* (Heb. ix, 14). — Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affluxerint. Namque in ipso copia insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit; in ipso omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae gratis datae, virtutes, donaque omnino omnia quae tum Isaiae oraculis nuntiata, tum significata sunt admirabili ea columba ad Iordanem cum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecravit. Quo loco illa eiusdem Augustini recte conveniunt : *Absurdissimum est dicere quod Christus, cum iam triginta esset annorum, accepit Spiritum Sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Tunc ergo*, scilicet in baptismate, *corpus suum, id est Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum*[3]. Itaque Spiritus Sancti et praesentia conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimirum quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur.

541. *In Ecclesia constituenda :* Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsaque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea mira effusione quam Ioel propheta iampridem viderat (Ioel ii, 28-29), nam Paraclitus *sedit super Apostolos ut novae coronae spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum*[4]. Tum vero Apostoli *de monte descenderunt*, ut Chrysostomus scribit, *non tabulas lapideas in manibus portantes, sicut Moyses,*

1. *Enchir.*, c. 40, PL 40, 252, *ubi omittitur* primo *et legitur* Deo. — S. Th. III, qu. 32, a. 1. — 2. S. Basil., *de Sp. S.* c. 16, n. 39, PG 32, 140 C. — 3. *De Trin.*, l. XV, c. 26, n. 46, PL 42, 1094, *ubi legitur :* Absurdissimum est enim ut credamus eum cum iam... accepisse... venisse... baptisma... sine ullo omnino peccato, *et* 1093 : Tunc enim... suam praefigurare. — 4. Cyr. Hierosol., *Catech.* 16, 16, PG 33, 988 B.

sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quendam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes[1]. — Ita plane eveniebat illud extremum Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo, qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quodammodo obsignaturus depositum : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Io. XVI, 12-13). Hic enim quo Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque una cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem : quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, utque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera praestare ad populorum salutem.

542. *In Ecclesia administranda :* Et quoniam populorum salus, ad quam nata est Ecclesia plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam coacervat augetque. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (Io. XIV, 16-17). Ab ipso namque episcopi constituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta : *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (Act. XX, 28). Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant, secundum illud Christi ad Apostolos : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 22-3). Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat quod cum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima : *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia*[2]. — Quae ita cum sint, nequaquam comminisci et exspectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque *divini Spiritus manifestationem et ostensionem* : quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.

1. *In Matth. hom.*, I, 1. PG 57, 15. — 2. S. Aug., *serm.* 267, 4. PL 38, 1231.

543 *In animis sanctificandis, ante et post Christum natum :* Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est, quanquam intellectu paulo est difficilius, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum. Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficitur, abundantissimo amni similem dixerit, prout est apud Ioannem : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae;* cui testimonio idem Evangelista explanationem subicit : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (Io. VII, 38-9). Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus; quippe in Pentecoste non ita se Spiritus Sanctus tribuit, *ut tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet, sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans nec ideo novus opere, quia ditior largitate*[1]. Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius *nihil differt a servo* quousque est *sub tutoribus et actoribus* (Gal. IV, 1-2) : ac praeterquam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri, communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arrham pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes : *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* (Io. VII, 39).

544. Statim igitur ut Christus, *ascendens in altum*, regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, *dedit dona hominibus* (Eph. IV, 8). Nam, *certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat sed talis non fuerat*[2]. Siquidem natura humana necessario serva est Dei : *Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam*[3] : quin etiam ob communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo exstiterimus : *Eramus natura filii irae* (Eph. II, 3). Tali nos a ruina exitioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vindicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenitum suum : cuius beneficio factum, ut homo in gradum nobilitatemque, unde exciderat, cum donorum locupletiore ornatu sit restitutus.

1. S. Leo M. s. 77, 1. PL 54, 412 A. — 2. S. Aug. *de Trin.*, l. IV, c. 20, n. 29. PL 42, 908 ubi legitur *erat* loco secundi *fuerat*. — 3. S. Cyr. Alex., *Thesaur.* (Fortasse : *in Io.*) l. V, c. 5.

Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur. — Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est *Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater;* idemque paterni amoris suavitate corda perfundit : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (Ro. viii, 15-6). Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam, quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis*, et *alii sanctificantur ut sint filii Dei adoptivi*[1]. Ita, multo quidem nobilius quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, ab Amore scilicet increato.

545. *Per baptisma et confirmationem :* Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma : in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit : *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est* (Io. iii, 7). Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et robur christianae vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (Ro. v, 5). Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorundem est auctor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei.*

546. *De inhabitatione Sp. S. :* Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt, Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse *per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi*[2]. At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et diligitur; cum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tanquam in templo, modo penitus intimo et singulari, ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et

1. S. Th., IIIa, q. 33, a. 1. — 2. S. Th. Ia, q. 8, a. 3.

dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Io. xiv, 23), attamen de Spiritu Sancto tanquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia, caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret eundem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum contrahitur. Quapropter Apostolus cum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo* (I Co. vi, 19).

547. *Dona Sp. S.* : Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina, *cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi*[1]. In his autem muneribus sunt arcanae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sibilo; easque Doctor Angelicus scite confert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabdita : *Cor habet quandam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit*[2]. — Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tanquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae ut in caelesti regno eadem, quanquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nuntiae sunt

1. S. Th., Ia, q. 38, a. 2; S. Aug. *de Trin.* l. xv, c. 19, n. 34, PL 42, 1084. — 2. S. Th., IIIa, q. 8, a. 1 ad 3.

beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni referios dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent a Spiritu, *qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas*[1].

548 *Summa :* Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in Testamento Veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quod est Ecclesia, atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentia et gratia sua iam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes.

B) De tribus simul personis seu de ipsa Trinitate.

549. *Parisiense I (360-2) :* Cum sola spes sit plenissima ad salutem Deum Patrem omnipotentem per Unigenitum eius Dominum Iesum Christum in Sancto Spiritu confiteri *(cetera supra n. 519)*.

550. *Tomus ad Antiochenos (362)* : 5. Οὓς γὰρ ἐμέμφοντό τινες ὡς τρεῖς λέγοντας ὑποστάσεις διὰ τὸ ἀγράφους καὶ ὑπόπτους αὐτόθεν εἶναι τὰς λέξεις, ἠξιώσαμεν μὲν μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν πλὴν τῆς κατὰ Νίκαιαν ὁμολογίας· ἀνεκρίναμεν δὲ ὅμως τούτους διὰ τὴν φιλονεικίαν μὴ ἄρ' ὡς οἱ Ἀρειομανῖται λέγουσιν ἀπηλλοτριωμένας καὶ ἀπεξενωμένας ἀλλοτριοουσίους τε ἀλλήλων καὶ ἑκάστην καθ' ἑαυτὴν ὑπόστασιν διῃρημένην ὡς ἔστι τὰ ἄλλα κτίσματα καὶ τὰ ἐξ ἀνθρώπων γεννώμενα· ἢ ὥσπερ διαφόρους οὐσίας, ὥσπερ ἐστὶ χρυσὸς ἢ ἄργυρος ἢ χαλκός, οὕτω καὶ αὐτοὶ λέγουσιν· ἢ ὡς ἄλλοι αἱρετικοὶ τρεῖς ἀρχὰς καὶ τρεῖς θεοὺς λέγουσιν οὕτω καὶ οὗτοι φρονοῦντες τρεῖς

---

550. 5. Nam quos quidam incusabant quod *tres hypostases* dicerent, quia has voces, cum in Scriptura non habeantur, hinc suspectae esse possunt, rogavimus ut nihil praeter Nicaenam confessionem inquirerent. Hos tamen contentionis occasione interrogavimus anne ut Ariomanitae dicant hypostases illas alienas peregrinasque ac diversae a se invicem substantiae et unamquamque hypostasim secundum se ab altera divisam, ut sunt aliae creaturae, nec non qui ex hominibus nascuntur vel quasi diversas substantias quale est aurum, argentum et aes, sic et ipsi dicerent, an sicut alii haeretici tria principia et tres deos esse dicunt, eadem ipsi sententia affirmarent tres esse hypostases? At illi

1. S. Aug. *de Trin.*, l. VI, c. 10, n. 11. PL 42 932.

ὑποστάσεις λέγωσι; Διαβεβαιώσαντο μήτε λέγειν μήτε πεφρονηκέναι ποτὲ οὕτως. Ἐρωτώντων δὲ ἡμῶν αὐτούς· πῶς οὖν ταῦτα λέγετε ἢ διὰ τί δὲ ὅλως τοιαύταις χρῆσθαι λέξεσιν; ἀπεκρίναντο διὰ τὸ εἰς ἁγίαν Τριάδα πιστεύειν οὐκ ὀνόματι Τριάδα μόνον ἀλλ' ἀληθῶς οὖσαν καὶ ὑφεστῶσαν, Πατέρα τε ἀληθῶς ὄντα καὶ ὑφεστῶτα καὶ Υἱὸν ἀληθῶς ἐνούσιον ὄντα καὶ ὑφεστῶτα, καὶ Πνεῦμα ἅγιον ὑφεστὸς καὶ ὑπάρχον οἴδαμεν· μήτε δὲ εἰρηκέναι τρεῖς θεοὺς ἢ τρεῖς ἀρχὰς μήθ' ὅλως ἀνέχεσθαι τῶν τοῦτο λεγόντων ἢ φρονούντων· ἀλλ' εἰδέναι ἁγίαν μὲν Τριάδα μίαν δὲ θεότητα καὶ μίαν ἀρχὴν καὶ Υἱὸν μὲν ὁμοούσιον τῷ Πατρί ὡς εἶπον οἱ πατέρες· τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα οὐ κτίσμα οὐδὲ ξένον ἀλλ' ἴδιον καὶ ἀδιαίρετον τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πατρός.

6. Ἀποδεξάμενοι δὲ τούτων τὴν ἑρμηνείαν τῶν λέξεων καὶ τὴν ἀπολογίαν, ἀνεκρίναμεν τοὺς αἰτιαθέντας παρὰ τούτων ὡς λέγοντας μίαν ὑπόστασιν μὴ ἄρα ὡς Σαβέλλιος φρονεῖ οὕτω καὶ αὐτοὶ λέγουσιν ἐπὶ ἀναιρέσει τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἢ ὡς ἀνουσίου ὄντος τοῦ Υἱοῦ ἢ ἀνυποστάτου τοῦ ἁγίου Πνεύματος; Οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ διεβεβαιώσαντο μήτε τοῦτο λέγειν μήτε οὕτω πεφρονηκέναι πώποτε, ἀλλ' ὑπόστασιν μὲν λέγομεν, ἡγούμενοι ταὐτὸν εἶναι εἰπεῖν ὑπόστασιν καὶ οὐσίαν, μίαν δὲ φρονοῦμεν διὰ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱὸν καὶ διὰ τὴν ταυτότητα τῆς φύσεως· μίαν γὰρ θεότητα καὶ μίαν εἶναι τὴν ταύτης φύσιν πιστεύομεν καὶ οὐκ ἄλλην μὲν τὴν τοῦ Πατρὸς ξένην δὲ ταύτης τὴν τοῦ Υἱοῦ καὶ τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἀμέλει κἀκεῖ οἱ αἰτιαθέντες ὡς εἰρηκότες τρεῖς ὑποστάσεις συνετίθεντο τούτοις καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ εἰρηκότες μίαν οὐσίαν τὰ ἐκείνων ὥσπερ ἡρμήνευσαν καὶ ὡμολόγουν καὶ ἀνεθε-

---

se neque haec dicere nec unquam ita sensisse affirmabant. Nobis autem percontantibus qui ergo haec dicitis? aut quare tandem huiuscemodi vocabula usurpatis? responderunt illi : Eo quod in sanctam Trinitatem credamus, non nomine tenus Trinitatem sed quae vere sit et subsistat, nimirum Patrem vere existentem et subsistentem, Filium item vere substantialem ac subsistentem, Spiritumque sanctum subsistentem et existentem agnoscimus. Nec tamen se dixisse aiebant tres Deos aut tria principia nec omnino eos qui ita dicerent se ferre tolerare, sed se sanctam quidem Trinitatem agnoscere, unamque tamen deitatem ac unum principium, ac Filium quidem Patri consubstantialem, ut Patres declararunt, sanctum vero Spiritum non creaturam, neque alienum, sed proprium et a substantia Filii et Patris indivisum.

6. Approbata igitur eiusmodi et vocum interpretatione et excusatione, eos quoque examinavimus quos isti accusabant, quod unam dicerent hypostasim, num ii in Sabellii sensu ita loquerentur quo Filium, Spiritumque sanctum de medio tollerent, an Filium substantia Spiritumque sanctum hypostasi carere existimarent? Qui item affirmarunt se neque hoc dicere neque unquam ita sensisse, sed hypostasim, aiebant, dicimus existimantes perinde esse dicere hypostasim atque dicere substantiam, unamque credimus hypostasim eo quod Filius sit ex substantia Patris et quod una eademque sit natura. Unam quippe deitatem et unam eius naturam esse credimus : nec aliam quidem Patris, alienam autem ab illo Filii ac Spiritus Sancti substantiam sentimus. Tunc sane qui accusati fuerant quod tres dixissent hypostases, cum istis con-

ματίζετο παρ' ἀμφοτέρων τῶν μερῶν Ἄρειός τε ὡς Χριστομάχος καὶ Σαβέλλιος καὶ Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς ὡς ἀσεβεῖς καὶ Οὐαλεντῖνος καὶ Βασιλείδης ὡς ἀλλότριοι τῆς ἀληθείας. Μανιχαῖος δὲ ὡς ἐφευρετὴς κακῶν· πάντες τε τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι καὶ μετὰ τὰς τοιαύτας ἑρμηνείας ὁμοῦ συντίθενται τῶν τοιούτων λέξεων βελτίονα καὶ ἀκριβεστέραν εἶναι τὴν ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ὁμολογηθεῖσαν πίστιν καὶ τοῦ λοιποῦ τοῖς ταύτης ἀρκεῖσθαι μᾶλλον καὶ χρῆσθαι ῥήμασιν.

551. ***Ancyrana Ecclesia (ante maium 373).*** Οὕτω δὲ φρονοῦντες ἀναθεματίζομεν καὶ ἐξ ὀνόματος τὸν ἀσεβέστατον Σαβέλλιον καὶ μετ' αὐτοῦ τοὺς τὰ ἐκείνου φρονοῦντας καὶ λέγοντας αὐτὸν τὸν Πατέρα εἶναι Υἱὸν καὶ ὅτε μὲν γίνεται Υἱὸς μὴ εἶναι τότε αὐτὸν Πατέρα, ὅτε δὲ γίνεται Πατὴρ μὴ εἶναι τότε Υἱόν· ἡμεῖς γὰρ ὁμολογοῦμεν Πατέρα ἀΐδιον Υἱοῦ ἀϊδίου ὄντος καὶ ὑφεστῶτος· καὶ Πνεῦμα ἅγιον ἀϊδίως ὂν καὶ ὑφεστός· οὐ γὰρ ἀνυπόστατον τὴν Τριάδα λέγομεν ἀλλ' ἐν ὑποστάσει αὐτὴν γινώσκομεν.

Καὶ εἰ αὐτάρκη ταῦτα δεῖξαι τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν ὁμοφροσύνην, ὅμως ἐπειδή τινες τῶν ἐπαγγελλομένων μὴ φρονεῖν τὰ περὶ Ἀρείου ὑποκρινόμενοι φρονοῦσι λέγοντες τὸν μὲν Υἱὸν ἀνόμοιον εἶναι τοῦ Πατρός, τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κτίσμα καὶ ἓν τῶν ποιημάτων ἐστίν· ἀναθεματίζομεν ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἀποστείλαντες ἡμᾶς τὰς αἱρέσεις ταύτας· οὔτε γὰρ ἀνόμοιος ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ ἀλλ' ὁμοούσιός ἐστι τῷ Πατρὶ οὔτε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κτιστὸν ἢ ἓν τῶν ποιη-

---

sentiebant, ii autem qui unam esse substantiam dixerant, aliorum doctrinam prout eam interpretati fuerant profitebantur: et utrique Arium tanquam Christi hostem, Sabellium item ac Paulum Samosatenum velut impios, Valentinum et Basilidem ut alienos a veritate, Manichaeum vero ut malorum inventorem, anathemate damnarunt. Omnes denique Dei gratia post huiusmodi interpretationes una confitentur istiusmodi vocabulis praestantiorem accuratioremque esse fidem a Patribus Nicaenae promulgatam, atque deinceps illius verbis sufficere debere iisque utendum esse.

551. Cum ita porro sentiamus anathemate ferimus nominatim impiissimum Sabellium et cum ipso quotquot eius doctrinae adstipulantur et dicunt ipsum Patrem esse Filium, ipsumque quando Filius efficitur non ulterius esse Patrem et quando fit Pater non esse tunc Filium. Nos quippe confitemur Patrem aeternum Filio aeterno exsistente ac subsistente, Spiritum quoque sanctum sempiterne exsistentem atque subsistentem. Non enim Trinitatem sine subsistentia dicimus esse, verum in hypostasi ipsam cognoscimus.

Sed etiamsi haec satis sunt ad commonstrandum eadem nos atque patres nostros sententia esse, attamen quia nonnulli sunt qui cum dissimulanter profiteantur se minime cum Ario sentire, idem tamen quod ille sentiunt atque dicunt Filium quidem dissimilem esse Patri, Spiritum autem Sanctum esse rem creatam unamque ex rebus factis, cum nos tum ii qui nos huc delegarunt huiusmodi haereses anathemate ferimus. Neque enim Filius dissimilis est Patri sed consubstantialis ipsi Patri est, neque Spiritus Sanctus res est creata aut una ex rebus conditis sed sanctae Trinitatis est, atque confidenter profitemur nihil aliunde

μάτων ἐστιν, ἀλλὰ τῆς ἁγίας Τριάδος ἐστίν· πνεῦμα γὰρ ἁγιωσύνης ἐστὶν οὐχ ἁγιαζόμενον, ἀλλ' ἐν αὐτῷ πάντων τῶν ἁγίων ἁγιαζομένων· καὶ γὰρ ἡ τελείωσις ἡμῶν ἐν Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι δίδοται καὶ γίνεται. Καὶ μία πίστις ἐστὶν εἰς ἕνα Θεὸν δι' Υἱοῦ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. Ὑπὲρ πλείονος γοῦν μαρτυρίας ἀναθεματίζομεν τοὺς φρονοῦντας καὶ λέγοντας· ἦν ποτε μονὰς μὴ ὄντος Υἱοῦ· καὶ ἦν ποτε δυὰς μὴ ὄντος ἁγίου Πνεύματος· ἀΐδιον γὰρ καὶ ἀεὶ τελείαν οἴδαμεν καὶ ὡσαύτως ἔχουσαν τὴν ἁγίαν Τριάδα. Διὸ καὶ ἀλλοτρίους τῆς Ἐκκλησίας ἔχομεν τοὺς φρονοῦντας καὶ λέγοντας· ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱός· καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον... [*sequitur de incarnatione*].

Καὶ εἰ ταῦτα πάλιν αὐτάρκη δεῖξαι τὴν πρὸς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστιν, ὅμως ὑπὲρ πλείονος ἀσφαλείας ἀναλαμβάνοντες ταῦτα λέγομεν καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς λέγοντας καὶ φρονοῦντας ποτὲ τὸν Πατέρα εἶναι χωρὶς τοῦ Υἱοῦ καὶ ποτὲ τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν χωρὶς τοῦ ἁγίου Πνεύματος· πνεῦμα γὰρ Θεοῦ ἐστιν, καὶ τελεία καὶ ἀΐδιός ἐστιν ἡ Τριάς· ἀναθεματίζομέν τε καὶ τοὺς νῦν ἐξελθόντας καὶ λεγομένους ἀνομοίους καὶ σὺν αὐτοῖς τὴν τοῦ Σαμοσατέως καὶ Φωτεινοῦ κακοφροσύνην καὶ τοὺς τὰ αὐτὰ φρονοῦντας αὐτοῖς, ὅτι μὴ λέγουσι τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον ζῶντα λόγον εἶναι καὶ ἐνεργῆ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, ἀλλὰ ὡς ἀνθρώπου λόγον προφορικὸν μόνον καὶ ὅτι μὴ φρονοῦσι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ αὐτὸν εἶναι τὸν λόγον, ἀλλὰ διαιροῦσιν ἀλόγως καὶ ἀρχὴν τῷ Υἱῷ διδοῦσιν ἀπὸ τῆς ἐκ Μαρίας κατὰ σάρκα γενέσεως βλασφημοῦντες ὅτι μηδὲ Θεὸν ἀληθινὸν αὐτὸν εἶναι πιστεύουσιν.

---

inductum aut creatum in sancta Trinitate esse. Nam spiritus sanctitatis est non qui sanctificetur verum in quo omnes sancti sanctificantur. Perfectio quippe nostra in Patre et Filio et Spiritu Sancto datur atque efficitur. Unaque fides est in unum Deum per Filium in Spiritu Sancto. Plenioris itaque maiorisque testimonii causa, anathemate ferimus eos qui dicunt: Fuit aliquando monas, cum nondum esset Filius et fuit aliquando dyas, cum nondum esset Spiritus Sanctus; scimus enim sanctam Trinitatem sempiternam et semper perfectam et eodem modo se habentem. Quamobrem ab Ecclesia catholica alienos reputamus eos qui sentiunt atque dicunt: Fuit cum non esset Filius atque ex non exstantibus factus est Spiritus Sanctus.

Ac etiamsi isthaec satis sint ad declarandam fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, attamen maioris securitatis ergo haec repetimus et dicimus atque anathemate damnamus eos qui dicunt et credunt Patrem aliquando sine Filio fuisse, Patremque ac Filium aliquando fuisse sine Spiritu Sancto. Spiritus enim Dei est ac perfecta atque sempiterna est Trinitas.

Anathemate quoque damnamus eos qui nuper exorti sunt et Anomaei dicuntur ac cum ipsis Samosateni et Photini infamiam necnon eos qui paria cum ipsis sentiunt. Quia non dicunt Verbum Dei verbum esse vivens et efficax per quod omnia facta sunt, sed quasi hominis verbum prolatitium dumtaxat et quia non arbitrantur Filium Dei ipsum esse verbum, verum temere et sine ratione dividunt et principium Filio a nativitate secundum carnem ex Maria blasphemo ore tribuunt, quia item non credunt ipsum verum esse Deum.

552. *Symbolum Epiphanii (375)* : Τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἢ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία, ἡ μήτηρ ὑμῶν τε καὶ ἡμῶν.

553. CPTANUM I, *oec. II (381)* : α'. Μὴ ἀθετεῖσθαι τὴν πίστιν τῶν πατέρων τῶν τριακοσίων δεκαοκτώ, τῶν ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας συνελθόντων· ἀλλὰ μένειν ἐκείνην κυρίαν, καὶ ἀναθεματισθῆναι πᾶσαν αἵρεσιν· καὶ ἰδικῶς τὴν τῶν Εὐνομιανῶν, εἴτουν Ἀνομοίων· καὶ τὴν τῶν Ἀρειανῶν, εἴτουν Εὐδοξιανῶν· καὶ τὴν τῶν Ἡμιαρειανῶν, ἤγουν Πνευματομάχων· καὶ τὴν τῶν Σαβελλιανῶν, Μαρκελλιανῶν καὶ τὴν τῶν Φωτεινιανῶν καὶ τὴν τῶν Ἀπολιναριστῶν.

554. CPTANUM, *a. 382*. Ἡμεῖς γὰρ εἴτε διωγμοὺς εἴτε θλίψεις εἴτε βασιλικὰς ἀπειλὰς εἴτε τὰς τῶν ἀρχόντων ὠμότητας εἴτε τινὰ πειρασμὸν ἕτερον παρὰ τῶν αἱρετικῶν ὑπεμείναμεν ὑπὲρ τῆς εὐαγγελικῆς πίστεως τῆς ἐν Νικαίᾳ τῆς Βιθυνίας παρὰ τῶν τιη' πατέρων κυρωθείσης ὑπέστημεν· ταύτην γὰρ καὶ ὑμῖν καὶ ἡμῖν καὶ πᾶσι τοῖς μὴ διαστρέφουσι τὸν λόγον τῆς ἀληθοῦς πίστεως συναρέσκειν δεῖ πρεσβυτάτην τε οὖσαν καὶ ἀκόλουθον τῷ βαπτίσματι καὶ διδάσκουσαν ἡμᾶς πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, δηλαδὴ θεότητος καὶ δυνάμεως καὶ οὐσίας μιᾶς τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος πιστευομένης, ὁμοτίμου τε τῆς ἀξίας καὶ

---

552. Eos vero qui dicunt fuisse aliquando cum non esset Filius aut Spiritus Sanctus, aut e nihilo esse factum, vel ex altera hypostasi aut substantia, quique conversioni aut mutationi obnoxium esse dicunt Dei Filium aut Spiritum Sanctum, hos omnes anathemate damnat catholica et apostolica Ecclesia, mater vestra ac nostra.

553. Can. 1. Fidem non violandam Patrum trecentorum decem et octo, qui apud Nicaeam Bithyniae convenerunt; sed manere eam firmam et stabilem. Anathematizandam omnem haeresim, et specialiter Eunomianorum vel Anomoeanorum, et Arianorum vel Eudoxianorum, et Macedonianorum vel Spiritui Sancto resistentium, et Sabellianorum, et Marcellianorum, et Photinianorum, et Apollinariorum.

554. Nos enim sive persecutiones sive cruciatus sive imperatorias minas sive crudelitatem iudicum, sive aliam quamcumque tentationem pertulimus pro evangelica fide a trecentis decem et octo Patribus apud Nicaeam Bithyniae confirmata sustinuimus. Hanc utique et vobis et nobis et omnibus qui verae fidei verbum non pervertunt probari convenit ut quae antiquissima sit et baptismati consentanea docens nos credere in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ita nimirum ut una credatur divinitas et potentia et substantia Patris et Filii et Spiritus Sancti aequalisque dignitas et imperium coaeternum in tribus perfectis hypostasibus sive in tribus perfectis personis, ut neque Sabellii pestis locum

συναϊδίου τῆς βασιλείας, ἐν τρισὶ τελειοτάταις ὑποστάσεσιν ἤγουν τρισὶ τελείοις προσώποις ὡς μήτε τὴν Σαβελλίου νόσον χώραν λαβεῖν συγχεομένων τῶν ὑποστάσεων εἴτ' οὖν τῶν ἰδιοτήτων ἀναιρουμένων, μήτε μὴν τὴν Εὐνομιανῶν καὶ Ἀρειανῶν καὶ Πνευματομάχων βλασφημίαν ἰσχύειν, τῆς οὐσίας ἢ τῆς φύσεως ἢ τῆς θεότητος τεμνομένης καὶ τῇ ἀκτίστῳ καὶ ὁμοουσίῳ καὶ συναϊδίῳ Τριάδι μεταγενεστέρας τινὸς ἢ κτιστῆς ἢ ἑτεροουσίου φύσεως ἐπαγομένης.

555. DAMASUS *ad Illyricos, ep.* Confidimus, *anno incerto ante 372.* (Patres CCCXVIII Nicaeni) hunc murum firmissimum contra arma diabolica statuerunt, et hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, ut Pater et Filius unius divinitatis, unius virtutis, unius magnitudinis debeat credi uniusque essentiae sive substantiae simul et Spiritus Sanctus, aliter vero sapientes alienos esse a nostra communione iudicaverunt. (Ὥστε τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν μιᾶς οὐσίας, μιᾶς θεότητος, μιᾶς ἀρετῆς, μιᾶς δυνάμεως καὶ ἑνὸς χαρακτῆρος πιστεύεσθαι χρῆναι καὶ τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον).

556. *Idem in fg.* Non nobis, *anni incerti, ante 381* : Ut enim Nicaeni concilii fidem inviolabilem per omnia retinentes sine simulatione verborum aut sensu corrupto nullo modo Spiritum Sanctum separamus, sed perfectum in omnibus virtute, honore, maiestate, deitate cum Patre connumeramus et Filio; itaque etiam plenitudinem Dei Verbi, non prolativi sed nati neque in Patre remanentis ut non sit sed ex aeterno in aeternum subsistentem perfectum, id est integrum hominem assumpsisse et salvasse confidimus.

557. *Idem in fg.* Ea gratia, *anni incerti, ante 381* : 1. Ea gratia, fratres, Iericho illa quia figura est saecularium voluptatum conclamata concidit nec resurgit quia omnes, uno ore, unius virtutis, unius maiestatis, unius divinitatis, unius usiae dicimus divinitatem; ita ut inseparabilem potestatem, tres tamen asseramus esse personas nec redire in se aut minui, ut plerique blasphemant, sed semper manere nec potentiae gradus quosdam ortusque tempora disparata, nec prolativum ut generationem ei demas, nec imperfectum ut ad personam aut Patris natura aut divinitatis ei plenitudo defuerit, nec dissimilem opere Filium, nec dissimilem potestate aut per universa dissimilem; nec subsistere aliunde sed de Deo natum nec falsum de Deo vero sed Deum verum de Deo vero esse generatum, lumen verum de vero lumine, ne minutum aut diversum putetur: quod unigenitus habet splendorem lucis aeternae quia natu-

---

inveniat qua hypostases confundantur tollanturque proprietates neque Eunomianorum Arianorumque et eorum qui Spiritum Sanctum oppugnant, vires habeat blasphemia quae substantiam seu naturam et divinitatem discindit atque increatae et consubstantiali et coaeternae Trinitati posteriorem quandam aut creatam diversae substantiae naturam inducit.

rae ordine neque sine splendore lumen, neque splendor potest esse sine lumine; imaginem quoque Patris, ut eum qui viderit viderit et Patrem (Io. xiv, 9).

558. *Idem in Confessione fidei (ante 384)* : 3. Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium et Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas. — 4. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere sed nomen. — 10. Si quis non dixerit, semper Patrem, semper Filium et semper Spiritum Sanctum esse, A. S. — 19. Si quis non dixerit, omnia per Filium et Spiritum Sanctum Patrem fecisse, id est visibilia et invisibilia, A. S. — 20. Si quis non dixerit, Patris et Filii et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, maiestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem ac veritatem, A. S. — 21. Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti aequales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, A. S. — 24. Quod si quis putat, Deum Patrem dicens et Deum Filium eius et Deum Spiritum Sanctum, deos dici et non propter unam divinitatem et potentiam, quam credimus esse et scimus Patris et Filii et Spiritus Sancti, ita dicit Deum; subtrahens autem Filium aut Spiritum Sanctum, ita solum aestimat Deum Patrem dici aut ita credit unum Deum, haereticus est in omnibus, immo Iudaeus, quod nomen deorum et angelis et sanctis omnibus a Deo est positum et donatum : de Patre autem et Filio et Spiritu Sancto propter unam et aequalem divinitatem, non nomen deorum, sed Dei nobis ostenditur atque indicitur : ut credamus quia a Patre et Filio et Spiritu Sancto solum baptizamur et non in archangelorum nominibus aut angelorum, quomodo haeretici, aut Iudaei aut etiam dementes pagani. Haec ergo est salus christianorum, ut credentes Trinitati, id est Patri et Filio et Spiritui Sancto et baptizati in ea veram solam unam divinitatem et potentiam maiestatem et substantiam eiusdem esse sine dubio credamus.

559. *Libellus* **Leporii** *(ante 428)* : Verissime Verbum caro factum est : sed, ut diximus, solum proprie personaliter, non cum Patre aut Spiritu Sancto naturaliter, quia unigenitus Deus, Deus verus qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est in natura, alter est in persona. Non enim ipsum Patrem dicimus esse, quem Filium, nec iterum eundem Filium dicimus esse quem Patrem, aut rursus Spiritum Sanctum Patrem vel Filium nuncupamus; sed distinguentes personas in suis proprietatibus Patrem Deum Patrem proprie nominamus et Filium Deum Filium proprie dicimus et Spiritum Sanctum Deum Spiritum Sanctum proprie confitemur. Et cum ter numero dicimus Deum et Deum et Deum,

non tres credimus Deos, sed unum omnipotentiae suae trinitate perfectum.

560. **Toletanum I** *seu* **Pastoris** *libellus (s. V.)* : Credimus in unum Deum verum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra, unum Deum et unam esse divinae substantiae Trinitatem : Patrem autem non esse ipsum Filium, sed habere Filium, qui Pater non sit; Filium non esse Patrem, sed Filium Dei de Patre esse natum; Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedere. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus sed a Patre Filioque procedens. Pater est, cuius vox haec est audita de caelis : *Hic est Filius meus, in quo bene complacui, ipsum audite* (Mt. xvii, 5) Filius est qui ait : *Ego a Patre exivi, et a Deo veni in hunc mundum* (Io. xvi, 28) Paracletus Spiritus est, de quo Filius ait : *Nisi abiero ego* ad Patrem *Paracletus non veniet ad vos* (Io. xvi, 7) Hanc Trinitatem personis distinctam, substantia unitam, virtute et potestate et maiestate indivisibilem, indifferentem; praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam, vel angeli vel spiritus vel virtutis alicuius, quae Deus esse credatur. — 2. Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem eundem esse Filium vel Paracletum, A. S. — 3. Si quis dixerit vel crediderit, Dei Filium eundem esse Patrem vel Paracletum, A. S. — 4. Si quis dixerit vel crediderit, Paracletum vel Patrem esse vel Filium, A. S. — 6. Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, A. S. — 14. Si quis dixerit vel crediderit, esse aliquid, quod se extra divinam Trinitatem possit extendere, A. S[1].

561. *Symbolum* Quicumque *(s. VI init.?)* : Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus; increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus; immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus; aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus : et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus; sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus; similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus : et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens; ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus : et tamen non tres dii, sed unus

1. Cf. Fidem Afrorum Hunerico regi oblatam a. 484, PL 58.219 sq. quae longior est quam ut hic transcribatur.

est Deus; ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: et tamen non tres domini, sed unus est Dominus; quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus nec creatus nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti, et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales, ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

562 *Statuta Ecclesiae antiqua (s. VI in.):* Qui episcopus ordinandus est antea examinetur... et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus afferat, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatis deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem praedicans, si singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum et totas tres personas unum Deum.

563. Hormisdae *papae ad Iustinum imperatorem ep.* Inter ea quae *(25 mart. 521):* 7-9 Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, Deus autem unus, specialiter legislatore dicente: *Audi, Israel Dominus Deus tuus Deus unus est* (Deut. vi, 4), qui aliter habet necesse est aut divinitatem in multa dividat aut spec aliter passionem ipsi essentiae Trinitatis impingat et, quod absit a fidelium mentibus, hoc est aut plures deos more profanae gentilitatis inducere, aut sensibilem poenam ad eam naturam quae aliena est ab omni passione transferre. Unum est sancta Trinitas, non multiplicatur numero, non crescit augmento, nec potest aut intelligentia comprehendi aut hoc quod Deus est discretione seiungi. Quis ergo illi secreto aeternae impenetrabilisque substantiae quod neque ulla visibilium vel invisibilium creaturarum potuit investigare natura profanam divisionem tentet ingerere et divini arcana mysterii revocare ad calculum moris humani? Adoremus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, indistinctam distincte, incomprehensibilem et inenarrabilem substantiam Trinitatis, ubi etsi admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiae, ita tamen ut servemus divinae propria naturae, servemus propria unicuique personae ut nec personis divinitatis singularitas denegetur nec ad essentiam hoc quod est proprium nominum transferatur. Magnum est sanctae et incomprehensibile mysterium Trinitatis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, Trinitas indivisa: et tamen notum est quia proprium est Patris ut generaret Filium, proprium Filii Dei ut ex Patre Patri nascere-

tur aequalis, proprium Spiritus Sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis. [*Avell.:* notum etiam quid sit proprium S. S.]

564. CPtanum II, *sec. V (553)*: α'. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος μίαν φύσιν ἤτοι οὐσίαν, μίαν τε δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν, Τριάδα ὁμοούσιον, μίαν θεότητα ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν ἤγουν προσώποις προσκυνουμένην, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Εἷς γὰρ Θεὸς καὶ Πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα.

565. Pelagii I *fides (556-7)*: Credo in unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum; Patrem scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum; Filium vero ex eiusdem Patris substantia vel natura genitum ante omne omnino vel temporis vel cuiusquam initium, de omnipotente omnipotentem, aequalem, consempiternum et consubstantialem genitori; Spiritum quoque sanctum omnipotentem, utrique, Patri scilicet ac Filio, aequalem, consempiternum atque consubstantialem, qui, ex Patre intemporaliter procedens, Patris est Filiique Spiritus. Hoc est tres personas sive tres subsistentias unius essentiae sive naturae, unius virtutis, unius operationis, unius beatudinis atque unius potestatis, ut trina sit unitas et una sit trinitas, iuxta vocis dominicae veritatem dicentis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Mt. xxviii, 19). In nomine inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinae essentiae nomen ostenderet et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia, dum tribus unum deitatis nomen est, aequalitas ostenditur personarum et rursus aequalitas personarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi, ita ut et unusquisque eorum verus perfectusque sit Deus, videlicet ex plenitudine divinitatis nihil minus in singulis nihil amplius intelligatur in tribus.

566. Bracarense *(563)*: 1. Si quis Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non confitetur tres personas unius substantiae et virtutis ac potestatis, sicut catholica et apostolica Ecclesia docet, sed unam tantum ac solitariam dicit esse personam, ita ut ipse sit Pater, qui Filius, ipse etiam et Paraclytus Spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt, anathema sit. — 2. Si quis extra Sanctam Trinitatem alia nescio quae divinitatis nomina introducit, dicens quod in ipsa divinitate sit trinitas trinitatis, sicut Gnostici et Priscillianus dixerunt, A. S.

---

564. Can. 1. Si quis non confitetur Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unam naturam sive substantiam et unam virtutem et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam, talis anathema sit. Unus enim Deus et Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia; et unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.

567 TOLETANUM III *(589)*: Confitemur esse Patrem, qui genuerit ex sua substantia Filium sibi coaequalem et coaeternum, non tamen ut ipse idem sit, natus et genitor, sed persona alius sit Pater, qui genuit, alius sit Filius, qui fuerit generatus, unius tamen uterque substantiae divinitate subsistat. Pater, ex quo sit Filius, ipse vero ex nullo sit alio; Filius, qui habeat Patrem, sed sine initio et sine diminutione in ea, qua Patri coaequalis et coaeternus est, divinitate subsistat. Spiritus aeque sanctus confitendus a nobis et praedicandus est a Patre et a Filio procedere et cum Patre et Filio unius esse substantiae: tertiam vero in Trinitate Spiritus sancti esse personam, qui tamen communem habeat cum Patre et Filio divinitatis essentiam. Haec enim sancta Trinitas unus est Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, cujus bonitate, omnis licet bona sit condita creatura, per assumptam tamen a Filio humani habitus formam, a damnata progenie reformamur ad beatitudinem pristinam. Sed sicut verae salutis indicium est, Trinitatem in unitate et unitatem in Trinitate sentire, ita erit consummatio iustitiae, si eandem fidem intra universalem Ecclesiam teneamus et apostolica monita in apostolico positi fundamento servemus[1].

568. *Ibidem: Anathematismi adversus haeresim arianam*: 1. Omnis ergo, qui fidem et communionem ab Ario venientem et hucusque a nobis retentam adhuc tenere desiderat et de tota cordis intentione non damnat, anathema sit. — 2. Quicumque Filium dei Dominum nostrum Iesum Christum negaverit a paterna substantia sine initio genitum et aequalem Patri esse vel consubstantialem, a. s. — 3. Quicumque Spiritum sanctum non credit, aut non crediderit a Patre et Filio procedere, eumque non dixerit coaeternum esse Patri et Filio et coaequalem, a. s. — 4. Quicumque in Patre et Filio et Spiritu sancto et personas non distinguit et unius dei unitatis substantiam non cognoscit, a. s. — 5. Quicumque Filium dei Dominum nostrum Iesum Christum et Spiritum sanctum esse Patre minores asseruerit et gradibus separaverit creaturamque esse dixerit, a. s. — 6. Quicumque Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius substantiae, omnipotentiae, aeternitatis esse non credit, a. s. — 7. Quicumque nescire Filium Dei, quae Deus Pater sciat, dixerit, a. s. — 8. Quicumque initium Filio Dei et Spiritui sancto deputaverit, a. s. — 9. Quicumque Filium Dei secundum divinitatem suam visibilem aut passibilem ausus fuerit profiteri, a. s. — 10. Quicumque Spiritum sanctum sicut Patrem et Filium verum Deum omnipotentem esse non crediderit, a. s. — 11. Quicumque aliam fidem et communionem catholicam praeter ecclesiasticam universalem, esse crediderit (illam dicimus Ecclesiam, quae Nicaeni, Constantinopolitani et primi Ephesini et Chal-

1. Est *Fides Recaredi regis*.

cedonensis concilii decreta tenet pariter et honorat), a. s. — 12. Quicumque Patrem et Filium et Spiritum sanctum honore et gloria et divinitate separat et disiungit, a. s. — 13. Quicumque Filium Dei et Spiritum sanctum cum Patre non crediderit esse glorificandos et honorandos, a. s. — 14. Quicumque non dixerit: Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui sancto, a. s. — 15. Quicumque rebaptizandi sacrilegum opus bonum esse credit aut crediderit, agit aut egerit, a. s. — 16. Quicumque libellum detestabilem duodecimo anno Leovegeldi regis a nobis editum, in quo continetur Romanorum ad haeresim Arianam traductio, et in quo gloria Patri per Filium in Spiritu sancto male a nobis instituta continetur, hunc libellum si quis pro vero habuerit, a. s. in aeternum. — 17. Quicumque Ariminense concilium non ex toto corde respuerit et damnaverit, a. s. — 18. Confitemur enim nos ex haeresi Ariana toto corde, tota anima et de tota mente nostra ad ecclesiam catholicam fuisse conversos. Nulli dubium est, nos nostrosque decessores errasse in haeresi Ariana et fidem evangelicam atque apostolicam nunc intra Ecclesiam catholicam didicisse. Proinde fidem sanctam, quam praefatus religiosissimus dominus noster patefecit in medio concilii et manu sua subscripsit, hanc et nos tenemus, hanc confitemur pariter et suscipimus, hanc in populis praedicare atque docere promittimus. Haec est vera fides, quam omnis ecclesia Dei per totum mundum tenet, catholica esse creditur et probatur. Cui haec fides non placet aut non placuerit, sit anathema, maranata, in adventum domini nostri Iesu Christi.

569. *Fides* GREGORII MAGNI *(590-604)*: Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres personas, unam substantiam; Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coaeternum, de Patre et Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem et sine tempore natum de patre, omnium visibilium et invisibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriae, figuram substantiae, qui manens Verbum ante saecula...

570. TOLETANUM IV *(633)*: Secundum divinas scripturas et doctrinam, quam a sanctis patribus accepimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius deitatis atque substantiae confitemur, in personarum diversitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem praedicantes nec personas confundimus nec substantiam separamus. Patrem a nullo factum vel genitum dicimus, Filium a Patre non factum sed genitum asserimus, Spiritum vero sanctum nec creatum nec genitum sed procedentem ex Patre et Filio profitemur.

571. TOLETANUM VI, *(638)*: Credimus et confitemur sacratissimam et omnipotentissimam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum

Sanctum, unum Deum solum non solitarium, unius essentiae, virtutis, potestatis, maiestatis uniusque naturae, discretam inseparabiliter personis, indiscretam essentialiter substantia deitatis, creatricem omnium creaturarum, Patrem ingenitum, increatum, fontem et originem totius divinitatis; Filium de Patre intemporaliter ante omnem creaturam sine initio genitum non creatum, — nam nec Pater unquam sine Filio, nec Filius exstitit sine Patre sed tamen Filius Deus de Patre Deo non Pater Deus de Filio Deo, Pater Filii non Deus de Filio; ille autem Filius Patris et Deus de Patre, per omnia coaequalis Patri, Deus verus de Deo vero; Spiritum Sanctum neque genitum neque creatum, sed de Patre Filioque procedentem utriusque esse Spiritum · ac per hoc substantialiter unum sunt, quia et unus ab utroque procedit. In hac autem Trinitate tanta est unitas substantiae, ut pluritate careat et aequalitatem teneat, nec minor in singulis quam in omnibus, nec maior in omnibus quam in singulis maneat personis.

572. Lateranense *(sub Martino I, a. 649)* : Can. 1. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et veraciter Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus et aequalis gloriae, unam eandemque trium deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem inconditam, sine initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit.

573. Toletanum XI *(675)* : Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem *Trinitatem*, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum naturaliter esse unius substantiae unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis.

574 Et *Patrem* quidem, non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit : fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Ipse quoque Pater[1] est essentiae suae, qui de ineffabili substantia Filium ineffabiliter genuit nec tamen aliud quam ipse est, genuit · Deus Deum, lux lucem; ab ipso est ergo *omnis paternitas in caelo et in terra* (Eph. III, 15).

575. *Filium* quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum esse fatemur quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre; et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio, quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre Pater autem Deus, sed non

1. *Var.* Pater, essentia quidem ineffabilis, substantiae suae Filium.

de Filio; Pater quidem Filii, non Deus de Filio · ille autem Filius Patris et Deus de Patre; aequalis tamen per omnia Filius Deo Patri : quia nec nasci coepit aliquando, nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiae creditur, propter quod et ὁμοούσιος Patri dicitur, hoc est eiusdem cum Patre substantiae; ὅμος enim graece unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque coniunctum sonat una substantia. Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia eiusdem Filius genitus vel natus esse credendus est. Sempiternus ergo Pater, sempiternus et Filius. Quod si semper Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset · et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec eundem Filium Dei, pro eo, quod de Patre sit genitus, desectae naturae portiunculam nominamus: sed perfectum Patrem perfectum Filium sine diminutione, sine desectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaequalem Filium non habere Hic etiam Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate nec necessitate genuisse credendus est; quia nec ulla in Deo necessitas cadit[1], nec voluntas sapientiam praevenit.

576. *Spiritum* quoque *Sanctum*, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque naturae . non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem, amborum esse Spiritum Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur : ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios praedicare monstremur : qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur; quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic igitur Spiritus Sanctus missus ab utrisque sicut Filius a Patre creditur; sed minor a Patre et Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem minorem se Patre et Spiritu Sancto esse testatur

577. Haec est sanctae Trinitatis relata narratio : quae non triplex, sed trina et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur; quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed

1. *Var.* coepit.

ad Patrem et Filium relative refertur : in eo quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. Item cum dicimus *Deus*, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium vel Filius ad Patrem vel Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium, sed ad se specialiter dicitur Deus. — Nam et si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus singulariter dicitur : nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Item et Pater omnipotens et Filius omnipotens et Spiritus Sanctus omnipotens singulariter dicitur : nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum lumen, unumque principium praedicatur. Singulariter ergo, et unaquaeque persona plenus Deus et totae tres personae unus Deus confitetur et creditur : una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totae tres personae unus Deus enuntiantur.

578 Haec ergo sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit non comprehenditur. Ergo in hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt. Nam ita huic sanctae Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in sacris litteris dictum : *Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus* (Ps. CXLVI, 5). Nec quia tres has personas esse diximus unum Deum, eundem esse Patrem, quem Filium, vel eum esse Filium, qui est Pater, aut eum, qui Spiritus Sanctus est, vel Patrem vel Filium dicere poterimus. Non enim ipse est Pater qui Filius, nec ipse Filius qui Pater, nec Spiritus Sanctus ipse qui est vel Pater vel Filius; cum tamen ipsum sit Pater quod Filius, ipsum Filius quod Pater, ipsum Pater et Filius quod Spiritus Sanctus : id est, natura unus Deus. Cum enim dicimus non ipsum esse Patrem quem Filium, ad personarum distinctionem refertur. Cum autem dicimus ipsum esse Patrem quod Filium, ipsum Filium quod Patrem, ipsum Spiritum Sanctum quod Patrem et Filium, ad naturam, qua Deus est, vel substantiam pertinere monstratur, quia substantia unum sunt : personas enim distinguimus, non deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus; unitatem propter naturam vel substantiam profitemur.

579. Tria ergo ita unum sunt, natura scilicet, non persona : nec tamen tres istae personae separabiles aestimandae sunt; cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel exstitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatur : inseparabiles enim inveniuntur et in eo, quod sunt, et in eo, quod faciunt : quia inter generantem Patrem et

generatum Filium vel procedentem Spiritum Sanctum nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando praecederet, aut genitus genitori deesset, aut procedens Spiritus Patre vel Filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec Trinitas a nobis et praedicatur et creditur. Tres igitur personae istae dicuntur, iuxta quod maiores definiunt, ut agnoscantur, non ut separentur. Nam si attendamus illud, quod Scriptura sancta dicit de Sapientia : *Splendor est lucis aeternae* (Sap. VII, 26), sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur Filium a Patre separari non posse. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturae personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Quando quidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus, quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi : nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam, dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur et alterum. Cum igitur haec tria sint unum et unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, Filius aeternitatem cum nativitate, Spiritus vero Sanctus processionem sine nativitate cum aeternitate.

580 MEDIOLANENSE *(680)* : Profitemur nos credere indivisibilem sanctam Trinitatem, hoc est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, ita unum ut trinum et ita trinum ut unum, Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est, Patrem ex quo omnia, Filium per quem omnia, Spiritum Sanctum in quo omnia, unius tamen divinitatis, unius essentiae uniusque substantiae; in tribus quidem subsistentiis seu personis, ut Pater Pater sit, Filius Filius sit, Spiritus Sanctus Spiritus Sanctus sit, in una natura unaque substantia, ut Deus unus et solus et summus credatur, non tres introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres deos praedicavit, excellentiorem, minorem et inferiorem. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate et unitatem in sancta Trinitate confitemur. Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio huius paterni nominis ad Filii personam intenditur, et cum dicimus aeternum Filium, ad aeterni Patris personam refertur, et cum nominamus Spiritum Sanctum, ab aeterni Patris persona eum procedere monstramus.

Cum autem dicimus Deum Patrem omnipotentem, non potest huius nominis evacuari sacramentum. Quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus, et cum dicimus Filium, Patrem declaramus, et cum dicimus aeternum Patrem, aeternum Filium demonstramus. Nam si non invenimus initium vocabuli huius paterni nominis, quando Pater sit

dictus, consequenter ostenditur, quia nec initium geniti reperimus. Obsecramus ut detur nobis ratio quando Pater hoc vocabulum, ut Pater vocitaretur, sortitus est; si in tempore, si extra tempus, dicat nobis aliquis, quando primitus coeperit appellari; et si potuerit hoc approbare, nulla erit dubietas, ex illo initio paterni nominis Filium initium accepisse, quod Pater nominatus est. Et si defecerit, immo quia deficit, nec poterit approbare nec dare initium paterni nominis, quando Pater esse coeperit, profiteatur ergo nobiscum sanctam Trinitatem coessentialem atque consubstantialem, nec Patrem ante Filium, nec Filium post Patrem, nec Spiritum Sanctum inferiorem fuisse, quia, dum initium paterni nominis non invenitur, nescimus, qua ratione Filio initium adscribatur; quia, cum dicimus sempiternum Deum Patrem sempiternum Deum Filium ostendimus. Ideo sanctam Trinitatem in una natura unaque essentia atque substantia et tribus subsistentiis sive personis profitemur.

581. ROMANUM *(680)* : Credentes in Deum Patrem omnipotentem factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in Filium eius unigenitum qui ante omnia saecula ex eo natus est verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, consubstantialem Patri, id est eiusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in caelo et quae in terra; et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificatorem ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum; trinitatem in unitate et unitatem in trinitate, unitatem quidem essentiae, trinitatem vero personarum sive subsistentiarum; Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres Deos, sed unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam; quorum una essentia sive substantia vel natura, id est, una deitas, una aeternitas, una potestas, unum imperium, una gloria, una adoratio, una essentialis eiusdem sanctae et inseparabilis Trinitatis voluntas et operatio, quae omnia condidit, dispensat et continet.

582. *Fides* AGATHONIS *Papae (680)* : Hic status est evangelicae atque apostolicae fidei regularisque traditio, ut confitentes sanctam et inseparabilem Trinitatem, id est, Patrem et Filium et sanctum Spiritum, unius esse deitatis, unius naturae et substantiae sive essentiae unius eam praedicemus et naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis et gloriae, et quidquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur, singulari numero, tanquam de una natura trium consubstantialium personarum, comprehendamus regulari ratione hoc instituti.

583. TOLETANUM XV *(688)* : *De vocibus* voluntas genuit voluntatem

quae erant in Libro responsionis **Iuliani** *Tolet.* : Invenimus, quod in libro illo responsionis fidei nostrae, quem per Petrum regionarium Romanae Ecclesiae miseramus, id primum capitulum iam dicto Papae [BENEDICTO II] incaute visum fuisset a nobis positum, ubi nos secundum divinam essentiam diximus : Voluntas genuit voluntatem, sicut et sapientia sapientiam : quod vir ille in incuriosa lectionis transcursione praeteriens existimavit haec ipsa nomina iuxta relativum aut secundum comparationem humanae mentis nos posuisse : et ideo ipsa rescriptione sua ita nos admonere iussus est, dicens : Naturali ordine cognoscimus quia verbum ex mente originem ducit, sicut ratio et voluntas, et converti non possunt ut dicatur : quia sicut verbum et voluntas de mente procedit, ita et mens de verbo aut voluntate; et ex ista comparatione visum est Romano Pontifici, voluntatem ex voluntate non posse dici. Nos autem non secundum hanc comparationem humanae mentis, nec secundum relativum, sed secundum essentiam diximus : Voluntas ex voluntate, sicut et sapientia ex sapientia. Hoc enim est Deo esse, quod velle : hoc velle, quod sapere. Quod tamen de homine dici non potest. Aliud quippe est homini id quod est sine velle, et aliud velle etiam sine sapere. In Deo autem non est ita, quia simplex ita natura est, et ideo hoc est illi esse quod velle, quod sapere.

584. TOLETANUM XVI *(693)* : Huius voluntatis sanctae vocabulum, quamvis per comparativam similitudinem Trinitatis, qua dicitur memoria, intelligentia et voluntas, ad personam Sancti referatur Spiritus : secundum hoc autem quod ad se dicitur, substantialiter praedicatur. Nam voluntas Pater, voluntas Filius, voluntas Spiritus Sanctus : quemadmodum Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus : et multa alia similia, quae secundum substantiam dici ab his, qui catholicae fidei cultores exsistunt, nulla ratione ambigitur. Et sicut est catholicum dici : Deum de Deo, lumen de lumine, lucem de luce, ita verae fidei est proba assertio, voluntatem dici de voluntate, sicut sapientiam de sapientia, essentiam de essentia, et veluti Deus Pater genuit Filium Deum, ita Pater voluntas genuit voluntatem. Itaque quamquam secundum essentiam Pater voluntas, Filius voluntas et Spiritus Sanctus voluntas, non tamen secundum relativum unus esse credendus est, quoniam alius est Pater, qui refertur ad Filium, alius Filius, qui refertur ad Patrem, alius Spiritus Sanctus, qui, pro eo quod de Patre Filioque procedit, ad Patrem Filiumque refertur ; non aliud, sed alius : quia quibus est unum esse in Deitatis natura, his est in personarum distinctione specialis proprietas.

585. *Concilium* FOROIULIENSE *(796-7)* : Sanctam autem perfectam et inseparabilem et ineffabilem veramque Trinitatem id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, individuam confiteor in unitate naturae

quia trinus et unus est Deus. Trinus nimirum per distinctionem personarum, unus vero per substantiam inseparabilem deitatis. Has igitur tres personas Patris, Filii ac Spiritus Sancti non putativas vel quasi suspicabiles tantum sed veras subsistentes coaeternas, coaequales credimus et consubstantiales. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tres dii sed unus est Deus.

586. Nam Pater verus Deus vere et proprie Pater est qui genuit ex se id est ex sua substantia intemporaliter et sine initio verum Filium, coaeternum, consubstantialem et coaequalem sibi. Et Filius verus Deus vere et proprie est Filius qui ante omnia saecula genitus est de Patre intemporaliter et absque ullo initio, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Et numquam fuit Pater sine Filio nec Filius sine Patre. Pater etenim semper Pater est, erat et erit. Et Filius semper Filius est, erat et erit. Et numquam non fuit Pater, quia numquam non fuit Filius. Semper enim Pater qui genuit sibi aequalem Filium, semper quidem Filius qui genitus est aequalis Patri. Spiritus namque Sanctus verus Deus vere et proprie Spiritus Sanctus est, non genitus nec creatus sed ex Patre Filioque intemporaliter et inseparabiliter procedens. Consubstantialis coaeternus et aequalis Patri Filioque semper est erat et erit. Et numquam fuit Pater aut Filius sine Spiritu Sancto. Nec Spiritus Sanctus sine Patre et Filio.

587. Et idcirco inseparabilia sunt semper opera Trinitatis et nihil est in sancta Trinitate diversum aliquid aut dissimile vel inaequale. Non divisum naturaliter, non confusum personaliter, nihil maius aut minus. Non anterior, non posterior, non inferior, non superior. Sed una et aequalis potestas, par gloria, sempiterna et coaeterna consubstantialisque maiestas. Unum namque sunt essentialiter Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et idcirco unus est Deus : sed non unus propter personarum discretionem Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Verus enim Pater proprie Pater est et non Filius ; et verus Filius proprie Filius est et non est Pater, Spiritus quoque Sanctus proprie Spiritus Sanctus est et non est personaliter Pater vel Filius sed ex utroque procedit et tamen non sunt tres dii sed unus est Deus.

588. Et in hac sancta Trinitate nihil — quod absit — aliquid putandum est visibile, corporale, palpabile vel comprehensibile. Omnipotens namque sancta Trinitas, invisibilis, incorporalis, impalpabilis, incomprehensibilis, incircumscripta, infinita, immensa et sempiterna, omnia nutu et imperio suo gubernat. Nam etsi legitur oculus Domini vel brachium sive dextera et cetera non membrorum positionem vel molem corporis sed effectum summae et inenarrabilis divinae potentiae integrae fidei credulitate debemus intelligere. Nam quia omnia videt et omnia penetrat et cuncta nuda et aperta sunt ante eum, oculos habere dicitur, quia vero nos sua virtute creavit, regit, protegit et defendit, brachium vel dexteram habere perhibetur et his similia.

589. Leonis III *fides (809)* : Leo episcopus servus servorum Dei omnibus orientalibus Ecclesiis.

Hoc symbolum orthodoxae fidei vobis mittimus ut tam vos quam omnis mundus, secundum Romanam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, rectam et inviolatam teneatis fidem.

Credimus sanctam Trinitatem, id est Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem, unius substantiae, unius essentiae, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Patrem a seipso non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina sed unum lumen, Spiritum Sanctum a Patre et a Filio aequaliter procedentem, consubstantialem, coaeternum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus Sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, incommutabilem, qui totus est ubique praesens, non per partes divisus sed totus in omnibus, non localiter sed personaliter qui sine commutatione sui mutabilia creavit et creata gubernat, semper manens id quod est cui nihil accidens esse poterit quia simplici divinitatis naturae nihil addi vel minui potest, quia semper quod est, cui semper primum est, cui sempiternum est, cui idem est esse, vivere et intelligere. Et haec tria unus Deus, haec tria idem Deus et Dominus vera et sempiterna Trinitas in personis, vera et sempiterna unitas in substantiis, quia una est substantia Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

590. Haec vero sancta Trinitas nihil est in tribus personis simul nominatis quam in una qualibet persona simul dicta, quoniam unaquaeque persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiae sed unus Deus, una substantia, una essentia, una aeternitas, una magnitudo, una bonitas Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Nec aliud est Pater in natura quam Filius vel Spiritus Sanctus, nec aliud Filius et Spiritus Sanctus quam Pater in natura, quibus est una natura. Sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus Sanctus in persona. In Patre aeternitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto aeternitatis aequalitatisque conexio. Unum omnes in substantia et essentia, omnipotentia et divinitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus. Quamvis opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa quae de caelo sonuit super Christum baptizatum, et ad Filii personam humani-

tatis tantummodo pertinet susceptio et Spiritus Sancti personae proprie congruit illa columba in cuius specie idem Spiritus Sanctus descendit super eundem Filium secundum hominem baptizatum. Tamen absque omni dubitatione illam vocem et illam columbam in Christi humanitatem tota sancta Trinitas operata est, cuius opera inseparabilia sunt

591. *Fides* NICEPHORI *CPitani ex ep. synodica ad Leonem III (811)*. Ὁμολογῶ τοίνυν πιστεύειν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, τὸν πάντων ποιητὴν καὶ δεσπότην καὶ Κύριον· καὶ εἰς τὸν Υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν ἀληθινὸν Θεόν, τὸν προαιώνιον Λόγον, τὸν ἀνάρχως καὶ ἀφράστως ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα ἀλήπτως καὶ ἀκαταλήπτως πάσῃ νοητῇ καὶ αἰσθητῇ κτίσει· καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας τὸ ζωοποιὸν καὶ πανάγιον· Τριάδα ὁμοούσιον, ὑπερούσιον, ἀόρατον, ἀκατάληπτον, ἀχώριστον, ἀναλλοίωτον, ἁπλῆν καὶ ἀμερῆ καὶ ἀσύνθετον, ἀδιάστατον, ἀΐδιον, ἀσώματον, ἄποιον, ἄποσον, ὁμότιμον, ὁμόδοξον καὶ ὁμόθεον, ἀναφῆ καὶ ἀψηλάφητον καὶ ἀσχημάτιστον, ὑπεράγαθον, φῶς ἀνέσπερον, τρίφωτον, ὑπέρφωτον, ἀεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχουσαν· πάντων ἐποπτικὴν καὶ τελειωτικὴν δύναμιν, πᾶσι τοῖς λογικοῖς τε καὶ νοεροῖς νοερῶς καὶ ἀισθητῶς τῇ προνοίᾳ [προχύσει] τοῦ θείου φωτὸς ἐπιλάμπουσαν ἀναλόγως ταῖς τῶν μεταλαμβανομένων παραδοχαῖς καὶ πρὸς τὸ εἶναι [καὶ εὖ εἶναι] διατηροῦσαν ἐν πράγματι πράγμασι καὶ οὐ ψιλεῖς ὀνόματι γνωριζομένην μιᾷ θεότητι, καὶ ἐξουσίᾳ καὶ βασιλείᾳ δοξαζομένην καὶ προσκυνουμένην ὑπὸ πάσης ὁρωμένης καὶ ἀοράτου κτίσεως.

592. Τῶν ἐν Τριάδι θεωρουμένων τὸ μὲν Πατὴρ ἀνάρχος καὶ ἀναιτίως

591. Fateor proinde me credere in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium factorem, omnium herum et dominum et in Filium eius unigenitum D. N. I. X. verum Deum, Verbum aeternum, ab aeterno ineffabiliter incomprehensibiliter, modoque quem nulla neque spiritalis neque sensibilis creatura assequi potest ex Patre natum, et in Spiritum Sanctum vivificum ac sanctissimum. Credo in consubstantialem Trinitatem, supersubstantialem, inspectabilem, incomprehensibilem, impartibilem, inalterabilem, aeternam, indivisam, simplicem, omnis partis, omnis compositionis, omnis corporis, omnis quantitatis et qualitatis expertem, eodem honore, eadem gloria, eadem deitate pollentem nulli neque tactui neque contactui obviam, omnis figurae exsortem, infinite bonam, lumen defectionis nescium, trilucem, supersplendidam, semper pari similique modo affectam, virtutem omnia intuentem omniaque perficientem, omnibus cum ratione tum intellectu quoque praeditis spiritualiter intelligenterque et proinde per divinae lucis radium praesentem, illuminata et existentia omnia tam in esse quam in bene esse convenienter prout cuiusque natura fert, conservantem; in rebus subsistentibus et non in solis nudisque nominibus cognitam, una divinitate, pari potentia, aequali regni maiestate glorificatam, ab omnibus aspectabilibus inaspectabilibusque creaturis cultam et adoratam.

592. Trium autem hypostaseon, quas in Trinitate consideramus, alia est

ὑπάρχων· οὐ γὰρ ἔκ τινος, ἐν ἑαυτῷ γὰρ τὸ εἶναι ἔχων· τὸ δὲ Υἱὸς καὶ οὐκ ἀνάρχως· ἐκ τοῦ Πατρὸς γάρ, ἀρχὴ γὰρ Υἱοῦ Πατήρ, ὡς αἴτιον· εἰ δὲ τὴν ἀπὸ χρόνου λαμβάνοις ἀρχὴν καὶ ἄναρχος· ποιητὴς γὰρ χρόνων οὐχ ὑπὸ χρόνον· γεννητῶς μὲν ἀϊδίως δὲ καὶ ἀδιαστάτως ἐκλάμψας τῷ Πατρί, ὡς ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ τῆς πατρικῆς χαρακτὴρ ὑποστάσεως Τὸ δὲ Πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχον, οὐ γεννητῶς μέν, ἀλλ' ἐκπορευτῶς, ἀϊδίως Πατρὶ καὶ Υἱῷ συνθεωρούμενον, οὐκ ἄναρχον μὲν διὰ τὴν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσιν· ἀρχὴ γὰρ καὶ αὐτοῦ ὁ Πατὴρ κατὰ τὸν τοῦ αἰτίου λόγον, ἄναρχον δὲ καὶ αὐτὸ κατὰ χρόνον.

593. Εἷς οὖν Θεὸς ὁ Πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα. Ἐκ τῶν τριῶν τελείων ἓν ὑπερτελὴς καὶ προτέλειον ἡ θεότης· τοῖς μὲν ἀφοριστικοῖς καὶ προσωπικοῖς ἰδιώμασι καὶ ἀλλήλοις διαφέροντα· ἕκαστον γὰρ τούτων τῶν φύσει ἀχωρίστων διὰ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας ἡνίκα ταῖς τοῦ νοῦ ἐπιβολαῖς μερίζεται Θεὸς ὁμολογεῖται παρ' ἡμῶν καὶ πιστεύεται, πάντων πληρέστατον ὑπάρχον τῶν τῆς θεότητος ἰδιωμάτων. Καὶ τὰ τρία ἀλλήλοις συναπτόμενα εἷς Θεὸς παρ' ἡμῖν προσκυνεῖται, τριαδικῶς μὲν κατὰ τὴν ὑπόστασιν, μοναδικῶς δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ μοναρχία παρ' ἡμῖν τὸ τιμώμενον οὐ πολυαρχία διὰ τὸ ἄτακτον καὶ στασιῶδες τῆς Ἑλληνικῆς ἐμβροντησίας καὶ συγχύσεως· μοναρχία δὲ οὐχ ἡ ἑνὸς προσώπου περιγραφὴ διὰ τὸ ἀτελὲς καὶ στοιχειῶδες τῆς Ἰουδαϊκῆς πενίας καὶ

Pater principio carens, nullam suae existentiae causam habens neque enim aliunde est sed a seipso et in seipso habet esse. Alia rursum est Filius qui principii expers non est, ex Patre enim est; Pater namque Filii principium et origo exsistit; quod si temporis initium spectes, neque Filius principio caret ac Pater; est enim temporum conditor, non subiectus tempori; inseparabiliter autem aeternaque generatione ex Patre elucet, tanquam gloriae illius splendor paternaeque substantiae character. Alia tandem est Spiritus Sanctus ex Patre, non genitivitate sed processione, substantiam habens eandemque cum Patre et Filio aeternalitatem sortitus; aeternus quidem non tamen absque principio, ut qui a Patre procedat; est enim Pater ratione originis et illius quoque principium verum, ad tempus quod attinet, et ipse quoque principii expers est.

593. Unus igitur est Deus Pater, ex quo omnia, et unus D. I. X., per quem omnia, et unus Spiritus Sanctus, in quem omnia Ex his tribus perfectis una perfectissima, immo secundum se absolutissima constat deitas; proprietatibus nunc distinctivis ac personalibus hypostases inter se sunt distinctae (quaelibet namque personarum, etiam si propter essentiae coniunctionem, ab altera secerni non queat, proprietate tamen personali mentisque conceptu ab altera distinguitur, Deusque perfectus, hoc est omnibus deitatis proprietatibus, ornata esse noscitur et creditur, at unum interim divinitate sunt omnes Rursus licet simul coniunctae tres sint, unus nihilominus adoratur Deus, obtinet hic enim Trinitas secundum substantiam, unitas etiam secundum essentiam, atque ita contra insanem inordinatamque paganicae vesaniae confusionisque seditionem non polyarchia a nobis colitur sed monarchia, monarchia autem non unius personae circum-

νηπιότητος, ἀλλ' ἣν φύσεως ὁμοτιμία καὶ γνώμης σύμπνοια καὶ ταυτότης κινήσεως δείκνυσιν καὶ πρὸς τὸ ἓν ἡ τῶν ἐξ αὐτοῦ σύννευσις, ὅπερ ἐπὶ τῆς γενητῆς φύσεως ἀμήχανον, ἥ φησιν ὁ μέγας ἐν θεολόγοις Γρηγόριος καὶ οὐδέν τι συνημμένον καὶ συμφυὲς τῆς ἐν Τριάδι θεωρουμένης θεότητος διατέμνεται. Ἀλλοτριούσθω γὰρ ἡμῶν καὶ ἀποτεμνέσθω ἡ τοῦ μανιώδους Ἀρείου κακοδοξία καὶ λύσσα· ἀδιαίρετος γὰρ ἡ αὐτὴ Τριὰς δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι μὴ μεριζομένη μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη, οὔτε τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων μεταπιπτουσῶν καὶ παραχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστης τούτων ἀμεταπτώτου καὶ ἀσυγχύτου φυλαττομένης τῆς ἀϊδιότητος· πόρρω γὰρ ἀποσκεμπέσθω καὶ ἀπελαυνέσθω ἡ τοῦ ματαιόφρονος Σαβελλίου ἀπατητικὴ σύγχυσις[1].

594. *Fides* Leonis IX *(1053)*: **Firmiter (enim) credo sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem esse, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis et maiestatis: creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (Rom. xi, 36), quae sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia. Credo etiam singulas quasque in sancta Trinitate personas unum Deum verum, plenum et perfectum... Hanc sanctam et individuam Trinitatem non tres Deos, sed in tribus personis et in una natura sive essentia unum Deum omnipotentem, aeternum invisibilem et incommutabilem ita credo et confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a Patre et Filio procedentem, veraciter praedicem.**

Fere eadem est fides **Michaelis Palaeologi** *(1274)*: **Credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coaeternam, et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia,**

scriptio, ne iudaicae tenuitatis infantisque imperfectionem ruditatemque inducamus, sed quam naturae aequalitas, sententiae concordia, motionis identitas idemque singulorum nutus ad unum declarat. Hoc autem, secundum summum illum theologum *Gregorium*, in generabili natura locum habere non potest, unitas enim et cognatio deitatis in Trinitate consideratae nequaquam distrahitur, aut in partes secatur, ut fit in rebus creatis, dum supposita multiplicantur. Procul enim insana et furiosa Arii opinio et rabies a nobis facessat: est enim Trinitas secundum gloriam et aeternitatem modis omnibus indivisa nullaque ex parte ab sese abscissa, neque ob id tamen divinae personae se mutuo permeant hoc est in se invicem transmutantur sed harum quaelibet immutabilis manet et inconfusa et aeterna, longe enim amandetur pellaturque insani stolidique Sabellii deceptoria confusio.

1. Quae sunt inter uncinos addita sunt ex cod. Parisino

in quo omnia, per quem omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia, invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum... Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos sed unicum Deum omnipotentem, aeternum et invisibilem et incommutabilem.

595. *Errores* **Petri Abaelardi** *damnati in* Senonensi *(1141)*: 1. Quod Pater sit plena potentia, Filius quaedam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia. — 2. Quod Spiritus Sanctus non sit de substantia Patris aut Filii. — 3*. Quod Spiritus Sanctus sit anima mundi. — 14. Quod ad Patrem, quia ab alio non est, proprie vel specialiter attineat omnipotentia, non etiam sapientia et benignitas.

596. *Capitula* **Gilberti Porretani**, *discussa in* Remensi *(1148)*: 1. Quod divina natura, quae divinitas dicitur, Deus non sit sed forma qua Deus est, quemadmodum humanitas homo non est sed forma qua est homo. — 2. Quod cum Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum esse dicuntur, non nisi una divinitate esse intelliguntur nec converti possit ut unus Deus vel una substantia vel unum aliquid Pater et Filius et Spiritus Sanctus esse dicatur. — 3. Quod tres personae tribus unitatibus sint tria et distinctae proprietatibus tribus quae non sunt ipsae personae sed tres aeternae et ab invicem a divina substantia in numero differentes. — 4. Quod divina natura non sit incarnata.

597. *Fides de his capitulis approbata* Remis (1148) *ab* Eugenio III: 1. **Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Si vero dicitur Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, aeternitate aeternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia huiusmodi: credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse; nonnisi ea unitate, quae est ipse Deus, unum esse; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse: id est, seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum.**

2. **Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. Et e converso cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas confitemur.**

3. **Credimus et confitemur solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et huiusmodi alia, adesse Deo, quae sint ab aeterno quae non sint Deus.**

4. **Credimus et confitemur ipsam divinitatem, sive substantiam divinam sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.**

598. *Fides pro* **Waldensibus** (INNOCENTIUS III, 1208). Corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur et simplicibus verbis affirmamus: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum totamque Trinitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et omnipotentem et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut in *Credo in Deum* [*Apostolicum*] in *Credo in unum Deum* [*CPtanum*] et in *Quicumque vult* continetur.

Patrem quoque et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium. Corde credimus et ore confitemur. Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit; Ioannemque Baptistam ab eo missum esse sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum.

599. *Fides* LATERANENSIS IV, *oec. XII* (*1215*): **Firmiter** credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque: absque initio, semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales et coaequales et coomnipotentes et coaeterni... Haec sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.

600. *Idem* :

Cap. 2. **De errore Abbatis Ioachim.**

Error Ioachim. Damnamus ergo et reprobamus libellum seu tractatum, quem *Abbas Ioachim* edidit contra *Magistrum Petrum Lombardum*, de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum pro eo quod in suis dixit Sententiis: *Quoniam quaedam summa res est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, neque procedens.* Unde asserit quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, et illam communem essentiam quasi quartam; manifeste protestans, quod nulla res est, quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus; nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater et

Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia unaque natura. Verum unitatem huiusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (Act. IV, 32); et: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum illo* (I Cor. VI, 17). Item: *Qui... plantat, et qui rigat unum sunt* (I Cor. III, 8); et: *Omnes unum corpus sumus in Christo* (Rom. XII, 5). Rursus in libro Regum. *Populus meus et populus tuus unum sunt* (Ruth 1, 16). Ad hanc autem suam sententiam astruendam illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Evangelio: *Volo, Pater, ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus, ut sint consummati in unum* (Io. XVII, 22-23). Non enim, ut ait, fideles Christi sunt unum, idest quaedam una res, quae communis sit omnibus, sed hoc modo sunt unum, id est una Ecclesia, propter catholicae fidei unitatem, et tandem unum regnum, propter unionem indissolubilis caritatis, quemadmodum in canonica Ioannis Apostoli epistola legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt* (1 Io. V, 7). Statimque subiungitur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt* (1 Io. V, 8), sicut in quibusdam codicibus invenitur.

601 *Vera doctrina.* Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum *Petro Lombardo*, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul personae, ac singillatim quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina: quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest: et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino; ut secundum

orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse creduntur. Pater enim ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur : *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est* (Io. x, 29). Ac dici non potest quod partem substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi; alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eandem substantiam; et sic eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum vero Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem, *Volo*, inquiens, *ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus* (Io. xvii, 22) : hoc nomen « unum » pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia, pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait : *Estote... perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (Mt. v, 48) ac si diceret manifestius : *Estote perfecti* perfectione gratiae, *sicut Pater vester caelestis perfectus est* perfectione naturae, utraque videlicet suo modo : quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam vel doctrinam praefati *Ioachim* in hac parte defendere vel approbare praesumpserit, tanquam haereticus ab omnibus confutetur.

In nullo tamen propter hoc Florensi monasterio (cuius ipse Ioachim exstitit institutor) volumus derogari : quoniam ibi et regularis est institutio, et observantia salutaris : maxime, cum ipse *Ioachim* omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, Apostolicae Sedis iudicio approbanda seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quae, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est et magistra.

602 *Error Almarici damnatur :* Reprobamus etiam et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cuius mentem

sic pater mendacii excaecavit, ut eius doctrina non tam haeretica censenda sit, quam insana.

603. *Flor. (1442) :* Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem et aeternum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis : Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedentem; Patrem non esse Filium aut Spiritum Sanctum; Filium non esse Patrem aut Spiritum Sanctum; Spiritum Sanctum non esse Patrem aut Filium ; sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus Sanctus simul de Patre procedit et Filio. Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii : quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est quod Filius de Patre exstitit, et aeternum ac sine initio est quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se; et est principium sine principio. Filius quidquid est aut habet, habet a Patre, et est principium de principio. Spiritus Sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium : sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium.

Quoscumque ergo adversa et contraria sentientes damnat, reprobat et anathematizat et a Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse denuntiat. Hinc damnat *Sabellium* personas confundentem et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem. Damnat *Arianos, Eunomianos, Macedonianos* solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem et Spiritum Sanctum

in creaturarum ordine collocantes. Damnat et quoscunque alios, gradus seu inaequalitatem in Trinitate facientes.

604. Paulus IV *damnat (1555) eos* **(Socinianos)** *qui asserunt :* Deum omnipotentem non esse trinum in personis et incomposita omnino indivisaque unitate substantiae et unum una-met simplici divinitatis essentia; aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse Deum verum eiusdem substantiae per omnia cum Patre et Spiritu Sancto.

605. Pius VI *in damnatione* **Synodi Pistoriensis** *(1794) :* Duo vero specialim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio, § 2 decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant.

606. *Primum*, dum posteaquam rite praemisit, Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subiungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus; cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum : quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii, tot Scripturae locis consecrata voce ipsa Patris e caelis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod, edoctus ab Augustino, angelicus praeceptor[1] vicissim ipse docuit, *in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quae in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino[2] : *Eo dicitur Verbum, quo Filius.*

1. S. Th. I, q. 34, a. 2, ad 3. — 2. *De Trin.*, l. 7, c. 2, n. 3, PL. 42,936.

607. *Errores* **rosminiani** *(damnati a. 1887) :* 25. **Revelato mysterio** SS. Trinitatis, potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, huius modi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae : si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur. — 26. Tres supremae formae *esse*, nempe subiectivitas, obiectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes. — Verbum, quatenus obiectum amatum, et non quatenus Verbum, id est obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti. — 28. In christiana doctrina Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum, qui cum fide suscipiunt baptismum Christi. — Verbum, id est character in animo impressum, in doctrina christiana, est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundum personam SS. Trinitatis[1].

608. Leo XIII, *in enc.* Divinum illud munus *(9 maii 1897) :* Nonnulla de Triadis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit attingere. Hoc namque *substantia Novi Testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causa, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in Testamento Veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit : *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Io. 1, 18). Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus : *Cum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum, quia, ut Augustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur*[2]. Periculum autem ex eo fit, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur; nam, *fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur (Quicumque).* Quare Innocentius XII, decessor Noster, sollemnia quaedam honori Patris propria postulantibus omnino negavit. Quod si singula Incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam : atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus

1. De authenticitate I Io. 5, 7, cf. supra n. 119. — 2. S. Th. I, q. 31, a. 2. — De Trin. l. 1, c. 3, n. 5, PL. 42,822.

per se simpliciter honoraretur, sed ut ejusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur.

609. Quin etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum; tum altaria et templa eidem dicari permisit atque Ordinem religiosorum captivis redimendis, qui Trinitati devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Christo tribuitur, is demum in Trinitatem ipsam redundat et desinit. In precationibus quae uni Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praeconium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia : *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula* (Ro. XI, 36), inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae cum una eademque singulis sit Personis, ideo singulis, tanquam uni eidemque Deo, aeterna aeque maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus : *Non confuse,* inquit, *accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et per ipsum et in ipso; ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum*[1].

610. Aptissimeque Ecclesia, ea Divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia*[2], quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur*[3] : verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur : *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis; et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriatio dicitur*[1]. Hoc modo Pater qui est *principium totius Deitatis*[2], idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum; *ex ipso sunt omnia :* ex ipso, propter Patrem. Filius autem, *Verbum, Imago Dei*, idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur; qui exstitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliator; *per ipsum sunt omnia :* per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiternam, impulsione quadam valida suavique complet et perficit; *in ipso sunt omnia :* in ipso, propter Spiritum Sanctum.

N. B. — De attributis naturae divinae sermo est vel supra cum de Trinitate vel infra, parte IV, cum de creatione agitur et cognitione nostra Dei.

1. *De Trin.*, l. VI, c. 10, n. 12, PL. 42.932; l. I, c. 6, n. 12, ibid. 827, *sensu non ipsis verbis.* — 2. S. Aug. *de Trin.*, l. I, c. 4 et 5, n. 7-8, PL. 42.824-25. — 3. S. Aug. *ib.* c. 4, n. 7, c. 824.

1. S. Th. I, q. 39, a. 7. — 2. S. Aug. *de Trin.*, l. IV, c. 20, n. 29, PL. 42.908.

PARS QUARTA

De Dei natura et creatione.

I

IN GENERE

A) Documenta antiqua[1].

611. a) Apostolicum : Credo in [unum] Deum Patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae (Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν Πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς). — b) *Fides* S. Gregorii Thaumaturgi : *(de Filio)* Λόγος ἐνεργός, σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική. — c) Nicaenum *(325) et S.* Epiphanii *fides (375)* : Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν... δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ. — d) CPtanum *(s. IV) habet* ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. —

---

611. b) Sapientia omnium substantiam comprehendens et virtus totius creaturae effectrix. — c) Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum... per quem omnia facta sunt, quae in caelo et in terra. — d) Creatorem caeli et terrae visibilium omnium et invisibilium.

1. Quae supra de Trinitate relata sunt multa, hic tantum ex parte commemorantur, cum fere omnia repetenda essent.

e) Toletanum I [*Libellus* Pastoris] (*s. V.*) : Credimus in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra. — f) CPtanum II (*oec. V*) *a. 553* : Εἷς γὰρ Θεὸς καὶ Πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα. — g) *Fides* Gregorii Magni (*c. 590*) : Confiteor unigenitum Filium... omnium visibilium et invisibilium conditorem. — h) Toletanum VI (*638*) : Credimus... trinitatem... creatricem omnium creaturarum. — i) Romanum (*680*) : Credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in Filium eius..., per quem omnia facta sunt, quae in caelo et quae in terra.

612. Lateranense IV, *oec.* XII (*1215*), *adversus Albigenses de uno Deo* : Unum universorum principium : creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium : qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam : ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit.

613. *DIac.* (*1442*) : Firmissime credit, profitetur et praedicat unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem : qui quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit creaturas : bonas quidem, quia a summo bono factae sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt, nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est.

614. *In primis contra distinctionem ciborum, ibidem* : Firmiter credit, profitetur et praedicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia, iuxta verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem ; illamque Mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia asserit pertinere, quae surgente Evangelio transierunt et efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem *ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* (Act. XV, 29) dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudaeis atque gentilibus, qui antea diversis caeremoniis moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia, ut cum Iudaeis etiam gentiles aliquid communiter observarent, et in unum Dei cultum fidemque conveniendi praeberetur occasio et dissensionis materia tolleretur : cum Iudaeis propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum abominabilia viderentur et esu immolatitii poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem eo usque propagata est christiana religio, ut nullus in ea Iudaeus carnalis appareat, sed omnes ad Ecclesiam transeuntes in eosdem ritus Evangelii caeremoniasque conveniant, credentes *omnia munda mundis* (Tit. I, 15) : illius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana : nec inter animalia discernendum per quemcunque, sive virum sive mulierem, et quocunque genere mortis intereant : quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina possint et debeant multa non negata dimitti, quia, iuxta Apostolum, *omnia licent, sed non omnia expediunt* (I Cor. VI, 12).

611. f) Unus enim Deus et Pater in quo omnia et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et unus Spiritus Sanctus in quo omnia.

B) Vaticanum (1870), Const. de fide catholica.

Cap. 1. *De Deo rerum omnium creatore.*

615. Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum ; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super

omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio « simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » (LATER. IV, n. 612).

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (Sap. VIII, 1). *Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius* (Hebr. IV, 13), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

616. Can. 1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium creatorem et Dominum negaverit : anathema sit. — 2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit : A. S. — 3. Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam : A. S. — 4. Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse, aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera species et individua distinctam : A. S. — 5. Si quis non confiteatur mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas, aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum, aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit : A. S.

C) Errores varii.

1. — De Deo et de creatione.

617. TOLETANUM I *(Libellus* PASTORIS *s. V)* : 1. Si quis dixerit aut crediderit, a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, atque eius omnia instrumenta, A. S. — 9. Si quis dixerit vel crediderit, ab altero Deo mundum factum fuisse, et non ab eo, de quo scriptum est : *In principio fecit Deus caelum et terram* (Gen. 1, 1), A. S.

618. BRACARENSE *(563)* : 5. Si quis animas humanas vel angelos ex Dei credit substantia exstitisse, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. — 13. Si quis dicit creationem universae carnis non opificium Dei, sed malignorum esse angelorum, sicut Priscillianus dixit, A. S.

619. LATERANENSE *sub* MARTINO *papa (649)* : Si quis non confitetur... unam eandemque trium... operationem... creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit (n. 572).

620. *Errores* **Ekardi** (IOANNES XXII, *1329)* : 1. Art. Interrogatus quandoque quare Deus mundum non prius produxerit, respondit tunc sicut nunc... quod Deus non potuit primo producere mundum, quia res non potest agere, antequam sit ; unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit. — 2. Item concedi potest mundum fuisse ab aeterno. — 3. Item simul et semel, quando Deus fuit, quando Filium sibi coaeternum per omnia coaequalem Deum genuit, etiam mundum creavit. — 26. Omnes creaturae sunt unum purum nihil ; non dico, quod sint quid modicum vel aliquid, sed quod sint unum purum nihil. — *Addendus* 2. Quod Deus non est bonus neque melior neque optimus ; ita male dico, quandocunque voco Deum bonum, ac si ego album vocarem nigrum.

621. *Decr. pro Iac.* *(1442)* : Praeterea *Manichaeorum* anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium ; et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse Deum dixerunt.

622. *Error* **Zanini de Solcia** (PIUS II, *1459)* : 3. Deum quoque alium mundum ab isto creasse et in eius tempore multos alios viros et mulieres exstitisse et per consequens Adam primum hominem non fuisse.

623. PII IX S. *(1864)* : 1. Nullum supremum, sapientissimum,

providentissimumque Numen divinum exsistit, ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et iustum cum iniusto (*All.* Maxima quidem, *9 iun. 1862*).

624. *De delectu ciborum*, Toletanum I (*lib.* Pastoris *s. V*) : 17. Si quis dixerit vel crediderit, carnes avium seu pecudum, quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione corporum abstinendas, sed exsecrandas esse, A. S. — Bracarense (*563*) : 14. Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in usu hominum dedit, et, non propter afflictionem corporis sui, sed quasi immunditiam putarit, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus pergustet, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. — Innocentii III *fides pro Waldensibus (1208)*. Carnium perceptionem minime culpamus.

2. — De mundi gubernatione a Deo.

625 Toletanum I (*lib.* Pastoris *s. V.*) : 15. Si quis astrologiae vel mathematicis aestimat esse credendum, A. S.

626 Bracarense (*563*) : 9. Si quis animas humanas fatali signo (*al.* animas et corpora humana fatalibus stel is) credit adstringi, sicut pagani et Priscillianus dixerunt, A. S. — 10. Si qui duodecim signa vel sidera, quae mathematici observare solent, per singula animae vel corporis membra dissipata credunt et nominibus Patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, A. S.

627. *Errores* Abaelardi (Senonense *1141*) : 7. Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum vel eo tempore, quo facit et non alio. — 8. Quod Deus nec debeat nec possit mala impedire.

628 *Errores* Wicleff (Martinus V, *1418*) : 27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt (cf. n. 652, 793 a).

629. *Errores de omnipotentia donata* (Innocentius XI, *1679*) : 1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam vel librum. — 2. Deus subicit nobis suam omnipotentiam. — *Prohibentur uti* temerariae ad minimum *et* novae

630. Pii IX S. (*1864*) : 2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum (*All.* Maxima quidem, 9 *iun.* 1862).

II

DE ANGELIS

A) De bonorum angelorum hierarchia.

631. Gregorius *Magnus in ep.* Ad hoc, *ad Galliarum episcopos, 15 aug. 595, necessitatem variarum ordinum in humana societate exponens*. Quia vero creatura in una eademque qualitate gubernari vel vivere non potest, caelestium militiarum exemplar nos instruit quia, dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non aequales sunt sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter et altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista constat esse distinctio quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere cui novit etiam angelos oboedire? Hinc etenim pax et caritas mutua se vice complectuntur et manet forma concordiae in alterna et Deo placita dilectione sinceritas.

B) De malorum angelorum casu et nequitia.

632. Gelasius I (*492-96*), *in Dictis adversus Pelagianam haeresim* : 24 Haec (superbia) est quae non tantum animal rationale in terris positum constare non sivit sed angelicam quoque deicit infestae naturam. — 25. Nam cum Deus omnipotens, qui fecit *omnia bona valde* (Gen. 1, 31), cuncta suis modis et congruis ordinibus instituta condiderit eaque propriis concesserit vel manere vel proficere posse mensuris, hic rationabili creaturae subrepsit affectus qui per id, quod decentius facta consisteret, plus ei de propria dignitate confidere quam, sicut modus eius poscebat, de ipso collatore dignitatis ingessit atque ita aliter appetendo sui culminis firmitatem quam competens eius et decens norma requireret, fecit eam praeter ordinem naturalem cupiendo, fastigium meriti potioris erumpere. — 26. Qui excessus, utique sicut reatum intulit exce-

denti, sic iustitiam conditoris contra cuius ordinem tendebatur, offendit; et, dum ab eo tenore cessatur, quo solo proficeretur ad summi boni perenne consortium, consequenter, qui ad eius stabilem participationem pervenire non posset, defectus accessit, sicut creaturae rationalis usibus congruebat.

633. Nam angelos ad profectum conditos promerendae stabilitatis aeternae illa res indicat, quoniam si sic facti essent, ut ulterius nihil egerent, nulla pars eorum ullum potuisset habere defectum. Non enim in eis diversam naturam fuisse dicendum est ne ille qui propria voluntate prolapsus est angelus excusetur, si hoc illi non suae protervitatis ingessit arbitrium sed necessitas inditae conditionis imposuisse videatur. — 27. Unde ergo beati et sublimes angeli de perceptis grati piae devotionis officio et non seipsos sed potius ipsis praeferendo convenienter auctorem ad eius perpetuitatem proficere provehique meruerunt. Inde isti qui reprobi sunt, de perceptis consequenter ingrati debitamque dissimulantes obsequium seque ipsos magis quam qui tantae dignitatis substantiam condiderat praeferre molientes et delectatione suae creationis illecti, a creatoris honore cessando, quanto arroganter elati, tanto aeternitatis rectitudinem per irreverentiam non sequendo, ab eius pariter et dignatione et participatione retracti sunt et ab eo quod sempiternum est recedentes in id quod semper deficit sunt reducti. — 28. Quod praestante Deo nostro plenius alias confidimus exsequendum. Nunc interim quantum praesenti negotio sufficit, haec illa causa est, hoc illud malum, per quod, etiam sine vitio corporali, quadam spirituali fornicatione motus angelus, a divina qua illustrabatur gratia et participatione delapsus est, eoque modo degener factus ac de caelesti sede pro hac sui decoloratione seclusus, secundae conditionis imaginem Dei per invidiam flammatus evertit, iisdem motibus aggrediens in securitate degentem, quibus de summis ad ima male confisus ipse deciderat.

634. 30. ... Justus tamen arbiter Deus sic istam creaturam [humanam] propositae legis aequitate corripuit et quae divinum sequi tramitem inter felicia fastidivit sibimet ipsam merita lance dimisit, ut tamen quia et decepta fuerat creaturae potioris incursu (illius scil. vel quae fremebat illo terrenam proficere posse substantiam, unde spiritalis ipsa deciderat et tanquam solatium capere cupiebat de alterius ruina creaturae, vel ut non solum se culpandam ex alterius quoque transgressione praetenderet sed lapsum suum in creatoris referret opificium, cuius et aliud opus constare veluti minime potuisset), ineffabili circumventae pietate consuleret, utramque vero creaturam recte conditam hac ratione monstraret, quia et degeneres angeli per sanctorum angelorum beatitudinem confutantur. — 31. quod iisdem modis quibus illi, — hoc est debitae pietatis officio creatoremque suum debita praedicatione lau-

dando —, per dignationis eius augmenta profectumque reverentiae competentis participationem boni parentis stabilitatemque perpetuam sempiternae gloriae sunt adepti, sic isti quoque, si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides a sui laude factoris et competentem reverentiam non sequentes ab eius retracti participationis affectu propriae nequivissent incrementa perfectionemque sumere dignitatis, dum suae institutionis claritate detenti ulterius se nihil egere ac sibi se sufficere posse praesumunt, perque seipsos obtinere fidentes quidquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci quod in suae prorsus conditione mutabilitatis habere non poterant...

635. 33. Unde etiam non per rapinam in forma Dei dictus est constitutus, qui hoc habebat utique per naturam, sicut ille spiritus, qui quod erat nec sempiternum habebat omnino nec summum, per rapinam maluit occupare quam per auctoris gratiam perpetem consequi dignitatem, a quo sumpserat angelicae substantiam claritatis, quemadmodum beati angeli in divina gratia permanentes consecuti sunt sempiternae beatudinis firmitatem. Pravus autem spiritus nec illud potuit obtinere quod nisus est incompetenter invadere et tenorem suae conditionis excedens in hoc etiam non potuit perseverare quod factus est. — 34. Auctor ergo bonus ut bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret, inferioris creaturae suae miseratus offensam, quod spiritalis substantia, quae et sui et alterius processerat ipsa deceptrix, atque in sua nequitia perseverans omnino consequi digna non fuerat, terrenae conditionis et per fraudem deceptae substantiae naturam pariter clementer suscepit et causam.

636. Hormisdas, *in epistola* Iustum est *ad Caesarium ep. Arelatensem, 11 sept. 515* : 1. Elatio enim semper affert saluti periculum per quam ipsius inventor diabolus angelica potestate privatus est.

637. *De malitia daemonum, idem, in epistola* Qui de his *ad Avitum episc. Viennensem, 16 feb. 517* : 3. Caveto *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita sensus* aliquorum *corrumpantur a simplicitate* et castitate *quae est in Christo Iesu* (II Cor. xi, 3). Perniciosa sunt blandimenta nocentium atque ideo vigilare vos convenit quia *adversarius* salutis humanae *sicut leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (I Pet. v, 8), quia hoc speciale habent patris sui, de caeli arce deiecti, qui vestigia eius sequuntur et diligunt, ut illa veritatis luce privati et alios gaudeant sua obscuritate fuscari et cum perversitatis suae poenas luituros esse se sciant, exsultent si miseros cum sua damnatione coniungant.

638. *In* Statutis Ecclesiae antiquis *interrogatur :* Si diabolus non per conditionem sed per arbitrium factus sit malus. *Iisdem verbis*

fides pro Waldensibus Innocentii III (*1208*) *profitetur :* Diabolum non per conditionem sed per arbitrium malum esse factum credimus.

639 Bracarense (*563*) : 7. Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum angelum a Deo factum nec Dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum ex tenebris emersisse nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium atque substantiam mali, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. — 8. Si quis credit quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit et tonitrua et fulgura et tempestates et siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, A. S.

640. Gregorius I, *in epistola* Omnipotens Deus, *ad Constantinam, 1 iun. 595* : Sed in hac eius [*Ioannis CP titulum oecumenici usurpantis*] superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur ? Quia illum videlicet imitatur qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere dicens : *super astra caeli exaltabo solium meum... similis ero altissimo* (Is. XIV, 13)[1].

641. *Error* **Abaelardi**, *damnatus in* Senonensi, (*1141*) : 16[1]. Quod diabolus immittat suggestionem per operationem lapidum vel herbarum.

642. *Error* **Wicleff** *damnatus a* Martino V (*1415*) : 6. Deus debet oboedire diabolo.

643. *Propositio damnata inter* **rosminianas** (*1887*) : 33 Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet ; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, i. e. in vitam subiectivam huius entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant.

1. *Cf. alteram eiusdem diei epistolam* Eo tempore *ubi addit :* ut et nulli subesse et solus omnibus praeesse videretur.

III

DE ANIMA[1]

A) De origine animae.

644. Toletanum (*Libellus* Pastoris) (*s. V.*) : Animam autem hominis non divinam esse substantiam aut Dei partem sed creaturam dicimus divina voluntate creatam. — 11. Si quis dixerit vel crediderit animam humanam Dei portionem vel Dei esse substantiam, A. S.

645. *Animam creari a Deo* Anastasius II *declarat, in ep.* Bonum atque, *23 aug. 498, ad episc. Galliae :* 1 s. (Contra haeresim) quam intra Galliam affirmat (coepiscopus noster Arelatensis) exortam quia putant hoc rationabili se assertione suadere, quod humano generi parentes, ut ex materiali faece tradunt corpora, ita etiam vitalis animae spiritum tribuant. Quos debet fraternitas vestra monitis praedicationibusque suis a vana falsaque persuasione revocare. — 3. Nam in utroque quid Deus benefaciendo usque in praesens tempus operetur, Scripturarum sacrarum non ambigua testatur assertio. Si quidem ipse qui dixit *crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. I, 28), in hac benedictione opus exercet ; et rursus, si a mandatis suis et lege proposita[2], quid ei pro malo usu et temeritate arbitrii sui eveniret certa praecepti auctoritate distinxit. — 4. Quomodo ergo contra divinam sententiam carnali nimis intellectu animam ad Dei imaginem factam putant hominum permixtione diffundi atque insinuari, cum ab illo, qui ab initio hoc fecit, actio ipsa hodieque non desinat, sicut ipse dixit : *Pater meus adhuc operatur, et ego operor* (Io. V, 17)? Cum et illud debeant intelligere quod scriptum est : *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* (Eccli. XVIII, 1). Si igitur, antequam Scriptura per species singulas in singulis quibusque creaturis ordinem rationemque disponeret, potentialiter, quod negari non potest, et causaliter in opere pertinente ad

1. De elevatione hominis ad ordinem supernaturalem eiusque lapsu cf. p. VI De iustificatione. — 2. Deest verbum ut deflecteret.

creanda omnia simul, a quibus consummatis in die septimo requievit, nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum usque nunc operatur : sanae igitur doctrinae acquiescant, quod ille in hoc animas, *qui vocat ea quae non sunt, tanquam sint* (Rom. IV, 17).

646. III. 6 Itaque, dilectissimi, ego absens corpore, spiritu vero praesens vobiscum (I Co. v, 3), ita redargui volo qui in novam haeresim prorupisse dicuntur, ut a parentibus animas tradi generi humano asserant, quemadmodum ex faece materiali corpus infunditur, ut sciant secundum apostolicam praedicationem se quidem iam mortuos... — IV. 7. Qua putant fortasse pie ac bene se dicere, ut animas merito dicant a parentibus tradi, cum sint peccatis implicitae, hac ab ipsa sapienti debent separatione discerni : quod ab illis nihil aliud potest tradi, quam quod ab ipsorum mala praesumptione commissum est, id est, culpa poenaque peccati, quam per traducem secuta progenies evidenter ostendit, ut pravi homines distortique nascantur. In quo solo utique Deus nullam communionem habere perspicue cernitur, qui ne in hanc necessitatem calamitatis inciderent, genito mortis terrore prohibuit atque praedixit. Itaque per traducem quod a parentibus traditur evidenter apparet, et quid ab initio usque ad finem vel operatus sit Deus vel operetur ostenditur.

647. BRACARENSE *(563)* : 6. Si quis animas humanas dicit prius in caelesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terra deiectas, sicut Priscillianus dixit, A. S.

648. LEONIS IX *fides (1053)* : Animam non esse partem Dei sed ex nihilo creatam et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et praedico.

649. *Error* **Ekardi** (IOANNES XXII, *1329) inter duos addendos* : 1. Aliquid est in anima, quod est increatum et increabile, si tota anima esset talis, esset increata et increabilis, et hoc est intellectus.

B) De animae natura.

650. CP IV, *oec VIII (869-70)* : ι'. (10) Τῆς παλαιᾶς τε καὶ καινῆς διαθήκης μίαν ψυχὴν λογικήν τε καὶ νοερὰν διδασκούσης ἔχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ πάντων τῶν θεηγόρων πατέρων καὶ διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας τὴν αὐτὴν δόξαν καταμπεδούντων, εἰσί τινες οἱ δύο ψυχὰς ἔχειν αὐτὸν δογματίζοντες καί τισιν ἀσυλλογίστοις ἐπιχειρήμασι τὴν ἰδίαν κρατύνουσιν αἵρεσιν· ἡ τοίνυν ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος τοὺς τῆς τοιαύτης ἀσεβείας γεννήτορας καὶ τοὺς

ὁμοφρονοῦντας αὐτοῖς ἀναθεματίζει μεγαλοφώνως· εἰ δέ τις τὰ ἐναντία τοῦ λοιποῦ τολμήσοι λέγειν, ἀνάθεμα ἔστω.

Can. 11. Veteri et Novo Testamento unam animam rationabilem et intellectualem habere hominem docente et omnibus deiloquis Patribus et magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus : in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrationabilibus conatibus per *sapientiam, quae stulta facta est* (I Cor. 1, 20), propriam haeresim confirmare pertentent. Itaque sancta haec et universalis Synodus veluti quoddam pessimum zizanium nunc germinantem nequam opinionem evellere festinans, immo vero *ventilabrum in manu* veritatis portans et igni inexstinguibili transmittere omnem paleam et *aream Christi mundam exhibere* (Lc. III, 17) volens, talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes magna voce anathematizat et definit atque promulgat neminem prorsus habere vel servare quoquo modo statuta huius impietatis auctorum. Si autem quis contraria gerere praesumpserit huic sanctae et magnae Synodo, anathema sit et a fide atque cultura Christianorum alienus.

651. CLEMENS V in VIENNENSI, *oec. XV (1311)* : § 1. Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante Concilio, reprobamus : definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus.

652. LATERANENSE V, *oec. XVIII, et* LEO X, *in bulla* Apostolici regiminis *(15 dec. 1513)* : Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus) zizaniae seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit,

aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes, secundum saltem philosophiam verum id esse asseverent; contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes, cum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma exsistat, sicut in canone felicis recordationis CLEMENTIS Papae V praedecessoris nostri in generali VIENNENSI Concilio edito continetur [n. 651]; verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit... *Quae sequuntur, n. 194 b.*

653. a) *Propositiones rosminianae damnatae a. 1887*. 20. Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere. — 21. Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale. — 22. Non est cogitatu impossibile divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale; maneret nempe in ipso, tanquam basis puri animalis, principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix. — 24. Forma substantialis corporis est potius effectus animae atque interior terminus operationis ipsius : propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima. — Unio animae et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subiectum intuens ideam, affirmat sensibile, postquam in hac eius essentiam intuitum fuerit.

b) Error **Alberti episc. Alberstadensis** (GREGORIUS XI. 1372) : Aspersa labe pravitatis haereticae saepius est prolapsus asserendo inter cetera contra catholicam fidem et sanctorum Patrum definitiones quod omnia in hoc mundo ex necessitate eveniunt et quod fata cuilibet homini vitae ac mortis necessitatem imponunt et quod non est habendum consilium nec deliberandum de aliquo cum omnes actus hominum etiam a libero arbitrio procedentes noscantur ex necessitate caelestis influentiae provenire... Praedicta temere prolata per eum publice revocare, retractare et detestari ac eiurare procuret dicendo et asserendo quod talia credere et assertive dicere haereticum est et a praefata fide catholica alienum.

APPENDIX

DE ONTOLOGISMO

654. ***Errores* ontologistarum**, *damnati, 18 sept. 1861*, a PIO IX : 1. Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit : siquidem est ipsum lumen intellectuale. — 2. Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum. — 3. Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur. — 4. Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocunque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus. — 5. Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur. — 6. Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit. — 7. Creatio sic explicari potest : Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura, hominem v. g., creaturam producit.

655. *Errores ex operibus posthumis* **Rosmini-Serbati**. *(Decr. S. Off., 14 dec. 1887)* : 1. In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, huiusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat. — 2. Cum divinum dicimus in natura, vocabulum istud *divinum* non usurpamus ad significandum effectum non divinum causae divinae; neque mens nobis est loqui de divino quodam, quod tale sit per participationem. — 3. In natura igitur universi, id est in intelligentiis quae in ipso sunt, aliquid est, cui convenit denominatio divini non sensu figurato, sed proprio. — Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinae. — 4. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur. — 5. Esse quod homo intuetur necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni,

causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium : atque hoc est Deus. — 6. In esse quod praescindit a creaturis et a Deo, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminato sed absoluto, eadem est essentia. — 7. Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit non realiter sed secundum rationem a Verbo.

656 8. Entia finita, quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, id est ex termino reali finito et ex esse initiali, quod eidem termino tribuit formam entis. — 9. Esse, obiectum intuitionis, est actus initialis omnium entium. — Esse initiale est initium tam cognoscibilium quam subsistentium : est pariter initium Dei, prout a nobis concipitur, et creaturarum. — 10. Esse virtuale et sine limitibus est prima ac simplicissima omnium entitatum, adeo ut quaelibet alia entitas sit composita, et inter ipsius componentia semper et necessario sit esse virtuale. — Est pars essentialis omnium omnino entitatum, utut cogitatione dividantur. — 11. Quidditas (id quod res est) entis finiti non constituitur eo quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis infiniti constituitur entitate, et est positiva; quidditas vero entis finiti constituitur limitibus entitatis, et est negativa. — 12. Finita realitas non est, sed Deus facit eam esse addendo infinitae realitati limitationem. — Esse initiale fit essentia omnis entis realis. — Esse quod actuat naturas finitas, ipsis coniunctum, est recisum a Deo.

657. 13. Discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo maius; unum enim est absolute ens, alterum est absolute non-ens. At hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens; hinc absolutum et relativum absolute non sunt unica substantia, sed unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, immo habetur unitas esse. — 14. Divina abstractione producitur esse initiale, primum finitorum entium elementum; divina vero imaginatione producitur reale finitum seu realitates omnes, quibus mundus constat. — 15. Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina synthesis, id est unio duorum elementorum : quae sunt *esse initiale*, commune omnium finitorum entium initium, atque *reale finitum*, seu potius diversa realia finita, termini diversi eiusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita. — 16. Esse initiale per divinam synthesim ab intelligentia relatum, non ut intelligibile, sed mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut existant entia finita subiective et realiter.

658. 17. Id unum efficit Deus creando, quod totum actum esse creaturarum integre ponit : hic igitur actus proprie non est factus, sed

positus. — 18. Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum : huiusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem. — 19. Verbum est materia illa invisa ex qua, ut dicitur Sap. XI, 18, creatae fuerunt res omnes universi. — 37. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale, sed subsistens ac vivens : illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam obiectivitatem : at qui videt alterum (quod est Verbum) etiamsi per speculum et in aenigmate, videt Deum.

PARS QUINTA

De Christo.

I

DE INCARNATIONE DEI VERBI

659. *Apostolicum :* Τὸν γεννηθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου. — *Nicaenum (325) :* Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα.

660. *Tomus ad Antiochenos (362) :* 7. Ἀλλὰ καὶ τὸ περὶ τῆς κατὰ σάρκα οἰκονομίας τοῦ Σωτῆρος, ἐπειδὴ καὶ περὶ τούτου ἐδόκουν φιλονεικεῖν τινες πρὸς ἀλλήλους, ἀνεκρίναμεν καὶ τούτους κἀκείνους καὶ ἅπερ ὡμολόγουν οὗτοι συνετίθεντο κἀκεῖνοι ὅτι οὐχ ὡς εἰς τοὺς προφήτας ἐγένετο ὁ Λόγος Κυρίου, οὕτω καὶ εἰς ἅγιον ἄνθρωπον ἐπεδήμησεν ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο (Io. I, 14)· καὶ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων ἔλαβε δούλου μορφήν (Phil. II, 6-7), ἔκ τε τῆς Μαρίας τὸ κατὰ σάρκα γεγέννηται ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς καὶ οὕτω τελείως καὶ ὁλοκλήρως τὸ ἀνθρώπινον γένος

---

659. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus est ex Maria virgine. — Qui propter nos homines et propter nostram salutem; descendit (de caelis) et incarnatus est et homo factus est.

660. Sed cum etiam de Salvatoris incarnatione nonnulli inter se litigare viderentur, utrosque interrogavimus, tum quod alii confitebantur, in hoc alii quoque consentiebant, nempe non sicut in prophetas *factum est verbum Domini*, eorum modo in sanctum hominem in consummatione seculorum advenisse, sed ipsum Verbum carnem factum esse et cum in forma Dei esset, formam servi accepisse atque ex Maria secundum carnem propter nos hominem esse factum et sic humanum genus in ipso integre ac perfecte a peccato liberatum in regnum caelorum introduci. Hoc item profitebantur non corpus mani-

ἐλευθερούμενον ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐν αὐτῷ καὶ ζωοποιούμενον ἐκ τῶν νεκρῶν, εἰσάγεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν[1]. Ὡμολόγουν γὰρ καὶ τοῦτο ὅτι οὐ σῶμα ἄψυχον οὐδ' ἀναίσθητον οὐδ' ἀνόητον εἶχεν ὁ Σωτήρ. Οὐδὲ γὰρ οἷόν τε ἦν, τοῦ Κυρίου δι' ἡμᾶς ἀνθρώπου γενομένου ἀνόητον εἶναι τὸ σῶμα αὐτοῦ, οὐδὲ σώματος μόνου ἀλλὰ καὶ ψυχῆς ἐν αὐτῷ τῷ Λόγῳ σωτηρία γέγονεν· Υἱός τε ὢν ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ γέγονε καὶ υἱὸς ἀνθρώπου· καὶ μονογενὴς ὢν υἱὸς τοῦ Θεοῦ γέγονεν ὁ αὐτὸς καὶ πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Διὸ οὐδὲ ἕτερος μὲν ἦν ὁ πρὸ τοῦ Ἀβραὰμ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἕτερος δὲ ὁ μετὰ Ἀβραάμ· οὐδὲ ἕτερος μὲν ἦν ὁ τὸν Λάζαρον ἐγείρας ἕτερος δὲ ὁ πυνθανόμενος περὶ αὐτοῦ· ἀλλ' ὁ αὐτὸς ἦν ἀνθρωπίνως μὲν λέγων· ποῦ Λάζαρος κεῖται (Io. XI, 34), θεϊκῶς δὲ τοῦτον ἀνεγείρων· ὁ αὐτὸς δὲ ἦν σωματικῶς μὲν ὡς ἄνθρωπος πτύων, θεϊκῶς δὲ ὡς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἀνοίγων τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ἐκ γενετῆς τυφλοῦ· καὶ σαρκὶ μὲν πάσχων, ὥς εἶπεν ὁ Πέτρος (I Petr. IV, 1), θεϊκῶς δὲ ἀνοίγων τὰ μνήματα καὶ ἀνεγείρων τοὺς νεκρούς. Ἐξ ὧν καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὕτω νοοῦντες τὸ αὐτὸ φρονεῖν περὶ τῆς σαρκώσεως καὶ ἐνανθρωπήσεως τοῦ Λόγου διεβεβαιώσαντο.

661. *Fides* Epiphanii *(375)* : Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου διὰ Πνεύματος ἁγίου, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα, ψυχὴν καὶ σῶμα καὶ νοῦν καὶ πάντα, εἴ

---

matum aut sensus expers, aut mente carens Salvatorem habuisse. Neque enim, aiebant, possibile erat, Domino pro nobis homine facto, corpus eius sine mente exsistere, non enim corporis dumtaxat sed etiam animae in ipso Verbo salus facta est, et cum vere Filius Dei esset, factus est et filius hominis, cumque unigenitus esset Filius Dei, factus et ipse primogenitus in multis fratribus. Quamobrem non alius erat ante Abraham Filius Dei, alius post Abraham neque alius erat qui Lazarum suscitavit, alius vero qui de illo interrogavit sed idem ipse erat qui humano quidem dicebat : *ubi positus est Lazarus?* et qui divinitus illum excitavit; idem ipse erat qui corporaliter quidem ut homo spuebat, divinitus vero ut Dei Filius aperiebat oculos caeci nati; et carne quidem patiebatur, ut ait Petrus, divinitus autem monumenta aperiebat mortuosque suscitabat. Atque omnia quae in Evangelio habentur eadem prorsus ratione intelligentes affirmarunt se idipsum sentire de incarnatione et de assumpta a Verbo humana natura.

661. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, hoc est, ex Maria semper virgine per Spiritum Sanctum perfecte genitus, homo factus est, id est, perfectum assumpsit hominem, animam et corpus et mentem et omne quidquid homo est, excepto peccato; non a viri

1 Eadem sententia fere ad verbum habetur in declaratione Ecclesiae Ancyranae (ante maium 373). PG 18 1305-06; Hahn, § 193, p. 264, sic concludit : καὶ οὕτως τὸ ἀνθρώπινον γένος ἐν αὐτῷ τελειώσας καὶ συνάψας τῇ θεότητι, εἰσάγει εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

τί ἐστιν ἄνθρωπος, χωρὶς ἁμαρτίας, οὐκ ἀπὸ σπέρματος ἀνδρὸς οὐδὲ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ' εἰς ἑαυτὸν σάρκα ἀναπλάσαντα εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα· οὐ καθάπερ ἐν προφήταις ἐνέπνευσέ τε καὶ ἐλάλησε καὶ ἐνήργησεν, ἀλλὰ τελείως ἐνανθρωπήσαντα· ὁ γὰρ Λόγος σὰρξ ἐγένετο (Io. I, 14), οὐ τροπὴν ὑποστάς, οὐδὲ μεταβαλὼν τὴν ἑαυτοῦ θεότητα εἰς ἀνθρωπότητα, εἰς μίαν συνενώσαντα ἑαυτοῦ ἁγίαν τελειότητά τε καὶ θεότητα· εἷς γάρ ἐστι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ οὐ δύο, ὁ αὐτὸς θεός, ὁ αὐτὸς κύριος, ὁ αὐτὸς βασιλεύς.

662. *Symb.* CPtanum *(IV s.)*. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα.

663. CPtanum, *a. 382* : Καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως δὲ τοῦ Κυρίου λόγον ἀδιάστροφον σῴζομεν οὔτε ἄψυχον οὔτε ἄνουν ἢ ἀτελῆ τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν παραδεχόμενοι, ὅλον δὲ εἰδότες, τέλειον μὲν πρὸ αἰώνων ὄντα Θεὸν Λόγον τέλειον δὲ ἄνθρωπον ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν γενόμενον.

664. Damasi *in ep.* Per filium meum *ad Paulinum Antiochenum (c. 375)*. Quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea haeresis eradicanda est quae postea in Oriente dicitur pullulasse, id est, confitendus ipse Sapientia Sermo Filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est integrum Adam et, ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanum corpus suscepisse non statim ei et humanas vitiorum adiungimus passiones, ita et dicentes eum suscepisse et hominis animam et sensum, non statim dicimus et cogitationum eum humanarum subiacuisse peccato. Si quis autem dixerit Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum, hunc catholica Ecclesia anathematizat

---

semine, nec ita ut in homine dumtaxat inesset, sed in seipsum effectam illam carnem transtulit, et in unam ac sanctam singularitatem coniunxit, non ad eum modum quo prophetis adspiravit et in illis locutus est, effecitque quidpiam, sed homo perfectus esse voluit : *Verbum* quippe *caro factum est*, neque aut mutationem ullam est expertum, aut divinitatem suam in naturam convertit hominis, sed in unam sanctam perfectionem divinitatemque copulavit; unus est enim Dominus Iesus Christus, non duo; idem Deus, idem Dominus, idemque rex.

662. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.

663. Incarnationis quoque Domini doctrinam incorruptam servamus neque animae neque mentis expertem aut imperfectam carnis dispensationem admittentes sed totam scientes, ante saecula quidem perfectum Dei Verbum, in novissimis autem diebus perfectum hominem, propter nostram salutem, factum esse

necnon et eos qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante Incarnationem et alium post assumptionem carnis ex Virgine et non eundem Dei Filium et ante et postea confitentur.

665. *Idem in ep.* Ea gratia, *a. incerto (ante 381)* : Eundem redemptionis nostrae gratia processisse de Virgine ut perfectus homo pro perfecto qui peccaverat homine nasceretur. Ergo fratres, asseramus Dei Filium et perfectum hominem suscepisse.

666. *Idem fg.* Illud sane *(ante 381)* : Illud sane miramur quod quidam inter nostros dicantur qui, licet de Trinitate piam intelligentiam habere videantur, de sacramento tamen salutis nostrae, ignorantes virtutes Scripturasque (et) recta non sentiant. Asseruntur enim dicere Dominum ac Salvatorem nostrum ex Maria Virgine imperfectum, id est, sine sensu hominem suscepisse. Heu! quanta erit Arianorum in tali sensu vicinitas! Illi imperfectam divinitatem in Dei Filio dicunt, isti imperfectam humanitatem in hominis filio mentiuntur. Quod si utique imperfectus homo susceptus est, imperfectum Dei munus est, imperfecta nostra salus, quia non est totus homo salvatus. Et ubi erit illud dictum Domini : *Venit filius hominis salvare quod perierat totum* (Mat. xviii, 11), id est, in anima et in corpore, in sensu atque in tota substantia suae naturae? Si ergo totus homo perierat, necesse fuit ut id quod perierat salvaretur. Si autem sine sensu salvatus est, iam contra Evangelii fidem invenitur non totum quod perierat esse salvatum, cum alio loco ipse Salvator dicat : *Irascimini mihi quia totum hominem salvum feci* (Io. vii, 23). Quid quod ipsius principalis delicti et totius perditionis summa in hominis sensu consistit? Primum enim sensus hominis eligendi boni malique, si non perisset, non moreretur : Quomodo ergo praesumeretur in finem salvari minime debuisse quod ante omnes peccasse cognoscitur? Nos autem qui integros ac perfectos salvatos nos scimus secundum catholicae Ecclesiae professionem, perfectum Deum perfectum suscepisse hominem profitemur. Quapropter date operam ut intelligentia sanae doctrinae etiam eorum sensus salventur qui adhuc sensum salvatum esse non credunt.

667 *Idem in ep.* Quod vestra caritas *ad Orientales (ante 381)* : Nam Christus Filius Dei, Dominus noster, generi humano per passionem suam plenissimam salutem reddidit ut totum hominem peccatis implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc si quis aut imperfectam humanitatem aut imperfectam divinitatem habuisse dixerit spiritu diaboli completus se filium gehennae ostendit.

668. *Idem in Confessione fidei (ante a. 384)* · 5. Anathematizamus Photinum, qui Ebionis haeresim instaurans, Dominum Iesum Christum tantum ex Maria confitetur. — 6. Anathematizamus eos, qui duos Filios

asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine. — 7. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationabili et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est rationabilem et intelligibilem, sine peccato animam susceperit atque salvaverit. — 13. Si quis dixerit, quod in carne constitutus Filius Dei, cum esset in terra, in caelis cum Patre non erat, A. S

669. *Libellus* Leporii *(ante 420)* : Confitemur Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, unicum Filium Dei, qui ante saecula natus ex Patre est, novissimo tempore de Spiritu sancto et Maria semper virgine factum hominem, Deum natum; et confitentes utramque substantiam, carnis et Verbi, unum eundemque Deum atque hominem inseparabilem pia fidei credulitate suscepimus, et ex tempore susceptae carnis sic omnia dicimus quae erant Dei transisse in hominem, ut omnia quae erant hominis in Deum venirent, ut hac intelligentia Verbum factum sit caro, non ut conversione aut mutabilitate aliqua coeperit esse, quod non erat, sed ut potentia divinae dispensationis Verbum Patris, nunquam a Patre discedens, homo proprie fieri dignaretur, incarnatusque sit Unigenitus secreto illo mysterio, quod ipse novit (nostrum namque est credere, illius nosse), ac sicut ipse Deus Verbum totum suscipiens quod est hominis homo sit, et assumptus homo totum accipiendo quod est Dei aliud quam Deus esse non possit.

670. Non tamen quia incarnatus dicitur et immixtus, diminutio eius est accipienda substantiae. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri et tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere ut nihil ei crescat augmenti, qui se ipse totum novit infundere ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostrae, secundum experimentorum visibilia documenta facientes coniecturam de aequalibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Huiusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique simul totus et ubique diffusus est per infusionem potentiae suae, misericorditer naturae mixtus est humanae, non humana natura naturae est mixta divinae. Caro igitur proficit in Verbum, non Verbum proficit in carnem, et tamen verissime Verbum caro factum est; sed, ut diximus, solum proprie personaliter, non cum Patre aut Spiritu sancto naturaliter, quia unigenitus Deus, Deus verus, qui cum Patre et Spiritu sancto unus est in natura, alter est in persona [*supra* 559].

671 Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu sancto et Maria semper virgine Deus homo Iesus Christus filius Dei, ac sic in alterutrum unum fit Verbum et caro ut, manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia sine sui praeiudicio, et humanitati divina communicent et divinitati humana participent; nec alter Deus alter homo, sed idem ipse Deus qui et homo et vicissim idem ipse homo qui et Deus, Iesus Christus unus Dei filius et nuncupetur et vere sit. Et ideo agendum nobis semper est et credendum, ut Dominum Iesum Christum Filium Dei, Deum verum, quem cum Patre semper et aequalem Patri ante saecula confitemur, eundem a tempore susceptae carnis factum Deum hominem non negemus, nec quasi per gradus et tempora proficientem in Deum alterius status ante resurrectionem, alterius post resurrectionem, eum fuisse credamus, sed eiusdem semper plenitudinis atque virtutis.

672. Et quia omnes infirmitates nostras, id est naturae nostrae, portavit, et vere secundum carnem suscepit in se affectus nostros, ad probationem veri hominis, currente in eodem nihilominus cursu nostrae mortalitatis, potestate scilicet, non necessitate, *aetate et sapientia*, (Lc. ii, 52), evangelista dicente, profecit, esurivit, sitivit, fatigatus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est, resurrexit; non ideo a divinitatis natura mutatus est. Inconvertibilem enim et incommutabilem et impassibilem naturam divinitatis iam superius professi sumus. Sed quia Verbum Deus in hominem dignanter hominem suscipiendo descendit, et per susceptionem Dei homo ascendit in Deum Verbum, totus Deus Verbum factus est totus homo. Non enim Deus Pater homo factus est nec Spiritus sanctus sed unigenitus Patris; ideoque una persona accipienda est carnis et Verbi, ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus, unum eundemque Dei Filium inseparabilem semper, gemina substantiae etiam gigantem nominatum, in diebus carnis suae et vere semper gessisse omnia, quae sunt hominis, et vere semper possedisse, quae Dei sunt. Quoniam *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II Cor. xiii, 4).

673. Quapropter iam non pertimescimus dicere ex homine natum Deum et secundum hominem Deum passum, Deum mortuum. Sed gloriamur dicere Deum natum eundemque secundum hominem Deum passum. *Non enim erubesco evangelium*, apostolus dicit, *virtus enim Dei est in salutem omni credenti* (Ro. i, 16). Utique Dei virtus est in salute, secundum hominem credere Deum passum, non credentis autem Dei existimatur infirmitas in perditione, Deum secundum carnem non credere crucifixum. Unde iterum idem apostolus: *Nos autem praedicamus Christum, et hunc crucifixum, utique Dei virtutem et Dei sapientiam, quia, quod stultum est Dei sapientius est hominibus et*

quod infirmum est Dei fortius est hominibus (I Co. i, 25). Quid enim tam stultum et tam infirmum videtur hominibus incredulis, quam cum audiunt Deum Dei Filium crucifixum? Sed *placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*, quia in hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum sed proprium, non phantasticum, sed verum, non temporarium, sed aeternum, pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum, et non sibi agonizasse, sed nobis, nec propter se, sed propter nos, quia iacebamus, illum ab excelsis misericorditer ad ima venisse, quia, sicut apostolus dicit, *cum in ea forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (Phil. ii, 6) et reliqua. Quid tam apertum, quam ex hoc testimonio mysterium tantae dispensationis agnoscere? In forma enim Dei quis nisi Deus est? Et quomodo, videamus, fons plenitudinis exinanivit semetipsum? Nonne dum forma Dei formam accepit servi? Dum principaliter dominus ea, quae sunt famuli, dignanter assumit? Dumque pro indulgentia et miseratione nostri gerendo inferiora se videlicet vel agendo Verbum caro factum evacuat in persona, quod possidet in natura, et in vero humanitatis habitu factus oboediens in homine, illud in se per humilitatem et oboedientiam naturae nostrae restituit, quod per inoboedientiam perierat in Adam, et in carne mortuus semper vivit, in Spiritu vivificans cum Patre omnia, iam nunquam de cetero moriturus, eodem a Patre suscitatus in carne. Et fit nobis primogenitus ex mortuis, qui et unigenitus Dei vivi ac vivens ante saecula; propter nos pauper in tempore et indigens in homine nobis accepit, quod abundans semper habet in Patre. *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* (Ro. xi, 33.) Donatur illi propter nos. Largitur autem omnibus, quia largitor omnium Deus, Deum se in donando cognoscit, hominem in accipiendo se novit. Propter nos nomen accepit, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris* (Phil. ii, 10).

Haec fides nostra et haec mutatio dexterae Excelsi in emendatione redemptori. Sic credimus, sic tenemus.

674. EPHESINUM (oec. III) a) *Act. I (22 iun. 431) damnatio Nestorii*: Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· Πρὸς τοῖς ἄλλοις μήτε ὑπακοῦσαι βουληθέντος τοῦ ἀσεβεστάτου Νεστορίου τῇ παρ' ἡμῶν κλήσει μήτε μὴν τοὺς παρ' ἡμῶν

---

674. a) Sancta synodus dixit: Cum praeter cetera impiissimus Nestorius neque nostrae citationi parere neque sanctissimos religiosissimosque episcopos a nobis destinatos admittere voluerit non potuimus ad eorum quae impie docuit

ἀποσταλέντας ἁγιωτάτους καὶ θεοσεβεστάτους ἐπισκόπους δεξαμένου, ἀναγκαίως ἐχωρήσαμεν ἐπὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν δυσσεβηθέντων αὐτῷ, καὶ φωράσαντες αὐτὸν ἔκ τε τῶν ἐπιστολῶν καὶ ἐκ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἀρτίως παρ' αὐτοῦ ῥηθέντων κατὰ τήνδε τὴν μητρόπολιν, καὶ προσμαρτυρηθέντων, δυσσεβῶς φρονοῦντα καὶ κηρύττοντα, ἀναγκαίως κατεπειχθέντες ἀπό τε τῶν κανόνων καὶ ἐκ τῆς ἐπιστολῆς του ἁγιωτάτου πατρὸς ἡμῶν καὶ συλλειτουργοῦ Κελεστίνου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, δακρύσαντες πολλάκις, ἐπὶ τὴν σκυθρωπὴν κατ' αὐτοῦ ἐχωρήσαμεν ἀπόφασιν. Ὁ βλασφημηθεὶς τοίνυν παρ' αὐτοῦ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὥρισε διὰ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου ἀλλότριον εἶναι τὸν αὐτὸν Νεστόριον τοῦ ἐπισκοπικοῦ ἀξιώματος καὶ παντὸς συλλόγου ἱερατικοῦ.

b) ***Act 6 (22 iul. 431), damnatio symboli nestoriani.*** Εἰ φωραθεῖέν τινες εἴτε ἐπίσκοποι εἴτε κληρικοί, φρονοῦντες ἢ διδάσκοντες τὰ ἐν τῇ προσκομισθείσῃ ἐκθέσει παρὰ Χαρισίου πρεσβυτέρου περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τὰ μιαρὰ καὶ διεστραμμένα Νεστορίου δόγματα ἃ καὶ ὑποτέτακται, ὑποκείσθωσαν τῇ ἀποφάσει τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου.

Cf. Fides Orientalium (1743): **Ephesinam primam [suscipio] tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra *Nestorium* damnatae memoriae definitum est, divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem.**

675. ***Symbolum unionis (inter Cyrillum et Orientales) (433):*** Ὁμολογοῦμεν τοιγαροῦν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν Υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, θεὸν τέλειον καὶ ἄνθρωπον τέλειον ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος· πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν θεότητα καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε· διὸ ἕνα Χριστὸν ἕνα Υἱὸν ἕνα Κύριον ὁμολογοῦμεν· κατὰ ταύτην τὴν τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν, ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον, διὰ τὸ τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναόν· τὰς δὲ εὐαγγελικὰς καὶ ἀποστολικὰς περὶ τοῦ Κυρίου φωνὰς ἴσμεν τοὺς θεολόγους ἄνδρας τὰς μὲν κοινοποιοῦντας, ὡς ἐφ' ἑνὸς προσώπου τὰς δὲ διαιροῦντας ὡς ἐπὶ δύο φύσεων· καὶ τὰς μὲν θεοπρεπεῖς κατὰ τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ τὰς δὲ ταπεινὰς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ παραδιδόντας [1].

676. Toletanum I (*Libellus* Pastoris,) *(s. V):* **Hunc igitur Filium Dei, Deum natum a Patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariae Virginis, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse, duabus dumtaxat naturis, id est, deitatis et carnis, in unam convenientibus omnino personam, id est, Dominum nostrum Iesum Christum; nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque verum; hunc et esuriisse et sitiisse et doluisse et flevisse et omnes corporis iniurias pertulisse... Hunc filium hominis etiam Dei Filium Deum omnis creaturae appellari.**

6. Si quis dixerit vel crediderit carnem tantum sine anima a Filio Dei fuisse susceptam a. s. — 7. Si quis dixerit vel crediderit deitatem Christi convertibilem fuisse aut passibilem a. s. — 13. Si quis dixerit vel crediderit deitatis et carnis unam in Christo esse naturam a. s.

S. Leonis I tomus seu ep. 28, ad Flavianum CP, 13 iun. 449:

677. 1. ***Praesumptio et imperitia Eutychen in errorem impulerunt.*** **Lectis dilectionis tuae litteris, quas miramur fuisse tam seras, et**

---

examinationem animum non adiungere. Deprehendentes itaque partim ex litteris commentariisque ipsius partim e sermonibus quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit quique testimoniis comperti sunt, illum impie sentire et praedicare, coacti per sacros canones et epistolas sanctissimi patris nostri et comministri Caelestini romanae ecclesiae episcopi, lacrimis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur Dominus noster Iesus Christus quem suis ille blasphemiis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc synodum eundem Nestorium episcopali dignitate privatum et ab universo sacerdotum consortio et coetu alienum esse definit.

b) Si qui inventi fuerint vel episcopi, vel clerici, vel laici, sive sentire, sive docere ea quae continentur in oblata expositione a Charisio presbytero de unigeniti Filii Dei incarnatione; sive scelerata et perversa Nestorii dogmata, quae et subnexa sunt, subiaceant sententiae sanctae huius et universalis Synodi.

675. Confitemur itaque Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, Deum esse perfectum et hominem perfectum, ex anima rationali et corpore constitutum; ante saecula quidem ex Patre natum secundum divinitatem, postremis vero temporibus eundem ipsum propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine secundum humanitatem, eundem Patri consubstantialem secundum divinitatem, nobis item consubstantialem secundum humanitatem, siquidem duarum naturarum facta est unio et propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Secundum hunc inconfusae unitatis intellectum sanctam Virginem Deiparam esse confitemur, propterea quod Deus Verbum incarnatum sit et homo factum et ex ipso conceptu templum ex illa sumptum sibi univerit. Evangelicas autem et apostolicas de Domino voces scimus theologos alias quidem tanquam ad unam personam pertinentes communes facere alias vero tamquam in duabus naturis divisum usurpare et illas quidem Deo dignas secundum Christi divinitatem, alias vero humiles secundum illius humilitatem tradere.

1. Cf. Sixti III ep. laudativam ad Ioannem Antiochenum (*supra* n. 345).

gestorum episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus : et quae prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt : quibus Eutyches, qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens, et nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit a Propheta : *Noluit intelligere, ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo* (Ps. xxxv, 4). Quid autem iniquius, quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt; et ideo magistri erroris exsistunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris Novi et Veteris Testamenti paginis acquisivit, qui ne ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regenerandum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

678. 2. *Refutatur ex symbolo* : Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiae lumen, in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem solicito recepisset auditu, qua fidelium universitas profitetur : *Credere se in Deum Patrem omnipotentem — et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum — qui natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine.* Quibus tribus sententiis omnium fere haereticorum machinae destruuntur. Cum enim Deus et omnipotens et Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de aeterno natus est coaeternus; non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. Idem vero sempiterni Genitoris unigenitus sempiternus natus est de Spiritu sancto et Maria virgine. Quae nativitas temporalis illi nativitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit : ut et mortem vinceret, et diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere, conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris virginis, quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

679. *Ex Scriptura* : Sed si de hoc christianae fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obcaecatione sibi propria tenebrarat, doctrinae se evangelicae subdidisset. Et dicente Matthaeo, *Liber generationis Iesu Christi, filii*

David, filii Abraham (Mt. I, 1), apostolicae praedicationis expetisset instructum. Et legens in epistola ad Romanos, *Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (Ro. I, 1), ad propheticas paginas piam sollicitudinem contulisset. Et inveniens promissionem Dei ad Abraham dicentis : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen. XII, 3), ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem, *Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit* et seminibus, *quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus* (Gal. III, 16). Isaiae quoque praedicationem interiore apprehendisset auditu dicentis : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel,* quod est interpretatum *nobiscum Deus* (Is. VII, 4). Eiusdemque Prophetae fideliter verba legisset. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius potestas super humerum eius, et vocabunt nomen eius : magni consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fort Princeps pacis, Pater futuri saeculi* (Is. IX, 6). Nec frustratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero virginis Christus haberet formam hominis, et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum nostrum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad Beatam Mariam semper virginem Angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (Lc. I, 35)? ut, quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; et aedificante sibi sapientia domum (Prov. IX, 1), *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Io. I, 14) hoc est, in ea carne, quam assumpsit ex homine, et quam spiritu vitae rationalis animavit.

680. 3. *Mysterium Incarnationis : utraque natura salva remanet in unitate personae* : Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae, et in unam coeunte personam, suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas : et ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis naturae est unita passibili : ut, quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quae in nobis ab initio Creator condidit, et quae repa-

randa suscepit. Nam illa, quae deceptor intulit, et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanorum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens; quia exinanitio illa, qua se invisibilis visibilem praebuit, et Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens *in forma Dei* fecit hominem, idem *in forma servi* factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura: et sicut *formam servi Dei forma* non adimit, ita *formam Dei servi forma* non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de praevaricatoris consortio invenisse solatium, Deum quoque, iustitiae exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam; opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suae dispositionem sacramento occultiore compleret; et homo, diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

681. — 4. *Utriusque Christi nativitatis et naturae proprietates expenduntur:* Ingreditur ergo haec mundi infima Filius Dei, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse coepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata maiestatis suae immensitate, suscepit, impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est, quod saepe dicendum est, vere Dei Filius et vere hominis filius, Deus per id, quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Io. I, 1) — homo per id, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Io. I, 14); Deus per id, quod *omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil* (Io. I, 3) — homo per id, quod *factus est ex muliere, factus sub lege* (Gal. IV, 4). Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae. Partus virginis divinae est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cum ad praecursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret, quod carnis velamine Divinitas tegeretur, vox Patris, de caelo intonans, dixit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Mt. III, 17). Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere atque dormire, evidenter humanum est. Sed quinque panibus quinque milia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam, cuius haustus tribuenti praestet ne ultra iam sitiat, supra dorsum maris plantis non desidentibus ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa praeteream, non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eundem, remoto quatriduanae aggere sepulturae, ad vocis imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire; ita non eiusdem naturae est, dicere: *Ego et Pater unum sumus* (Io. X, 30), et dicere: *Pater maior me est* (Io. XIV, 28). Quamvis enim in Domino Iesu Christo, Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est aequalis cum Patre divinitas.

682. 5. *Veritas carnis in Christo probatur ex Novo Testamento:* Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de caelo, cum filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in Divinitate ipsa, qua Unigenitus coaeternus et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum Filium Dei *crucifixum et sepultum* omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli: *Si enim cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent* (I Cor. II, 8). Cum autem ipse Dominus noster atque Salvator fidem discipulorum suis interrogationibus erudiret: *Quem me*, inquit, *dicunt homines esse filium hominis?* Cumque illi diversas aliorum opiniones

retexuissent, *vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* Me utique, qui sum filius hominis, et quem in forma servi atque in veritate carnis inspicitis, quem me esse dicitis? Ubi B. Petrus, divinitus inspiratus, et confessione sua omnibus gentibus profuturus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (Mt. XVI, 16). Nec immerito beatus est pronuntiatus a Domino, et a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis, qui per revelationem Patris eundem et Dei Filium est confessus et Christum : quia unum horum sine alio receptum non proderat ad salutem, et aequalis erat periculi Dominum Iesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem vero Domini (quae utique veri corporis fuit, quia non alter est resuscitatus quam qui fuerat crucifixus et mortuus), quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quam ut fidei nostrae integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, et cohabitans atque convescens, et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis, quos dubietas perstringebat, admittens, ideo et clausis ad discipulos ianuis introibat, et flatu suo dabat Spiritum sanctum, et donato intelligentiae lumine, sanctarum Scripturarum occulta pandebat, et rursus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, et omnia recentissimae passionis signa monstrabat, dicens : *Videte manus meas et pedes, quia ego sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Lc. XXIV, 39) ; ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere; et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem.

Quo fidei sacramento Eutyches iste nimium aestimandus est vacuus, qui naturam nostram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit. Nec sententiam beati Apostoli et Evangelistae Ioannis expavit dicentis : *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est ; et omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I Io. IV, 1). Quid autem est solvere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam, et sacramentum, per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis? Caligans vero circa naturam corporis Christi, necesse est ut etiam in passione eius eadem obcaecatione desipiat. Nam si crucem Domini non putat falsam, et susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat, cuius credit mortem, agnoscat et carnem : nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem : quoniam negatio verae carnis negatio est etiam corporeae passionis. Si ergo christianam suscipit fidem, et a praedicatione Evangelii suum non avertit auditum, videat quae natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno, et aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat unde sanguis et aqua fluxerit, ut Ecclesia Dei

et lavacro rigaretur et poculo. Audiat et beatum Petrum Apostolum praedicantem quod sanctificatio Spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi. Nec transitorie legat eiusdem Apostoli verba dicentis *Scientes quod non corruptibilibus, argento et auro, redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati et immaculati, Iesu Christi* (I Pet. I, 18). Beati quoque Ioannis Apostoli testimonio non resistat, dicentis : *Et sanguis Iesu, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato* (I Io. I, 7). Et iterum, *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (I Io. V, 4). Et : *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est veritas. Quia tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, et sanguis, et tres unum sunt* (I Io. V, 5-7). Spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemptionis, et aqua baptismatis : quae tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sui conexione seiungitur : quia catholica Ecclesia hac fide vivit, hac proficit, ut in Christo Iesu nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas.

683. 6. *Quid de Eutyche agendum :* Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit, dicens : *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero, unam naturam confiteor*, miror tam absurdam, tamque perversam ejus professionem, nulla iudicantium increpatione reprehensam, et sermonem, nimis insipientem nimisque blasphemum, ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum; cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam *Verbum caro factum est*, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutyches ideo vel recte vel tolerabiliter aestimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, sollicitudinis tuae diligentiam commonemus, frater carissime, ut si per inspirationem misericordiae Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui peste purgetur. Qui quidem, sicut gestorum ordo patefecit, bene coeperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctatus, profiteretur se dicere, quod ante non dixerat et ei fidei acquiescere, cuius prius fuisset alienus. Sed cum anathematizando impio dogmati noluisset praebere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumque esse, qui iudicium condemnationis exciperet. De quo, si fideliter atque utiliter dolet, et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quae ab eo male sunt sensa, viva voce et praesenti subscriptione damnaverit, non erit

reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio : quia Dominus noster, verus et bonus pastor, qui *animam suam posuit pro ovibus suis* (Io. x, 2), et qui venit animas hominum salvare, non perdere (Lc. ix, 56), imitatores nos suae vult esse pietatis ; ut peccantes quidem iustitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur[1].

684. *Idem* Leo I *ep. 80 (13 april. 451).* — Aliter enim in Ecclesia Dei, quae corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia nec vera sacrificia, nisi in nostrae proprietate naturae verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in Patris sit dextera constitutus in eadem tamen carne quam sumpsit ex Virgine sacramentum propitiationis exsequitur, dicente apostolo : *Christus Iesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (Ro. viii, 34.)

685. *Idem ep. 102 (27 ian. 452) : 3.* Nam sicut Nestorius non est toleratus affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, qui postmodum sit a Verbi deitate susceptus, duabus scilicet personis distinctis atque divisis, ut non esset filius hominis qui Filius Dei, neque unus Christus in utraque natura sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre, cum evangelica auctoritas ita *Verbum carnem* praedicet *factum* ut non duos Christos nec duos filios sed in uno Domino Iesu Christo et Dei et hominis nobis insinuet veritatem, ut utriusque substantiae, id est salvantis atque salvatae nec proprietas possit confundi nec persona geminari. Sicut ergo Nestorius in suo dogmate exsecrabilis fuit, sic et Eutyches damnatum olim sectatus errorem alia profanitate blasphemans a catholicae soliditatis compage resectus est quia indoctis quibusdam nimiumque simplicibus persuadere tentavit quod Verbum Dei ita caro sit factum ut verum carnem de matre non sumpserit, nec nostri illum generis corpus habuisse sed divinitatis eius et carnis unam esse naturam aut unum D. N. I. C. et falsum hominem et Deum diceret esse passibilem. Quod nec pietas fidei nec

1. De hac epistola Leo ipse saepe loquitur in ceteris epistolis, eius auctoritatem illustrans. Cf. praesertim *59. ad Aetiam* : Nihil ab apostolicis unquam potero sentire diversum nec a mea ipse deviare sententia ut quod Sancto Spiritu revelante confessus sum quodque mecum totius synodi professione praedicante patefeci aliqua varietate commutem, cum facilius mihi sit quibuslibet et suppliciis ab hoc mundo auferri quam ab ea quam generaliter credidi professione mutari (Laudatur in epist. Pelagii II n. 6, PL 72, 721 C. Cf 54, 1130 D; cf etiam ep. 88.3; 93.2; 100.2 (Gallorum episcoporum ep.); 120.4; 129.1; 189.4).

ratio recipit sacramenti, ut aut in sua natura passibilis fuerit deitas aut in susceptione humana mentita sit Veritas[1].

686 *Idem, ep. 109 (25 nov. 452) : 3.* Ne autem ad confirmandos piorum animos vel ad haereticos confutandos necessaria aut deesset aut lateret instructio, misi epistolam sanctae memoriae Athanasii episcopi ad Epictetum episcopum datam, cuius testimoniis sanctae memoriae Cyrillus usus est in Ephesina synodo contra Nestorium quia incarnationem Verbi tam lucide et diligenter adstruxit ut Nestorium et Eutychen in illius iam temporis haereticis debellarit. Audeant hunc tantae auctoritatis virum Eutychis et Dioscori sectatores aut imperitiae aut pravitatis arguere qui praedicationem nostram a doctrina atque intelligentia Patrum iactitant deviare. Prodesse autem debet confirmandis sensibus omnium Domini sacerdotum quos haeretici olim in auctoribus suis praecisi atque damnati apertius iam coeperunt dogma suae impietatis adstruere, ne latente intra silentium sensu dubitabile videretur an vere in ipsis et triplex Apollinaris error et insana Manichaeorum opinio pullularet.

687. *De hoc triplici Apollinaris errore, sic idem Leo I, in ep. 59, 5 (mart. 450) :* Unde non Deum tantum dicimus Christum sicut haeretici Manichaei, nec hominem tantum sicut haeretici Photiniani, nec ita hominem ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem quae non de femina sumpta sit, sed facta de Verbo in carnem converso atque mutato quae tria falsa et vana Apollinaristarum haereticorum tres partes variis protulerunt ; nec dicimus quod beata Virgo Maria hominem sine deitate conceperit qui creatus a Spiritu Sancto postea sit susceptus a Verbo, quod Nestorium praedicantem merito iusteque damnavimus sed dicimus Christum Dei Filium, Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis eundemque hominem verum natum de matre homine, certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem, qua maior est Pater, minuere aliquid eius naturae, qua aequalis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus.

CHALCEDONENSE, oec. IV (451), act. 5 et 6, definitio fidei :

688. Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ κατὰ Θεοῦ χάριν καὶ θέσπισμα τῶν εὐσεβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων, Μαρκιανοῦ καὶ Οὐαλεντινιανοῦ Αὐγούστων, συναχθεῖσα ἐν τῇ Καλχηδονέων μητροπόλει τῆς

688. Sufficeret quidem ad plenam cognitionem et confirmationem pietatis hoc sapiens et salutare divinae gratiae symbolum : de Patre enim et Filio et Spiritu Sancto perfectionem docet ac Domini nostri inhumanationem fideliter acci-

1. Cf. etiam ep. 30, 1 ; 31 ; 35. 1 ; 75. 2 ; 85 ; 109. 1 ; 124. 1. etc.

Βιθυνῶν ἐπαρχίας, ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας, ὥρισε τὰ ὑποτεταγμένα.

Profitetur iterum fidem Nicaenam et symbolum CPlanum, quod tribuit CL Patribus concilii a. 381, tum pergit] : Ἤρκει μὲν οὖν εἰς ἐντελῆ τῆς εὐσεβείας ἐπίγνωσίν τε καὶ βεβαίωσιν τὸ σοφὸν καὶ σωτήριον τοῦτο τῆς θείας χάριτος σύμβολον· περί τε γὰρ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος ἐκδιδάσκει τὸ τέλειον, καὶ τοῦ Κυρίου τὴν ἐνανθρώπησιν τοῖς πιστῶς δεχομένοις παρίστησιν. Ἀλλ' ἐπειδήπερ οἱ τῆς ἀληθείας ἀθετεῖν ἐπιχειροῦντες τὸ κήρυγμα διὰ τῶν οἰκείων αἱρέσεων τὰς κενοφωνίας ἀπέτεκον, οἱ μὲν τὸ τῆς δι' ἡμᾶς τοῦ Κυρίου οἰκονομίας μυστήριον παραφθείρειν τολμῶντες, καὶ τὴν Θεοτόκον ἐπὶ τῆς Παρθένου φωνὴν ἀπαρνούμενοι, οἱ δὲ σύγχυσιν καὶ κρᾶσιν εἰσάγοντες, καὶ μίαν εἶναι φύσιν τῆς σαρκὸς καὶ τῆς θεότητος ἀνοήτως ἀναπλάττοντες, καὶ παθητὴν τοῦ Μονογενοῦς τὴν θείαν φύσιν τῇ συγχύσει τερατευόμενοι, διὰ τοῦτο πᾶσαν αὐτοῖς ἀποκλεῖσαι κατὰ τῆς ἀληθείας μηχανὴν βουλομένη ἡ παροῦσα νῦν αὕτη ἁγία μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, τὸ τοῦ κηρύγματος ἄνωθεν ἀσάλευτον ἐκδιδάσκουσα, ὥρισε προηγουμένως, τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ ἁγίων Πατέρων τὴν πίστιν μένειν ἀπαρεγχείρητον, καὶ διὰ μὲν τοὺς τῷ Πνεύματι τῷ Ἁγίῳ μαχομένους, τὴν χρόνοις ὕστερον παρὰ τῶν ἐπὶ τῆς βασιλευούσης πόλεως συνελθόντων ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων Πατέρων περὶ τῆς τοῦ Πνεύματος οὐσίας παραδοθεῖσαν διδασκαλίαν κυροῖ, ἣν ἐκεῖνοι τοῖς πᾶσιν ἐγνώρισαν, οὐχ ὥς τι λεῖπον τοῖς προλαβοῦσιν ἐπεισάγοντες, ἀλλὰ τὴν περὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος αὐτῶν ἔννοιαν κατὰ τῶν τὴν αὐτοῦ δεσποτείαν ἀθετεῖν πειρωμένων γραφικαῖς μαρτυρίαις τρανώσαντες.

689. Διὰ δὲ τοὺς τὸ τῆς οἰκονομίας παραφθείρειν ἐπιχειροῦντας μυστήριον, καὶ ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸν ἐκ τῆς ἁγίας τεχθέντα Μαρίας ἀναιδῶς ληρῳδοῦντας, τὰς τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, τοῦ τῆς Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας γενομένου ποιμένος, συνοδικὰς ἐπιστολὰς πρὸς Νεστόριον καὶ πρὸς τοὺς τῆς ἀνατολῆς ἁρμοδίους οὔσας ἐδέξατο, εἰς ἔλεγχον μὲν τῆς Νεστορίου φρενοβλαβείας, ἑρμηνείαν δὲ τῶν ἐν εὐσεβεῖ ζήλῳ τοῦ σωτηρίου συμβόλου ποθούντων τὴν ἔννοιαν· αἷς καὶ τὴν ἐπιστολὴν τοῦ τῆς μεγίστης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης προέδρου, τοῦ μακαριωτάτου καὶ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Λέοντος, τὴν γραφεῖσαν πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις ἀρχιεπίσκοπον Φλαυιανὸν ἐπ' ἀναιρέσει τῆς Εὐτυχοῦς κακονοίας, ἅτε δὴ τῇ τοῦ μεγάλου Πέτρου ὁμολογίᾳ συμβαίνουσαν, καὶ κοινήν τινα στήλην ὑπάρχουσαν κατὰ τῶν κακοδοξούντων, εἰκότως συνήρμοσε πρὸς τὴν τῶν ὀρθοδόξων δογμάτων βεβαίωσιν. Τοῖς τε γὰρ εἰς υἱῶν δυάδα τὸ τῆς οἰκονομίας διασπᾶν ἐπιχειροῦσι μυστήριον παρατάττεται, καὶ τοὺς παθητὴν τοῦ Μονογενοῦς λέγειν τολμῶντας τὴν θεότητα τοῦ τῶν ἱερῶν ἀπωθεῖται συλλόγου, καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν δύο φύσεων τοῦ Χριστοῦ κρᾶσιν ἢ σύγχυσιν ἐπινοοῦσιν ἀνθίσταται, καὶ τοὺς οὐράνιον ἢ ἑτέρας τινὸς ὑπάρχειν οὐσίας τὴν ἐξ ἡμῶν ληφθεῖσαν αὐτῷ τοῦ δούλου μορφὴν παραπαίοντας ἐξελαύνει, καὶ τοὺς δύο μὲν πρὸ τῆς ἑνώσεως φύσεις τοῦ Κυρίου μυθεύοντας, μίαν δὲ μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀναπλάττοντας ἀναθεματίζει.

690. Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις Πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν Υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς, τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν ἡμῖν

---

pientibus repraesentat. Sed quoniam hi qui veritatis reprobare praedicationem conantur, per proprias haereses novas voces genuerunt : alii quidem mysterium dispensationis Domini quae propter nos facta est corrumpere praesumentes et vocem *theotocos* de virgine dici denegantes, alii autem confusionem et mixtionem introducentes et unam naturam esse carnis et divinitatis stulte confingentes et passibilem unigeniti divinam naturam per confusionem prodigiose dicentes : Propter hoc illis omnem machinationem contra veritatem volens claudere praesens nunc sancta et magna et universalis synodus, praedicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia fidem integram et intemeratam permanere CCCXVIII sanctorum Patrum et confirmat doctrinam quae de substantia Spiritus Sancti a Patribus CL postea congregatis in regia civitate tradita est propter illos qui Spiritui Sancto repugnabant, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus, adicientes sed suum de Sancto Spiritu intellectum, contra illos qui dominationem eius respuere tentaverunt scripturarum testimoniis declarantes.

689. Propter illos autem qui dispensationis mysterium corrumpere conantur et purum hominem esse genitum ex sancta Virgine Maria impudenter delirant, epistolas synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinae ecclesiae praesulis ad Nestorium et ad orientales congruenter habentes suscepit ad convincendas Nestorii vesanias et ad interpretationem eorum qui salutaris symboli pio zelo nosse desiderant intellectum : quibus etiam et epistolam magnae et senioris urbis Romae praesulis beatissimi et sanctissimi archiepiscopi Leonis quae scripta est ad sanctae memoriae archiepiscopum Flavianum ad perimendam Eutychis malam intelligentiam utpote et magni illius Petri confessioni congruentem et communem quandam columnam existentem adversus perverse sentientes ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit. His namque qui in duos filios dispensationis divinae mysterium discerpere nituntur repugnat et illos qui passibilem deitatem Unigeniti ausi sunt dicere, a sacro coetu expellit et his qui in duabus Christi naturis temperamentum aut confusionem opinantur resistit : et qui caelestem aut alterius alicuius esse substantiae quam ex nobis assumpsit servi formam delirantes dicunt, abigit : et qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, condemnat.

690. Sequentes igitur sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri

κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας· πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν, δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἐκ Μαρίας τῆς Παρθένου τῆς θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν, Υἱὸν, Κύριον, μονογενῆ, ἐν[1] δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐχ ὡς εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν καὶ μονογενῆ, Θεὸν Λόγον, Κύριον, Ἰησοῦν Χριστόν, καθάπερ ἄνωθεν οἱ Προφῆται περὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν Πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον. Τούτων τοίνυν μετὰ πάσης πανταχόθεν ἀκριβείας τε καὶ ἐμμελείας παρ' ἡμῶν διατυπωθέντων, ὥρισεν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι, ἢ φρονεῖν, ἢ διδάσκειν ἑτέρους· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ διδάσκειν, ἢ παραδιδόναι ἕτερον σύμβολον τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐξ Ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ, ἤγουν ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν, τούτους, εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι ἢ κληρικοί, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου· εἰ δὲ μονάζοντες ἢ λαϊκοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι αὐτούς. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ ὅρου...

secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis similem absque peccato* (*cf.* Hebr. IV, 15), ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem : unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum : sicut ante Prophetae de eo et ipse nos Iesus Christus Dominus erudivit, et Patrum nobis symbolum tradidit.

His igitur cum omni undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, definivit sancta et universalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere.

Eos autem qui audent componere fidem alteram aut proferre aut docere aut tradere alterum symbolum volentibus ad agnitionem veritatis converti vel ex gentilitate vel ex Iudaismo vel ex haeresi quacumque, hos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clero ; si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari eos.

Post lectionem vero definitionis etc.

1. Male textus vulgatus ἐκ δύο φύσεων.

691 *Fides Orientalium (1743).* **Chalcedonensem** *(suscipio)* quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra *Eutychen* et *Dioscorum*, ambos damnatae memoriae, definitum est, unum eundemque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate, et perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato ; ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem ; unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae in unam personam atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum : item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem, eundem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et epistola S. Leonis Romani Pontificis (*cf.* n. 677 sq), cuius ore beatum Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab angelis tradito et in praefata *Chalcedonensi* Synodo decantato : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*, addebant : *qui crucifixus es pro nobis* atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem.

692. Gelasius I *(492-96) in Tractatu de duabus naturis* : 2. Nam cum pari blasphemia utraque pestis (Nestorii et Eutychis) insaniat, in conceptu scilicet Virginis sacrae atque ipso primordiali vel initiali Domini Salvatoris exortu qui in visceribus intactae matris, cessante terreni patris officio divina sumpsit operatione principium, materiam conditionis humanae de substantia genitricis instituens et unitionem divinae potentiae dignatione suae maiestatis impertiens, ut utriusque naturae ineffabiliter unitio ab ipso suae conceptionis exortu mirabiliter ac potenter exsisteret, nec in sanctae Mariae prorsus internis istius sacramenti quicquam vel praecesserit vel post secutum fuerit institutum, sed huius magis simul effectum mysterii conceptus ipse praevenerit nec illic aliqua praeveniente substantia perfectio unitionis accesserit, sed ab unitione perfecta potius utriusque substantiae fuerit incohatum. Sicut angelus dicenti venerandae Virgini cum de gloriosa sobole futura cognosceret : *Quomodo fiet istud quia virum non cognosco?* respondit : *Spiritus*

Sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi, propterea quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei (Lc. I 34-35). Et *ex te nascetur*, ait, ut proprietatem de matre sumendam nostrae conditionis exprimeret; et *sanctum*, quoniam sine contagione carnalis concupiscentiae gigneretur; et *vocabitur Filius Dei* ut simul humanae divinaeque naturae hac conceptione sicut dictum est, mirabiliter unitendum proderet sacramentum, secundum quod scriptum: *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Io. I, 14). Malens Spiritus Dei dicere *Verbum carnem factum* cum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum, dummodo principalis unitionis naturaliter in eodem divinitatis humanitatisque significaret pressius veritatem, cum scilicet appareret ipsum Verbum, in utero matris Virginis operans ex eadem susceptae sibimet tuendae substantiae fecunditatis illius excitasse conceptum.

693. 3 Cum, inquam, haec de Domini nostri conceptione, quae licet nullatenus valeat explicari, pie tamen hac confessione credenda sit, *Eutychiani* dicunt unam esse naturam i. e. divinam, ac *Nestorius* nihilominus memorat singularem i. e. humanam: si contra Eutychianos duae a nobis asserendae sunt, quia unam depromunt, consequens est, ut etiam contra Nestorium unam dicentem non unam, sed duas potius ab exordio sui unitas exstitisse procul dubio praedicemus: contra *Eutychen*, qui unam i. e. solam divinam conatur asserere, humanam competenter addentes, ut duas, ex quibus illud sacramentum singulare constat, illic permanere monstremus; contra *Nestorium* vero, qui similiter unam dicit i. e. humanam, divinam nihilominus subrogantes: ut pari modo duas contra eius *unam* in huius mysterii plenitudine primordialibus suae unitionis effectibus exstitisse veraci finitione teneamus, atque utrosque diverso modo *singulas* garrientes, non eorum quemquam de una tantummodo, sed ambos de duarum naturarum, humanae scilicet et divinae, a sui principio sine confusione qualibet atque defectu unita proprietate permanente vincamus.

694. 8. Quis audeat non minus sacrilega mente quam imperitis blasphemus mortiferaque dementia unam dicere post adunationem factam fuisse naturam? Cum totius Scripturae salutaris eruditionibus instruamur et duas unitas fuisse conceptu et sub una eademque persona D. N. I. C. totius Dei hominis et totius hominis Dei duas in suis proprietatibus incontaminata generatione prolatas et easdem proprie permanentes in conversatione mundana fuisse manifestas et in omnibus, ut saepe iam dictum, et sine defectu alterius utramque persistere, in utraque unum eundemque Dominum Iesum Christum totum Deum hominem et totum hominem Deum, sine sui confusione, sine ulla divisione, quam conditio possit quaecumque perstringere, sine privatione vel defectione cuiusquam ex iis proprie vel in iis veraciter manere, ex quibus vel in quibus

unus et perfectus et verus est Christus et sine quibus vel sine qualibet ex iis, id est, sine humanitate seu deitate, nec perfectus nec unus nec verus est Christus tempore conceptus.....

695. 9. Adhuc autem etiam illud adiciunt ut sicut ex duobus rebus constat homo, id est ex anima et corpore, quamvis utriusque rei sit diversa natura, sicut dubium non habetur, plenitudinem tamen usus loquendi singulariter pronuntiet, simul utramque complectens, ut humanam dicat naturam non humanas naturas, sic potentiam in Christi mysterio et unitionem divinitatis atque humanitatis unam dici vel debere vel posse naturam, non considerantes quia, cum una natura dicitur humana, quae tamen ex duabus constet, id est, ex anima et corpore, principaliter illa causa est qua nec initialiter anima alibi possit exsistere quam in corpore, nec corpus valeat constare sine anima; et merito quae alterutro sibi sit causa exsistendi pariter unam abusive dici posse naturam quae sibi invicem causam praebeat ut ex alterutro natura subsistat humana, salva proprietate dumtaxat duarum. Licet autem more locutionis humanae etiam a parte saepe totum quodlibet possit intelligi, quemadmodum cum dicimus *tot animae*, corpora pariter iudicamus, vel cum dicimus *omnis caro*, naturas animarum simili designatione complectimur, nec habemus incognitum sic nos unam rem pro duabus dicere ad utrasque significandas, ut tamen et duas esse nullatenus ignoremus et propriis constare substantiis quantavis unitione nectantur. Nam et deitas absque humanitate permanet esse quod deitas est et humanitas etiam sine adsumptione divina in sua qua divinitas instituta est, permanet esse natura atque ita et sine sui adunatione possunt in suis proprietatibus permanere. Ex quo si earum facta processit unitio, propter servandam plenitudinem sacramenti perfectionemque mysterii has easdem necessarium est profiteri sub una eademque persona sic indiscretas atque inseparabiles illa unitione constare ut permaneant esse quod sunt.

696 Nam et in hoc mysterio cum nulla necessitas impugnationis emergit, simpliciter unam rem frequenter pro utraque proferimus ut dicamus *Filius hominis* et *Quid me quaeritis interficere hominem qui veritatem locutus sum vobis* (Io. VIII, 40), (Ti. II, 4, Ro. IX, 5).. Aliud est quando usitato loquendi compendio saepe de qualibet rei parte dicimus et totum quod est sine dubio profitemur, aliud cum prorumpit humanae temeritatis audacia quae sic aliquam partem nuncupare contendit et quod totum est negare moliatur et necesse sit pro veritate certantes illos qui partem suscipiunt partemque contemnunt etiam de toto convincere. Nam quomodo non vident etiam suis verbis admoniti quia, cum dicunt quolibet modo humanam naturam, salva corporis animaeque distantia, unam tamen quolibet modo humanam pronuntient esse natu-

ram? Huic ergo se adunante divina, etiam secundum ipsos, duae sunt utique humana pariter et divina. Una igitur nec potest esse nec dici cum duae sint; unitio est enim duarum, non cuiuslibet alterius abolitio; nam nec dici potest unitio nisi duarum; alioquin dualitate submota, non unitio potest vel dici vel esse sed unio.

697. 10... Nam et cum dicunt *unam fuisse naturam incarnatam* volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenus evadunt significationem duarum. Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam, remotis ambiguitatibus, altera erit quae incarnata est, altera qua incarnata perhibetur. Quoniam non eadem erit natura deitatis quae incarnata est, quae est natura carnis, quia incarnata affirmatur, neque se ipsa natura deitatis incarnata est sed natura carnis incarnata cognoscitur sicut neque se ipsa natura carnis exstitit deitate sublimis, quia et non aliunde divinitas quam de utero Virginis matris incarnata processit, et caro nonnisi in iisdem visceribus Sancto Spiritu superveniente et Altissimi obumbrante virtute est unita deitati.

698. 14... Certe sacramenta quae sumimus, corporis et sanguinis Christi divina res est, propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae (II Pet. VII, 4) et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini. Et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur hic nobis in ipso Christo Domino sentiendum quod in eius imagine profitemur, celebramus et sumimus ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeant, Sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanentes tamen in suae proprietate naturae, sic illud ipsum mysterium principale cuius nobis efficientiam virtutemque efficaciter repraesentant, ex quibus constat proprie permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque, permanere demonstrant[1].

699. 15. Sed apostolus, inquiunt, dixit de Iudaeis: *Si cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent* (I Co. II, 8). Plane hoc dicimus, hoc sentimus salva impassibilitate deitatis, deitas enim impassibilis semper sine ambiguitate persistit. Sicut enim legitur *Dominus maiestatis* Christus, sic utique legitur etiam *hominis filius*. Itaque et Dominus maiestatis filius hominis est et homo est, et filius hominis Deus est maiestatis et homo Deus est et quicquid deitatis est habet filius hominis et quicquid humanitatis est, habet Dominus maiestatis. Beatum Petrum audiamus dicentem: *Christo igitur carne passo omnes eadem fide armamini* (I Pet. IV, 1). Carne passum dixit non deitate, cum tamen ipsa deitas totum suum faciat quicquid caro perpessa

1. De hac comparatione cf. Lebreton art. *Eucharistie* in DA. I, c. 1575-76.

est, sicut et filius hominis suum habet totum quicquid est Dei, et sub una persona merito unus atque idem dicitur pati quicquid ut Deus homo patitur, non infirmitate et conditione passibili, sed dignitate suam faciens passionis iniuriam, adunatione particeps sed sine passibilitate compatiens, sicut unus idemque virtutes operatur quicquid ut homo Deus operatur. Sic enim quamvis corporeis obnoxia passionibus anima sit humana et eorum vel mulceatur blanditiis vel afficiatur adversis et compatiendo sentiat ipsa quicquid conditioni carnis infertur, non tamen secundum se ipsa est, quae est animae substantia, quae ullo vulnere sauciatur vel quibuslibet plagis vexationibusque contingitur.

700. Anastasii II (*Gelasii I*) *fides ex ep. ad Laurentium de Lignido (497)*. 2. Confitemur ergo D. N. I. C. Filium Dei Unigenitum, ante omnia quidem saecula, sine principio ex Patre natum secundum deitatem, novissimis autem diebus de sancta virgine Maria eundem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum eundem Filium Dei et hominis unigenitum a Patre et primogenitum ex mortuis confitemur, scientes quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, cum dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Lc. I, 38), ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare templum, et statim sibi univit quod non coaeternum de sua substantia e caelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae hoc est ex virgine. Hoc accipiens et sibi uniens, non Deus Verbum in carnem versus est neque ut phantasma apparens sed inconvertibiliter et incommutabiliter suam conservavit essentiam, primitias naturae nostrae suscipiens sibi univit. Nam principium Deus Verbum has nostrae naturae primitias per multam sibi bonitatem unire dignatus est, quia non permixtus, sed in utrisque substantiis unus et ipse visus, secundum quod scriptum est: *Solvite templum istud et in tribus diebus resuscitabo illud* (Io. II, 19). Solvitur enim Christus Iesus secundum eam substantiam quam suscepit et solutum suscitat proprium templum hoc ipse secundum divinam substantiam secundum quam et omnium artifex est. Numquam autem per resurrectionem unitionis nostrae discessit a proprio templo nec discedere potest, propter ineffabilem suam benignitatem.

701. Sed est ipse Dominus Iesus Christus et passibilis et impassibilis, passibilis secundum humanitatem, impassibilis secundum divinitatem. Suscitavit igitur suum templum Deus Verbum et in se naturae nostrae resurrectionem et renovationem operatus est. Et hanc Dominus

Christus noster Deus, postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis ostendebat dicens: *Palpate et videte quoniam spiritus carnem et ossa non habet quemadmodum me videtis habere* (Lc. XXIV, 39). Non dixit: quemadmodum me dicitis *esse* sed *habere*, ut et qui habet et qui habetur considerans, non permixtionem, non conversionem, non mutationem sed unitatem factam respicias. Propterea et fixuras clavorum et fixionem lanceae demonstravit et cum discipulis manducavit, ut per omnia resurrectionem nostrae naturae in se renovatam doceret et quia secundum beatam divinitatis substantiam inconvertibilis, incommutabilis, impassibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens omnes passiones ipse permisit proprio inferri templo, quod virtute propria suscitavit et per propriam perfectionem templi sui renovationem nostrae naturae operatus est. Qui autem dicunt subtilem hominem Christum, aut passibilem Deum, aut in carne versum, aut non connitum habuisse corpus, aut de caelo hoc detulisse, aut phantasma esse, aut mortalem dicentes Deum Verbum indiguisse ut a Patre suscitaretur, aut sine anima corpus, aut sine sensu hominem suscepisse, aut duas substantias Christi, secundum permixtionem confusas, unam factam fuisse substantiam et non confitentes D. N. I. C. duas esse naturas inconfusas, unam autem personam secundum quod unus Christus, unus idem Filius: istos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

702. *Quicumque (s. VI)*: Sed necessarium est ad aeternam salutem ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus: perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus, unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

703. *Statuta Ecclesiae antiqua (s. VI)*: [Qui episcopus ordinandus est examinetur] si incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu Sancto factam sed in Filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris filius ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex Patre, et homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens et animam humanam rationalem; simul in eo ambae naturae id est homo et Deus; una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, creator omnium quae sunt et auctor et dominus et rector, cum Patre et Spiritu Sancto, omnium creaturarum.

704. *Orientalis Ecclesia, de formulis*: ex duabus *et* in duabus naturis, *ad Symmachum papam, ep.* Bonus ille, *a. 512*: 10. Nos enim, o sanctissime et beatissime Symmache, eundem esse existimamus et *ex duabus naturis* et *in duabus naturis* et non sicut illi dicunt, ex duabus naturis unam naturam post adunationem in duabus autem subsistentibus naturis cum unitate non pati confiteri; ut se doceant Arianorum esse imitatores, dicentium per Filium glorificari Patrem, cum Filio autem non pati secum glorificari. Sed sicut contra illos docuerunt fratres tui, sanctissimi patres, *per quem* et *cum quo* aequaliter pati dicere eos, quia *per quem* humanitatem *cum quo* divinitatem significant magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, sic et nunc illis *ex duabus* quidem *naturis* dicentibus, *in duabus* autem in quibus visus est, et palpatus est, et assumptus post passionem et resurrectionem, confitemur et in quibus veniet iudicaturus vivos et mortuos. Neque enim nuda divinitas poterat aut palpari aut crucifigi pro vita mundi, nec simplex humanitas morti subiacens per mortem confundere eum qui obtinebat mortem, hoc est diabolum. Unde et post resurrectionem, in immaculata carne sua visum Verbum Dei et Deus noster omnibus discipulis suis dicebat: *Videte manus meas et pedes meos quia ego ipse sum; palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habentem* (Lc. XXIV, 39). *Habentem* dixit ut non is in illa mutatus putaretur sed in veritate assumpsisse crederetur.

705. IOANNES II, *ep.* Olim quidem, *ad Senatores CP. m. mart. 536*: Iustinianus siquidem imperator filius noster, ut eius epistolae tenore cognovistis, de his tribus quaestionibus orta certamina fuisse signavit: *Utrum unus ex Trinitate Christus et Deus noster dici possit: hoc est una de tribus personis sanctae Trinitatis sancta persona; — an Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate; — an proprie et veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari?* Probavimus in his catholicam imperatoris fidem, et ita esse propheticis et apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus. *Unum enim ex sancta Trinitate Christum esse*, hoc est unam de tribus sanctae Trinitatis personis sanctam esse personam sive subsistentiam, quam graeci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus [Gen. III, 22; I Cor. VIII, 6, Nicaenum; Augustinus *ter*; Gregorius Nazanzenus *semel*, Procli epistola ad Orientales *bis*]; *Deum vero carne passum* his nihilominus roboramus exemplis [Dt. XXVIII, 66; Io. XIV, 6; Zach. XII, 10; Act. III, 15, 20, 28; I Cor. II, 8; Cyprianus, Gregorius Naz., Augustinus *de caritate*; Cyrilli anath. XII, Leo I *bis*]. — Gloriosam vero sanctam semper virginem Mariam *proprie et veraciter Dei genitricem matremque Dei Verbi ex ea incarnati* ab hominibus catholicis confiteri recte esse docemus. Proprie et veraciter et

idem ipse ultimis temporibus incarnatus, ex sancta et gloriosa Virgine matre nasci dignatus est. Propterea ergo, quia proprie et veraciter Dei Filius ex ea incarnatus est, ideo *proprie et veraciter matrem Dei ea incarnati et nati* esse confitemur, et ne Dominus Iesus per honorificentiam vel gratiam Dei nomen accepisse credatur, sicut Nestorius sentit insulsus : *veraciter* autem ideo, ne phantasma aut aliquo modo non veram sumpsisse carnem credatur ex virgine, sicut asseruit impius Eutyches. *(Dein allegatur* Augustinus *in libro Praedestinationis,* Leporius, Gelasius; *ipse postea breviter hac de re doctrinam catholicam recolligit.)*

CPtanum II, oec. V, de tribus capitulis (a. 553)[1];

706. β'.[2] Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ, τοῦ Θεοῦ Λόγου εἶναι τὰς δύο γεννήσεις, τήν τε πρὸ αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρός, ἀχρόνως καὶ ἀσωμάτως, τήν τε ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, τοῦ αὐτοῦ κατελθόντος ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας ἐνδόξου θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ γεννηθέντος ἐξ αὐτῆς· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

707 γ'. Εἴ τις λέγει, ἄλλον εἶναι τοῦ Θεοῦ Λόγον τὸν θαυματουργήσαντα, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν τὸν παθόντα, ἢ τὸν Θεὸν Λόγον συνεῖναι λέγει τῷ Χριστῷ γενομένῳ ἐκ γυναικός, ἢ ἐν αὐτῷ εἶναι ὡς ἄλλον ἐν ἄλλῳ, ἀλλ' οὐχ ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, καὶ τοῦ αὐτοῦ τά τε θαύματα καὶ τὰ πάθη, ἅπερ ἑκουσίως ὑπέμεινε σαρκί· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

708 δ'. Εἴ τις λέγει, κατὰ χάριν, ἢ κατὰ ἐνέργειαν, ἢ κατὰ ἰσοτιμίαν ἢ κατὰ αὐθεντίαν, ἢ ἀναφοράν, ἢ σχέσιν, ἢ δύναμιν τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς ἄνθρωπον γεγενῆσθαι· ἢ κατὰ εὐδοκίαν, ὡς ἀρεσθέντος τοῦ Θεοῦ Λόγου

706. Can. 2. Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante saecula ex patre sine tempore incorporaliter, alteram vero in ultimis diebus eiusdem ipsius qui de coelis descendit, et incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice et semper Virgine Maria, natus est ex ipsa : talis A. S.

707. Can. 3. Si quis dicit, alium esse Deum Verbum qui miracula fecit, et alium Christum qui passus est, vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse ut alterum in altero, et non unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum et hominem factum, et eiusdem ipsius miracula, et passiones quas voluntarie carne sustinuit : talis A. S.

708 Can. 4. Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi

1. *Cf.* apologiam a Gregorio I adhuc diacono scriptam, nomine Pelagii II, ep. 3a ad Heliam : PL 77-715-33; ed. Ewald-Hartmann II, 449-67. —
2. Canon I, supra n. 564.

τοῦ ἀνθρώπου, ἀπὸ τοῦ εὖ καὶ καλῶς δόξαι αὐτῷ περὶ αὐτοῦ, καθὼς Θεόδωρος μαινόμενος λέγει· ἢ κατὰ ὁμωνυμίαν, καθ' ἣν οἱ Νεστοριανοὶ τὸν Θεὸν Λόγον Ἰησοῦν καὶ Χριστὸν καλοῦντες, καὶ τὸν ἄνθρωπον κεχωρισμένως Χριστὸν καὶ υἱὸν ὀνομάζοντες, καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν, καὶ ἓν πρόσωπον, καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν· ἀλλ' οὐχ ὁμολογεῖ τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ, κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ' ὑπόστασιν γεγενῆσθαι, καθὼς οἱ ἅγιοι πατέρες ἐδίδαξαν· καὶ διὰ τοῦτο μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν, ὅ ἐστιν ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός, εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Πολυτρόπως γὰρ νοουμένης τῆς ἑνώσεως, οἱ μὲν τῇ ἀσεβείᾳ Ἀπολλιναρίου καὶ Εὐτυχοῦς ἀκολουθοῦντες, τῷ ἀφανισμῷ τῶν συνελθόντων προσκείμενοι, τὴν κατὰ σύγχυσιν τὴν ἕνωσιν πρεσβεύουσιν, οἱ δὲ τὰ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου φρονοῦντες, τῇ διαιρέσει χαίροντες, σχετικὴν τὴν ἕνωσιν ἐπεισάγουσιν· ἡ μέντοι ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία ἑκατέρας αἱρέσεως τὴν ἀσέβειαν ἀποβαλλομένη, τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὴν σάρκα κατὰ σύνθεσιν ὁμολογεῖ· ὅπερ ἐστὶ καθ' ὑπόστασιν. Ἡ γὰρ κατὰ σύνθεσιν ἕνωσις, ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, οὐ μόνον ἀσύγχυτα τὰ συνελθόντα διαφυλάττει, ἀλλ' οὐδὲ διαίρεσιν ἐπιδέχεται.

709. ε'. Εἴ τις τὴν μίαν ὑπόστασιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὕτως ἐκλαμβάνει, ὡς ἐπιδεχομένην πολλῶν ὑποστάσεων σημασίαν, καὶ διὰ τούτου εἰσάγειν ἐπιχειρεῖ ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου δύο ὑποστάσεις, ἤτοι δύο

ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sicut *Theodorus* insaniens dicit : vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas evidenter dicentes, per solam nominationem, et honorem, et dignitatem, et adorationem, unam personam, unum Filium, et unum Christum confingunt dicere : sed non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali, secundum compositionem sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, et ideo unam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, talis A. S. Cum enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem *Apolinarii* et *Eutychetis* sequuntur, interemptionem eorum quae convenerunt colentes, unitionem secundum confusionem dicunt. *Theodori* autem et *Nestorii* sequaces, divisione gaudentes affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiae impietatem reiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Unitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfuse ea, quae convenerunt, conservat, sed nec divisionem suscipit.

709. Can. 5. Si quis unam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, et per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas

πρόσωπα, καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ εἰσαγομένων δύο προσώπων, ἓν πρόσωπον λέγει κατὰ ἀξίαν, καὶ τιμὴν, καὶ προσκύνησιν, καθάπερ Θεόδωρος καὶ Νεστόριος μαινόμενοι συνεγράψαντο· καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσεβῆ ἔννοιαν χρησαμένην τῷ τῆς μιᾶς ὑποστάσεως ῥήματι· ἀλλὰ μὴ ὁμολογεῖ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἑνωθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν, ἤτοι ἓν πρόσωπον· οὕτως τε καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον μίαν ὑπόστασιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμολογῆσαι· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Οὔτε γὰρ προσθήκην προσώπου, ἤγουν ὑποστάσεως ἐπιδέξατο ἡ ἁγία Τριὰς καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος Θεοῦ Λόγου.

710. ς' Εἴ τις καταχρηστικῶς, ἀλλ' οὐκ ἀληθῶς Θεοτόκον λέγει τὴν ἁγίαν ἔνδοξον ἀειπάρθενον Μαρίαν· ἢ κατὰ ἀναφοράν, ὡς ἀνθρώπου ψιλοῦ γεννηθέντος, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος καὶ τῆς ἐξ αὐτῆς ἀναφερομένης δὲ κατ' ἐκείνου τῆς τοῦ ἀνθρώπου γεννήσεως ἐπὶ τὸν Θεὸν Λόγον ὡς συνόντα τῷ ἀνθρώπῳ γενομένῳ· καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσεβῆ ἐπινοηθεῖσαν παρὰ Θεοδώρου ἔννοιαν Θεοτόκον τὴν παρθένον εἰποῦσαν· ἢ εἴ τις ἀνθρωποτόκον αὐτὴν καλεῖ ἢ χριστοτόκον, ὡς τοῦ Χριστοῦ μὴ ὄντος Θεοῦ· ἀλλὰ μὴ κυρίως, καὶ κατὰ ἀλήθειαν Θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογεῖ, διὰ τὸ τὸν πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν Λόγον ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἐξ αὐτῆς σαρκωθῆναι, οὕτω τε εὐσεβῶς καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον Θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογῆσαι, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

---

personae, et duarum personarum quas introducit, unam personam dicit secundum dignitatem, et honorem, et adorationem, sicut *Theodorus* et *Nestorius* insanientes conscripserunt, et calumniantur sanctam Chalcedonensem Synodum tanquam secundum istum impium intellectum unius subsistentiae utentem vocabulo, sed non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, et propter hoc unam eius subsistentiam seu unam personam, et sic et sanctum Chalcedonense Concilium unam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi confessum esse, talis A. S. Nec enim adiectionem personae vel subsistentiae suscepit sancta Trinitas ex incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo.

710. Can. 6. Si quis abusive et non vere *Dei genitricem* dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato et nato ex ipsa, referenda autem, sicut illi dicunt hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente, et calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundum istum impium intellectum quem *Theodorus* execrandus adinvenit Dei genitricem Virginem dicentem, vel qui homini genitricem vocat, aut *Christotocon*, id est, Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset, et non proprie et vere *Dei genitricem* ipsam confitetur, eo quod ipse qui ante saecula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus et natus est, et sic pie et sanctam Chalcedonensem Synodum eam esse confessam, talis A. S.

711. ζ' Εἴ τις ἐν δύο φύσεσι λέγων, μὴ ὡς ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι τὸν ἕνα Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν γνωρίζεσθαι ὁμολογεῖ, ἵνα διὰ τούτου σημάνῃ τὴν διαφορὰν τῶν φύσεων, ἐξ ὧν ἀσυγχύτως ἡ ἄφραστος ἕνωσις γέγονεν, οὔτε τοῦ Λόγου εἰς τὴν τῆς σαρκὸς μεταποιηθέντος φύσιν, οὔτε τῆς σαρκὸς πρὸς τὴν τοῦ Λόγου φύσιν μεταχωρησάσης (μένει γὰρ ἑκάτερον, ὅπερ ἐστὶ τῇ φύσει, καὶ γενομένης τῆς ἑνώσεως καθ' ὑπόστασιν), ἀλλ' ἐπὶ διαιρέσει τῇ ἀνὰ μέρος, τὴν τοιαύτην λαμβάνει φωνὴν ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου· ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν φύσεων ὁμολογῶν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος, μὴ τῇ θεωρίᾳ μόνῃ τὴν διαφορὰν τούτων λαμβάνει, ἐξ ὧν καὶ συνετέθη, οὐκ ἀναιρουμένην διὰ τὴν ἕνωσιν (εἷς γὰρ ἐξ ἀμφοῖν, καὶ δι' ἑνὸς ἀμφότερα), ἀλλ' ἐπὶ τούτῳ κέχρηται τῷ ἀριθμῷ, ὡς κεχωρισμένας καὶ ἰδιοϋποστάτους ἔχει τὰς φύσεις, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

712. η'. Εἴ τις ἐκ δύο φύσεων θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος ὁμολογῶν τὴν ἕνωσιν γεγενῆσθαι, ἢ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην λέγων, μὴ οὕτως αὐτὰ λαμβάνῃ καθάπερ καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐδίδαξαν, ὅτι ἐκ τῆς θείας φύσεως καὶ τῆς ἀνθρωπίνης, τῆς ἑνώσεως καθ' ὑπόστασιν γενομένης, εἷς Χριστὸς ἀπετελέσθη· ἀλλ' ἐκ τῶν τοιούτων φωνῶν μίαν φύσιν, ἤτοι οὐσίαν θεότητος καὶ σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ εἰσάγειν ἐπιχειρεῖ, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Καθ' ὑπόστασιν γὰρ λέγοντες τὸν μονογενῆ Λόγον ἡνῶσθαι, οὐκ ἀνάχυσίν τινα τὴν εἰς ἀλλήλους τῶν φύσεων πεπρᾶχθαί φαμεν· μενούσης δὲ μᾶλλον ἑκατέρας ὅπερ ἐστίν, ἡνῶσθαι σαρκὶ νοοῦμεν τὸν Λόγον. Διὸ καὶ εἷς ἐστιν ὁ Χριστός, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμο-

---

711 Can. 7. Si quis in duabus naturis dicens, non ut in deitate et humanitate, unum Dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfuse ineffabilis unitio facta est, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta (manet enim utrumque hoc quod est natura, etiam facta unitate secundum subsistentiam), sed pro divisione per partem, talem excipit vocem in mysterio Christi, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Iesu Christo Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus et compositus est, non interemptam propter unitatem (unus enim ex utroque, et per unum utraque), sed in hoc numero utitur, ut separatim unaquaque natura suam habente subsistentiam, talis A. S.

712. Can. 8. Si quis ex duabus naturis deitatis et humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit sicut Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi introducere conatur, talis A. S. Secundum subsistentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni unitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se invicem factam esse dicimus, sed magis permanente utraque hoc quod est, unitum esse carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod et unus est Christus, Deus et

ούσιος ἡμῖν ὁ αὐτὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ἐπίσης γὰρ καὶ τοὺς ἀνὰ μέρος διαιροῦντας, ἤτοι τέμνοντας, καὶ τοὺς συγχέοντας τὸ τῆς θείας οἰκονομίας μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ἀποστρέφεται καὶ ἀναθεματίζει ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία.

713. θ'. Εἴ τις προσκυνεῖσθαι ἐν δυσὶ φύσεσι λέγει τὸν Χριστόν, ἐξ οὗ δύο προσκυνήσεις εἰσάγονται, ἰδίᾳ τῷ Θεῷ Λόγῳ, καὶ ἰδίᾳ τῷ ἀνθρώπῳ· ἢ, εἴ τις ἐπὶ ἀναιρέσει τῆς σαρκός, ἢ ἐπὶ συγχύσει τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ἢ μίαν φύσιν ἤγουν οὐσίαν τῶν συνελθόντων τερατευόμενος, οὕτω προσκυνεῖ τὸν Χριστόν, ἀλλ' οὐχὶ μιᾷ προσκυνήσει τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθέντα μετὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ σαρκὸς προσκυνεῖ, καθάπερ ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία παρέλαβεν ἐξ ἀρχῆς, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

714. ι'. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ, τὸν ἐσταυρωμένον σαρκὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν εἶναι Θεὸν ἀληθινὸν καὶ κύριον τῆς δόξης καὶ ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

715. ια'. Εἴ τις μὴ ἀναθεματίζει Ἄρειον, Εὐνόμιον, Μακεδόνιον, Ἀπολλινάριον, Νεστόριον, Εὐτυχέα καὶ Ὠριγένην, μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτῶν συγγραμμάτων, καὶ τοὺς ἄλλους πάντας αἱρετικούς, τοὺς κατακριθέντας ὑπὸ τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τῶν προειρημένων αἱρετικῶν φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, καὶ μέχρι τέλους τῇ οἰκείᾳ ἀσεβείᾳ ἐμμείναντας· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

716. ιβ'. Εἴ τις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ ἀσεβοῦς τοῦ Μοψουεστίας, τοῦ

---

homo, idem ipse consubstantialis Patri secundum deitatem, et consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem. Aequaliter enim et eos qui per partem dividunt vel incidunt, et eos qui confundunt divinae dispensationis mysterium Christi, reicit et anathematizat Dei Ecclesia.

713. Can. 9. Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo Verbo, et separatim homini: vel si quis ad interemptionem carnis vel ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive substantiam eorum quae convenerunt introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est, talis A. S.

714. Can. 10. Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, et Dominum gloriae, et unum de Sancta Trinitate, talis A. S.

715. Can. 11. Si quis non anathematizat *Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, Origenem* cum impiis eorum conscriptis, et alios omnes haereticos qui condemnati et anathematizati sunt a sancta catholica et apostolica Ecclesia, et a praedictis sanctis quattuor Conciliis, et eos qui similia praedictis haereticis sapuerunt vel sapiunt, et usque ad mortem in sua impietate permanserunt vel permanent, talis A. S.

716. Can. 12. Si quis defendit impium *Theodorum Mopsuestenum*, qui dixit

εἰπόντος, ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν ὑπὸ παθῶν ψυχῆς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐπιθυμιῶν ἐνοχλούμενον, καὶ τῶν χειρόνων κατὰ μικρὸν χωριζόμενον, καὶ οὕτως ἐκ προκοπῆς ἔργων βελτιωθέντα καὶ ἐκ πολιτείας ἄμωμον καταστάντα, ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον βαπτισθῆναι εἰς ὄνομα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος, καὶ διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν χάριν τοῦ Ἁγίου Πνεύματος λαβεῖν, καὶ υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι· καὶ κατ' ἰσότητα βασιλικῆς εἰκόνος εἰς πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Λόγου προσκυνεῖσθαι· καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἄτρεπτον ταῖς ἐννοίαις καὶ ἀναμάρτητον παντελῶς γενέσθαι. Καὶ πάλιν εἰρηκότος τοῦ αὐτοῦ ἀσεβοῦς Θεοδώρου, τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὸν Χριστὸν τοιαύτην γεγενῆσθαι, οἵαν ὁ ἀπόστολος ἐπὶ ἀνδρὸς καὶ γυναικός· ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν (Eph. II, 31), καὶ πρὸς ταῖς ἄλλαις ἀναριθμήτοις αὐτοῦ βλασφημίαις, τολμήσαντος εἰπεῖν, ὅτι μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἐμφυσήσας ὁ Κύριος τοῖς μαθηταῖς καὶ εἰπών· λάβετε Πνεῦμα Ἅγιον, οὐ δέδωκεν αὐτοῖς Πνεῦμα Ἅγιον, ἀλλὰ σχήματι μόνον ἐνεφύσησε. Οὗτος δὲ καὶ τὴν ὁμολογίαν τοῦ Θωμᾶ τὴν ἐπὶ τῇ ψηλαφήσει τῶν χειρῶν καὶ τῆς πλευρᾶς τοῦ Κυρίου, μετὰ τὴν ἀνάστασιν, τὸ ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, εἶπε, μὴ εἰρῆσθαι περὶ τοῦ Χριστοῦ παρὰ τοῦ Θωμᾶ, ἀλλ' ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς ἀναστάσεως ἐκπλαγέντα τὸν Θωμᾶν ὑμνῆσαι τὸν Θεὸν ἐγείραντα τὸν Χριστόν.

Τὸ δὲ χεῖρον, καὶ ἐν τῇ τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων γενομένῃ παρ' αὐτοῦ δῆθεν ἑρμηνείᾳ συγκρίνων ὁ αὐτὸς Θεόδωρος τὸν Χριστὸν Πλάτωνι, καὶ Μανιχαίῳ, καὶ Ἐπικούρῳ, καὶ Μαρκίωνι, λέγει ὅτι ὥσπερ ἐκείνων ἕκαστος εὑράμενος οἰκεῖον δόγμα, τοὺς αὐτῷ μαθητεύσαντας πεποίηκε καλεῖσθαι Πλατωνι-

---

alium esse Deum Verbum, et alium Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem, et a deterioribus paulatim recedentem, et sic ex profectu operum melioratum, et a conversatione immaculatum factum, et tamquam purum hominem baptizatum esse in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et per baptisma Sancti Spiritus gratiam accepisse et filiationem meruisse, et ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, et post resurrectionem immutabilem cogitationibus et impeccabilem omnino factum fuisse. Et iterum dixit idem impius *Theodorus*, talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro et muliere: *Erunt duo in carne una*. Et super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem cum insufflasset Dominus discipulis, et dixisset: *Accipite Spiritum Sanctum*; non dedit eis Spiritum Sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit. Iste enim et confessionem, quam fecit, Thomas cum palpasset manus et latus Domini post resurrectionem, dicens: *Dominus meus et Deus meus*, inquit non esse dictam a Thoma de Christo. Nec enim dicit *Theodorus* Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit.

Et, quod peius est, etiam in interpretatione quam in Actus Apostolorum conscripsit *Theodorus*, similem fecit Christum Platoni, et Manichaeo, et Epicuro, et Marcioni, dicens: Quod sicut illorum unusquisque ex dogmate, quod inve-

κοὺς καὶ Μανιχαίους καὶ Ἐπικουρείους καὶ Μαρκιωνιστάς, τὸν ἐκείνου τρόπον καὶ τοῦ Χριστοῦ εὑραμένου δόγμα, ἐξ αὐτοῦ Χριστιανοὺς καλεῖσθαι. Εἴ τις τοίνυν ἀντιποιεῖται τοῦ εἰρημένου ἀσεβεστάτου Θεοδώρου, καὶ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, ἐν οἷς τάς τε εἰρημένας καὶ ἄλλας ἀναριθμήτους βλασφημίας ἐξέχει, κατὰ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἀλλὰ μὴ ἀναθεματίζει αὐτόν, καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ πάντας τοὺς δεχομένους, ἢ καὶ ἐκδικοῦντας αὐτόν, ἢ λέγοντας ὀρθοδόξως αὐτὸν ἐκθέσθαι, καὶ τοὺς γράψαντας ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια φρονοῦντας, ἢ φρονήσαντας πώποτε, καὶ μέχρι τέλους ἐμμείναντας τῇ τοιαύτῃ αἱρέσει, ἀνάθεμα ἔστω.

717. ιγ'. Εἴ τις ἀντιποιεῖται τῶν ἀσεβῶν συγγραμμάτων Θεοδωρήτου, τῶν κατὰ τῆς ἀληθοῦς πίστεως, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης καὶ ἁγίας συνόδου καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ τῶν δώδεκα αὐτοῦ κεφαλαίων, καὶ πάντων ὧν συνεγράψατο ὑπὲρ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου τῶν δυσσεβῶν, καὶ ὑπὲρ ἄλλων τῶν τὰ αὐτὰ τοῖς προειρημένοις Θεοδώρῳ καὶ Νεστορίῳ φρονούντων καὶ δεχομένων αὐτούς, καὶ τὴν αὐτῶν ἀσέβειαν, καὶ δι' αὐτῶν ἀσεβεῖς καλεῖ τοὺς τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλους, τοὺς καθ' ὑπόστασιν τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου φρονοῦντας, καὶ εἴπερ οὐκ ἀναθεματίζει τὰ εἰρημένα ἀσεβῆ συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτοις φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, καὶ πάντας δὲ τοὺς γράψαντας κατὰ τῆς ὀρθῆς πίστεως, ἢ τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου καὶ τῶν δώδεκα αὐτοῦ κεφαλαίων, καὶ ἐν τῇ τοιαύτῃ ἀσεβείᾳ τελευτήσαντας· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

---

nit, suos discipulos fecit vocari Platonicos et Manichaeos et Epicureos et Marcionistas : simili modo et cum Christus dogma invenisset, ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit praedictum impium *Theodorum*, et impia eius conscripta, in quibus tam praedictas quam alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum et Salvatorem Iesum Christum, et non anathematizat eum et impia eius conscripta, et omnes qui suscipiunt vel defendunt eum, et dicunt orthodoxe eum exposuisse, et qui scripserunt pro eo, et eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impiis eius conscriptis, et eos qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, et usque ad mortem permanserunt vel permanent in tali impietate, talis A. S.

717. Can. 13. Si quis defendit impia *Theodoriti* conscripta, quae contra rectam fidem et contra primam Ephesinam sanctam synodum, et sanctum *Cyrillum* et *duodecim eius capitula* exposuit, et omnia quae conscripsit pro *Theodoro* et *Nestorio* impiis, et pro aliis qui eadem praedictis *Theodoro* et *Nestorio* sapuerunt, defendens eos et eorum impietatem, et propter hoc impios vocans doctores Ecclesiae, qui unitatem secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, et non anathematizat ea, et eos qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem et omnes qui scripserunt contra rectam fidem, et sanctum *Cyrillum* et *duodecim eius capitula*, usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis A. S.

718. ιδ'. Εἴ τις ἀντιποιεῖται τῆς ἐπιστολῆς τῆς λεγομένης παρὰ Ἴβα γεγράφθαι πρὸς Μάρην τὸν Πέρσην, τῆς ἀρνουμένης μὲν τὸν Θεὸν Λόγον ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκωθέντα, ἄνθρωπον γενέσθαι· λεγούσης δὲ ψιλὸν ἄνθρωπον ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι, ὃν ναὸν ἀποκαλεῖ· ὡς ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἄνθρωπον· καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Κύριλλον τὴν ὀρθὴν τῶν χριστιανῶν πίστιν κηρύξαντα διαβαλλούσης ὡς αἱρετικόν, καὶ ὁμοίως Ἀπολλιναρίῳ τῷ δυσσεβεῖ γράψαντα· καὶ μεμφομένης τὴν ἐν Ἐφέσῳ πρώτην ἁγίαν σύνοδον, ὡς χωρὶς ζητήσεως Νεστόριον καθελοῦσαν· καὶ τὰ δώδεκα κεφάλαια τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἀσεβῆ καὶ ἐναντία τῇ ὀρθῇ πίστει ἀποκαλεῖ ἡ αὐτὴ ἀσεβὴς ἐπιστολή, καὶ ἐκδικεῖ Θεόδωρον καὶ Νεστόριον καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα καὶ συγγράμματα· εἴ τις τοίνυν τῆς εἰρημένης ἐπιστολῆς ἀντιποιεῖται, καὶ μὴ ἀναθεματίζει αὐτήν, καὶ τοὺς ἀντιποιουμένους αὐτῆς, καὶ λέγοντας αὐτὴν ὀρθὴν εἶναι, ἢ μέρος αὐτῆς, καὶ γράψαντας καὶ γράφοντας ὑπὲρ αὐτῆς, ἢ τῶν περιεχομένων αὐτῇ ἀσεβειῶν, καὶ τολμῶντας ταύτην ἐκδικεῖν ἢ τὰς περιεχομένας αὐτῇ ἀσεβείας ὀνόματι τῶν ἁγίων πατέρων, ἢ τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καὶ τούτοις μέχρι τέλους ἐμμείναντας· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

719. Τούτων τοίνυν οὕτως ὁμολογηθέντων, ἃ καὶ παρηλάβομεν ἐκ τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῆς τῶν ἁγίων πατέρων διδασκαλίας, καὶ τῶν ὁρισθέντων καὶ τῆς μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως παρὰ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, γενομένης δὲ καὶ παρ' ἡμῶν τῆς ἐπὶ τοῖς αἱρετικοῖς, καὶ τῆς αὐτῶν ἀσεβείας, πρόσγε καὶ τῆς τῶν ἐκδικησάντων ἢ ἐκδικούντων τὰ εἰρημένα τρία

---

718. Can. 14. Si quis defendit *epistolam*, quam dicitur *Ibas ad Marim* Persam haereticum scripsisse, quae abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, et alius homo, et sanctum *Cyrillum*, qui rectam fidem christianorum praedicavit, tanquam haereticum et similiter *Apollinario* impio scripsisse criminatur, et inculpat primam Ephesinam sanctam synodum tanquam sine examinatione et quaestione *Nestorium* condemnantem, et *duodecim capitula* Sancti *Cyrilli* impia et contraria rectae fidei vocat eadem impia epistola, et defendit *Theodorum* et *Nestorium*, et impia eorum dogmata et conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, et non anathematizat eam, et defensores eius, et eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, et eos, qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate quae in ea continetur, et praesumunt eam defendere vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum vel sancti Chalcedonensis concilii, et in his usque ad mortem permanent, talis A. S.

719. Cum igitur haec ita recte confessi sumus, quae tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a sanctorum Patrum doctrina, et ab his quae definita sunt de una eademque fide a praedictis sanctis *quattuor Conciliis*, facta autem a nobis et condemnatione contra haereticos et eorum impietatem, nec non etiam contra eos, qui defenderunt vel defendunt praedicta impia *tria capitula*

κεφάλαια, καὶ ἐναπομεινάντων ἢ ἀπομενόντων τῇ οἰκείᾳ πλάνῃ, [illegible] εἴ τις ἐπιχειρήσοι ἐναντία τοῖς παρ' ἡμῶν εὐσεβῶς διατυπωθεῖσι, παραδοῦναι, ἢ διδάξαι, ἢ γράψαι, εἰ μὲν ἐπίσκοπος εἴη, ἢ ἐν κλήρῳ ἀναφερόμενος, ὁ τοιοῦτος ἀλλότρια ἱερέων καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως πράττων, γυμνωθήσεται τῆς ἐπισκοπῆς, ἢ τοῦ κλήρου, εἰ δὲ μοναχός, ἢ λαϊκός, ἀναθεματισθήσεται.

Fides Orientalium (1751). CPtanam secundam *(suscipio)*, quintam in ordine, in qua praefatae Chalcedonensis Synodi definitio renovata est.

720 Pelagii I *fides, ex ep.* Humani generis *ad Childebertum*, feb 557. Ex hac autem sancta et beatissima atque consubstantiali Trinitate credo atque confiteor unam personam, id est, Filium Dei pro salute humani generis novissimis temporibus descendisse de caelo nec patriam sedem nec mundi gubernacula relinquentem; et sancto Spiritu superveniente in beata virgine Maria atque obumbrante ei virtute Altissimi eundem Verbum ac Filium Dei, in utero eiusdem sanctae virginis Mariae, clementer ingressum, et de carne eius sibi unisse carnem anima rationali et intellectuali animatam, nec ante creatam esse carnem et postea supervenisse Filium Dei, sed, sicut scriptum est : *sapientia aedificante sibi domum* (Prov. ix, 1), mox carnem in utero virginis, mox Verbi Dei carnem factam exindeque sine ulla permutatione aut conversione Verbi carnisque naturae Verbum ac Filium Dei factum hominem unum in utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Iesum Deum verum, eundemque verum hominem processisse, id est, natum esse, servata integritate maternae virginitatis, quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eandem beatam virginem Mariam Dei genitricem verissime confitemur : peperit enim incarnatum Dei Verbum. Est ergo unus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis, perfectus in deitate et idem ipse perfectus in humanitate; utpote totus in suis et idem ipse totus in nostris, sic per secundam nativitatem sumens ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex patre natus est, erat. Propter quod eum ex duabus et in duabus manentibus indivisis inconfusisque credimus esse naturis. Indivisis quidem, quia et post assumptionem naturae nostrae unus Christus Filius Dei permansit et permanet, inconfusis autem, quia sic in unam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, ut utriusque proprietate

---

et permanserunt in suo errore, vel qui permanent : si quis conatus fuerit contra haec, quae pie disposuimus, vel tradere vel docere vel scribere, si quidem episcopus vel clericus sit, iste tanquam alienus a sacerdotibus et statu ecclesiastico faciens, denudabitur episcopatu vel clericatu, si autem monachus vel laicus sit, anathematizabitur.

servata nostra converteretur in alteram. Ac propterea, sicut saepe diximus, unum eundemque Christum esse verum Filium Dei et eundem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate.

721. Bracarense *(563)* : 3. Si quis dicit Filium Dei Dominum nostrum, antequam ex Virgine nasceretur, non fuisse, sicut Paulus Samosatenus et Photinus et Priscillianus dixerunt, A. S. — 4. Si quis natalem Christi secundum carnem non vere honorat, sed honorare se simulat, ieiunans in eodem die et in Dominico, quia Christum in hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichaeus et Priscillianus, A. S.

722. *Fides* Gregorii Magni *(sub finem s. V.)* : Filium qui manens Verbum ante saecula perfectus homo creatus est iuxta finem saeculorum; conceptus et natus ex Spiritu Sancto et Maria virgine; qui naturam nostram suscepit absque peccato.

723. Toletanum IV *(633)* : Ipsum autem Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei et creatorem omnium, ex substantia Patris ante saecula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre; incarnatus est enim ex Spiritu Sancto et sancta gloriosa Dei genitrice virgine Maria, et natus ex ipsa solus, idem Christus dominus Iesus, unus de sancta trinitate, anima et carne perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietates; naturae enim in illo duae, Deus et homo, non autem duo filii et dii duo, sed idem una persona in utraque natura.

724. Toletanum VI *(638)* : Ex his igitur tribus divinitatis personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quae per inoboedientiam Adae originaliter et nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda a secreto Patris arcanoque prodiisse, et hominem sine peccato de sancta semper virgine Maria assumpsisse, ut idem Filius Dei Patris esset filius hominis, Deus perfectus et homo perfectus, ut homo et Deus esset, unus Christus naturis in duabus, in persona unus, ne quaternitas trinitati accederet, si in Christo persona geminata esset. Ergo a Patre et Spiritu Sancto inseparabiliter discretus est persona, ab homine autem assumpto natura; item cum eodem homine unus exstat persona, cum Patre et Spiritu Sancto natura, ac sicut diximus ex duabus naturis et una persona unus est Dominus noster

Iesus Christus, in forma divinitatis aequalis Patri, in forma servi minor Patre; hinc enim est vox eius in psalmo: *De ventre matris meae Deus meus es tu* (Ps. xxi, 11). Natus itaque a Deo sine matre, natus a virgine sine Patre solus *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Io. i, 14) et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen accepit hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii quod non commune Trinitati: nam si naturam hominis Deique alteram in altera confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam. Hic igitur Dominus Iesus Christus missus a Patre, suscipiens quod non erat, nec amittens quod erat, inviolabilis de suo, mortalis de nostro, venit in hunc mundum peccatores salvos facere et credentes iustificare faciensque mirabilia...

725. Honorius I, *ep. ad Sergium CP* Scripta fraternitatis, *a. 634*: Scripta fraternitatis vestrae suscepimus per quae contentiones quasdam et novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quendam tunc monachum, nunc vero ex audito episcopum Hierosolymitanae urbis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum, Alexandriae antistitem, unam operationem D. N. I. C. conversis ex haeresi praedicantem. Intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo percepimus oportet ambulare. Enimvero, duce Deo, perveniemus usque ad mensuram rectae fidei, quam apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt; confitentes Dominum Iesum Christum, mediatorem Dei et hominum, operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter [*gr.* hypostatice] unita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne [*gr* in-] discrete, inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis ipse est et carnena effectus plene Deus et homo; passiones et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utrisque naturis. Verbum caro factum... Dum profecto divinitas nec crucifigi potuit nec passiones humanas experiri vel perpeti, sed propter ineffabilem comunctionem humanae divinaeque naturae idcirco et ubique Deus dicitur pati et humanitas ex caelo cum divinitate descendisse.

726. Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudine carnis peccati veniens peccatum mundi abstulit et de plenitudine eius omnes accepimus et formam servi suscipiens habitu inventus est ut homo quia sine pec-

cato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatae naturae. Carnis enim vocabulum duobus modis sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari... Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura quae repugnaret legi mentis eius sed *venit quaerere et salvare quod perierat* (Lc. xix, 10) id est vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori quia super legem natus est humanae condicionis. Et si quidem scriptum est: *Non veni facere voluntatem meam sed eius qui misit me Patris* (Io vi, 38) et *non quod ego volo sed quod tu vis, Pater* (Mc. xiv, 36) et alia huiusmodi non sunt haec diversae voluntatis sed dispensationis humanitatis assumptae... Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere quae neque synodales apices super hoc examinantes neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque evangelicae vel apostolicae litterae neque synodalis examinatio super his habita visae sunt terminasse... Nam quia Dominus Iesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenae sunt sacrae litterae luculentius demonstrantes. Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent; relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare. Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Iesum Christum eiusque Sanctum Spiritum sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum.

727. *Idem* Honorius I, *ep* Scripta dilectissimi filii, *ad eundem Sergium, (a. 634-8)*: Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quaestionum ambages . non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communicatione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exsequentem: non divise, neque confuse, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes... Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assump-

tae, in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.

728. Iohannes IV, de Honorii *assertione circa duas voluntates, ep. Dominus qui dixit, ad Constantinum Imperatorem* (641). Ergo unus et solus est sine peccato mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui in mortuis liber conceptus et natus est. In dispensatione itaque sanctae carnis suae duas nunquam habuit contrarias voluntates nec repugnavit voluntati mentis eius voluntas carnis ipsius. Neque enim habuit quodcumque peccatum qui venit dimittere peccatum mundi, quemadmodum et ipse dixit : *Quis ex vobis arguet me de peccato* (Io. VIII, 46), et alias taliter : *Venit princeps mundi huius et in me invenit nihil* (Io. XIV, 30). Unde scientes quod nullum in eo, cum nasceretur et conversaretur, esset omnino peccatum, decenter dicimus et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis praedicamus, secundum quod quidam haeretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundum hunc igitur modum iam dictus decessor noster, praenominato Sergio patriarchae percontanti, scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis.

Sed ne quis nonnumquam minus intelligens reprehendat quamobrem de humana tantum natura et non etiam de divina natura docere sciatur : etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur et colitur Deus et homo perfectus ; debet, qui super hoc ambigit, scire quoniam ad hoc facta est responsio ad iam dicti patriarchae interrogationem. Praeterea et hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium. Nam et beatus Apostolus hoc saepe fecisse dignoscitur, se secundum auditorum consuetudinem praeparans ; et aliquando quidem de suprema natura docens, de humana penitus tacet, aliquando vero de humana dispensatione disputans, mysterium divinitatis eius non tangit... Praedictus ergo decessor meus de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates : quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt ; quod veritati omnimodis est contrarium.

729. Lateranense, *sub* Martino I *(649)* : Can. 2[1]. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem ipsum

---

1. Canon 1 de Trinitate supra, n. 572 ; c. 17, 19, 20, n. 137.

unum sanctae et consubstantialis et venerandae Trinitatis Deum Verbum e caelo descendisse, et incarnatum ex Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, et hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum sepultumque, et resurrexisse tertia die, et ascendisse in caelos, atque sedentem in dextera Patris, et venturum iterum, cum gloria paterna, cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius, iudicare vivos et mortuos, condemnatus sit.

Can. 3. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit.

Can. 4. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem ipsius et unius Domini nostri et Dei Iesu Christi duas nativitates, tam ante saecula ex Deo et Patre incorporaliter et sempiternaliter, quamque de sancta Virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in ultimis saeculorum, atque unum eundemque Dominum nostrum et Deum Iesum Christum consubstantialem Deo et Patri secundum deitatem et consubstantialem homini et matri secundum humanitatem, atque eundem passibilem carne, et impassibilem deitate, circumscriptum corpore, incircumscriptum deitate, eundem inconditum et conditum, terrenum et caelestem, visibilem et intelligibilem, capabilem et incapabilem : ut toto homine eodemque et Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit, condemnatus sit.

Can. 5. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quod incarnata dicitur nostra substantia perfecte in Christo Deo et indiminute, absque tantummodo peccato significata, condemnatus sit.

Can. 6. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem, ex duabus et in duabus naturis substantialiter unitis inconfuse et indivise unum eundemque esse Dominum et Deum Iesum Christum, condemnatus sit.

Can. 7. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem substantialem differentiam naturarum inconfuse et indivise in eo salvatam, condemnatus sit.

Can. 8. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem naturarum substantialem unitionem indivise et inconfuse in eo cognitam, condemnatus sit.

Can. 9. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem naturales proprietates deitatis eius et humanitatis indiminute in eo et sine deminoratione salvatas, condemnatus sit.

Can. 10. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius eiusdemque Christi Dei nostri voluntates cohaerenter unitas, divinam et humanam, ex hoc quod per utramque eius naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostrae salutis, condemnatus sit.

Can. 11. Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius eiusdemque Christi Dei nostri operationes cohaerenter unitas, divinam et humanam, ab eo quod per utramque eius naturam operator naturaliter idem exsistit nostrae salutis, condemnatus sit.

Can. 12. Si quis secundum scelerosos haereticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur et unam operationem, in peremptionem sanctorum Patrum confessionis, et abnegationem eiusdem Salvatoris nostri dispensationis, condemnatus sit.

Can. 13. Si quis secundum scelerosos haereticos in Christo Deo in unitate substantialiter salvatis et a sanctis Patribus nostris pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationibus, divina et humana, contra doctrinam Patrum, et unam voluntatem atque unam operationem confitetur, condemnatus sit.

Can. 14. Si quis secundum scelerosos haereticos cum una voluntate et una operatione, quae ab haereticis impie confitetur, et duas voluntates pariterque et operationes, hoc est, divinam et humanam, quae in ipso Christo Deo in unitate salvantur, et a sanctis Patribus orthodoxe in ipso praedicantur, denegat et respuit, condemnatus sit.

Can. 15. Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod Graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est divinam et humanam, aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit.

Can. 16. Si quis secundum scelerosos haereticos in peremptione salvatis in Christo Deo essentialiter in unitione, et a sanctis Patribus pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationibus, hoc est, divina et humana, dissensiones et divisiones insipienter mysterio dispensationis eius innectit, et propterea evangelicas et apostolicas de eodem Salvatore voces non uni eidemque personae et essentialiter tribuit eidem ipsi Domino et Deo nostro Iesu Christo secundum beatum *Cyrillum*, ut ostendatur Deus esse et homo idem naturaliter, condemnatus sit.

730. Can. 18. Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit et anathematizat anima et ore omnes, quos respuit et anathematizat, nefandissimos haereticos, cum omnibus impiis eorum conscriptis, usque ad unum apicem, sancta Dei Ecclesia catholica et apostolica, hoc est, sanctae et universales quinque Synodi et consonanter omnes probabiles Ecclesiae Patres, id est, *Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychen, Dioscorum, Timotheum Aelurum, Severum, Theodosium, Colluthum, Themistium, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persam, Origenem, Didymum, Evagrium*, et compendiose omnes reliquos haereticos, qui a catholica Ecclesia reprobati atque abiecti sunt, quorum dogmata diabolicae operationis sunt genimina, et eos qui similia cum his usque ad finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, cum quibus merito, utpote similes eis parique errore praeditos: ex quibus dogmatizare noscuntur proprioque errori vitam suam determinantes, hoc est, *Theodorum* quondam episcopum *Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium CPnum*, vel eius successores *Pyrrhum* et *Paulum* in sua perfidia permanentes, et omnia impia illorum conscripta, et eos, qui similia cum illis usque in finem obstinate sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, hoc est, unam voluntatem et unam operationem deitatis et humanitatis Christi, et super haec impiissimam *Ecthesim* quae persuasione eiusdem *Sergii* facta est ab *Heraclio* quondam imperatore adversus orthodoxam fidem, unam Christi Dei voluntatem, et unam ex concinnatione definientem operationem venerari; sed et omnia, quae pro ea impie ab eis scripta vel acta sunt, et illos, qui eam suscipiunt, vel aliquid de his, quae pro ea scripta vel acta sunt, et cum illis denuo scelerosum *Typum*, qui ex suasione praedicti *Pauli* nuper est factus a serenissimo principe *Constantino* imperatore contra catholicam Ecclesiam, utpote duas naturales voluntates et operationes, divinam et humanam, quae a sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero et Salvatore nostro pie praedicantur, cum una voluntate et operatione, quae ab haereticis impie in eo veneratur, pariter denegare et taciturnitate constringi promulgantem, et propterea cum sanctis Patribus et scelerosos haereticos ab omni reprehensione et condemnatione iniuste liberari definientem, in amputationem catholicae Ecclesiae definitionum seu regulae.

Si quis igitur, iuxta quod dictum est, consonanter nobis omnia haec impiissima haereseos illorum dogmata, et ea quae, pro illis aut in definitione eorum, a quolibet impie conscripta sunt et denominatos haereticos, *Theodorum* dicimus, *Cyrum et Sergium, Pyrrhum et Paulum* non respuit et anathematizat, utpote catholicae Ecclesiae rebelles exsistentes: aut si quis aliquem de his qui ab illis vel similibus eorum in scripto vel sine scripto quocunque modo vel loco aut tempore, temere depositi sunt aut condemnati, utpote similia eis minime credentem, sed sanctorum Patrum nobiscum confitentem doctrinam, uti condemnatum habet aut omnino depositum, sed non arbitratur huius-

modi quicunque fuerit, hoc est, sive episcopus, aut presbyter vel diaconus, sive alterius cuiuscunque ecclesiastici ordinis, aut monachus, vel laicus, pium et orthodoxum et catholicae Ecclesiae propugnatorem, atque in ipso firmius consolidatum, in quo vocatus est a Domino ordine, illos autem impios atque detestabilia eorum pro hoc iudicia, vel sententias vacuas et invalidas atque infirmas, magis autem profanas et exsecrabiles vel reprobabiles arbitratur, huiusmodi condemnatus sit.

731. Toletanum XI *(675)* : De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de sancta et immaculata Maria Virgine, credimus assumpsisse, de qua novo ordine novaque nativitate est genitus; novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne, nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit et fecundatam per Spiritum Sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quod si ratione colligitur, non est mirabile; si exemplo monstratur, non erit singulare[1]. Nec tamen Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem Sancto Spiritu obumbrante concepit, ne duos patres Filii videamur asserere, quod utique nefas est dici.

732. In quo mirabili conceptu, aedificante sibi Sapientia domum (Prov. IX, 1), *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Io. I, 14). Nec tamen Verbum ipsum ita in carne conversum atque mutatum est, ut desisteret Deus esse, qui homo esse voluisset; sed ita *Verbum caro factum est*, ut non tantum ibi sit Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. In quo Dei Filio duas credimus esse naturas; unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi. Unde perfectus Deus, perfectus et homo in unitate personae unius est Christus; nec tamen, quia duas diximus in Filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas; ne Trinitati quod absit, accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis sed naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Item unius substantiae credimus esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia

[1] Augustinus, *ep. 137, ad Volusianum, c. 2, n. 8.* P. L. 33, 519.

sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius *formam servi accepit* (Phil. II, 7) in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati : quae forma illi ad unitatem personae coaptata est, adeo ut Filius Dei et Filius hominis unus sit Christus, id est Christus in his duabus naturis, tribus exstat substantiis : Verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est, corporis et animae, quod ad verum hominem pertinet.

733. Habet igitur in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic tamen per hoc quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum, nam neque factus, neque praedestinatus accipitur; per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus est. Ambae tamen in illo generationes mirabiles, quia et de Patre sine matre ante saecula est genitus, et in fine saeculorum de matre sine patre est generatus; qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam, secundum quod homo, creatus est a Maria : ipse et pater matris Mariae et filius. Item per hoc quod Deus, est aequalis Patri; per hoc quod homo, minor est Patre. Item et maior et minor seipso esse credendus est . in forma enim Dei etiam ipse Filius seipso maior est, propter humanitatem assumptam, qua divinitas maior est, in forma autem servi seipso minor est, id est humanitate, quae minor divinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantum a Patre, sed a seipso minor accipitur, ita secundum divinitatem coaequalis est Patri, et ipse et Pater maior est homine, quem sola Filii persona assumpsit. Item in eo quod quaeritur, utrum possit Filius sic aequalis et minor esse Spiritu Sancto, sicut Patri nunc aequalis, nunc minor Patre creditur esse, respondemus : Secundum formam Dei aequalis est Patri et Spiritui Sancto, secundum formam servi minor est et a Patre et a Spiritu Sancto; quia nec Spiritus Sanctus nec Deus Pater, sed sola Filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic Filius a Deo Patre et Spiritu Sancto inseparabiliter discretus creditur esse persona, ab homine autem assumpta (*al.* assumpto) natura. Item cum homine exstat persona; cum Patre vero et Spiritu Sancto natura divinitatis sive substantia. Missus tamen Filius non solum a Patre, sed a Spiritu Sancto missus esse credendus est : in eo quod ipse per prophetam dicit : *Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius* (Is. XLVIII, 16) A seipso quoque missus accipitur : pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante saecula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est : unigenitus propter deitatis substantiam, primogenitus propter assumptae carnis naturam. — In qua suscepti hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus creditur.

734. Mediolanense *(680)*: Credimus autem ipsum Dei Verbum, hoc est, Filium Patris sine initio genitum, eundem unum ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate aeternum Filium, pro dispensatione facta pro nobis et nostra salute descendisse de caelis, incarnatum Verbum Dei et hominem factum intra virginis uterum. Uniens sibi nostrae naturae veritatem ex sancta et gloriosa Dei genitrice Maria virgine perfectus Deus et perfectus homo, in duabus naturis, divinitatis scilicet atque humanitatis, consubstantialis Deo Patri secundum divinitatem et consubstantialis idem ipse nobis secundum humanitatem, non in duobus filiis divisus, sed unus et idem Dei et hominis filius, in veritate duarum naturarum, in una subsistentia sive persona, divinitatis videlicet et humanitatis unitione facta, ut ex duabus perfectis naturis non duo filii, sed unus idem Dei et hominis filius, permanens quod erat, coepit esse quod non erat, dum sine initio aeterni Patris Filius factus est hominis filius. Ideo et unus est D. N. I. X[1]., habens in semetipso perfectionem divinae naturae et perfectionem humanae naturae, et est Unigenitus quidem ex Verbo, utpote ex Deo Patre natus et primogenitus in multis fratribus; Filius enim Dei filius hominis factus est. Unde et duas nativitates eiusmodi ipsius Unigeniti Dei Verbi confitemur: ante saecula quidem ex patre incomparabiliter natum, in ultimis autem diebus eiusdem ipsius incarnationem de sancta gloriosa Dei genitrice et semper virgine Maria; qui de patre splenduit supra intellectum, de matre ortus est supra rationem, et cum Deus vere esset, factus vere homo. Ideo proprie et vere Dei genitricem sanctam et gloriosam et semper virginem Mariam confitemur, non quia Deus Verbum initium ex ipsa accepit, sed quod, in ultimis diebus, Unigenitus Deus Verbum qui ante saecula erat, incarnatus ex ipsa immutabiliter, homo factus est et cum invisibilis in suis esset, visibilis factus est in nostris, et cum impassibilis Deus esset non dedignatus et passibilis homo esse et immortalis mortis legibus subiacere.

Ipsum autem Deum et Dominum qui ex Bethlehem secundum carnem natus est et similis factus est hominibus absque peccato et crucifixus est pro hominibus sub Pontio Pilato ipsum confitemur Deum ipsum hominem, ipsum Filium Dei ipsum filium hominis, ipsum de caelo ipsum de terra, ipsum impassibilem ipsum passibilem. Deum enim verum qui natus est ex Deo Patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ipse in tempore natus est de sancta Virgine Maria, idem ipse D. N. I. X. unus in sancta Trinitate conglorificatus Patri et Sancto Spiritui. Nec enim quartam personae adiectionem suscepit sancta Trinitas, duas autem naturas in una subsistentia divinitatis et humanitatis

1. Hucusque *Expositio fidei* PL 13. 651-54, cuius prior pars supra n. 580.

inconfuse, incommutabiliter, D. N. I. X. habere veraciter confitemur. Ita quoque et *duas naturales voluntates* et *duas naturales operationes* habere, utpote perfectum Deum et perfectum hominem, unum eundemque ipsum D. N. I. X. pietatis nos regula perstruit, ipsum natum, ipsum passum, ipsum crucifixum, ipsum sepultum, eundem ipsum resurgentem et in caelos ascendentem, ad dexteram Patris sedentem et ad vivos et mortuos iudicandos venturum, cuius regni non erit finis.

735. Romanum, *sub* Agathone *(680)*: Confitemur autem unum eiusdem sanctae coessentialis Trinitatis Deum Verbum, qui ante saecula de Patre natus est, in ultimis saeculorum temporibus pro nobis nostraque salute descendisse de caelis, et incarnatum de Spiritu Sancto et sancta, immaculata semperque virgine gloriosa Maria, domina nostra, vere et proprie Dei genitrice, secundum carnem scilicet ex ea natum et vere hominem factum, eundem Deum verum, eundemque hominem verum, Deum quidem ex Deo Patre, hominem autem ex virgine matre, incarnatum ex ea carne animam habente rationalem et intellectualem, consubstantialem eundem Deo Patri secundum deitatem, consubstantialemque nobis eundem ipsum secundum humanitatem, et per omnia similem nobis absque solo peccato, crucifixum pro nobis sub Pontio Pilato, passum sepultumque et resurgentem, ascendentem in caelos, sedentem ad dexteram Patris iterumque venturum iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

736. Unum quippe eundemque D. N. I. X., Filium Dei unigenitum ex duabus et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere cognoscimus nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius salva proprietate utriusque naturae et in unam personam unamque subsistentiam concurrente, non in dualitatem personarum dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum D. N. I. X., neque alium in alio, neque alium et alium, sed eundem ipsum in duabus naturis, id est, in deitate et humanitate, et post subsistentialem adunationem cognoscimus, quia neque Verbum in carnis naturam conversum est neque caro in Verbi naturam transformata est; permansit enim utrumque quod naturaliter erat, differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus; unus enim ex utrisque et per unum utraque, quia simul sunt et altitudo deitatis et humilitas carnis, servante utraque natura, etiam post adunationem, sine defectu, proprietatem suam et operante utraque forma cum alterius communione quod proprium habet, Verbo operante quod Verbi est et carne exsequente quod carnis est, quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Unde conse-

quenter, sicut duas naturas sive substantias id est deitatem et humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter eum habere veraciter confitemur, ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum et perfectum hominem, unum eundemque ipsum Dominum Iesum Christum, pietatis nos regula instruit quia hoc nos apostolica atque evangelica traditio sanctorumque patrum magisterium, quos sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles synodi suscipiunt, instituisse monstratur.

737. *Fides* Agathonis *Papae, approbata a* CP III, *oec. VI, sess. 18, ut fidei regula, ex ep.* Considerantı mihi *ad Imperatores (680)* : Cum vero de una earundem trium personarum ipsius sanctae Trinitatis, Filio Dei, Deo Verbo, et de mysterio adorandae eius secundum carnem dispensationis confitemur, omnia *duplicia* unius eiusdemque Domini Salvatoris nostri Iesu Christi secundum evangelicam traditionem asserimus, id est, *duas* eius *naturas* praedicamus, divinam scilicet et humanam, *ex quibus* et *in quibus*, etiam post admirabilem atque inseparabilem unitionem, subsistit. Et unamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, et habere divinam omnia quae divina sunt absque ullo peccato. Et utrasque unius eiusdem Dei Verbi incarnati, id est, humanati, inconfuse, inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus, sola intelligentia quae unita sunt discernente, propter confusionis dumtaxat errorem. Aequaliter enim et divisionis et commistionis detestamur blasphemiam. Cum *duas* autem *naturas duasque naturales voluntates*, et *duas naturales operationes* confitemur in uno Domino nostro Iesu Christo, non contrarias eas nec adversas ad alterutram dicimus (sicut a via veritatis errantes apostolicam traditionem accusant, absit haec impietas a fidelium cordibus) nec tanquam separatas in duabus personis vel subsistentiis, sed duas dicimus eundemque D. N. I. X. sicut naturas ita et naturales in se voluntates et operationes habere, divinam scilicet et humanam : divinam quidem voluntatem et operationem habere ex aeterno cum coessentiali Patre communem, humanam temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam...

738. Porro apostolica Christi Ecclesia, ex proprietatibus naturalibus, unamquamque harum Christi naturarum perfectam esse cognoscit, et quidquid ad proprietates naturarum pertinet *duplicia* omnia confitetur, quia ipse idem D. N. I. X. et Deus perfectus est et homo perfectus est et ex duabus et in duabus naturis. — Consequenter itaque iuxta regulam sanctae catholicae atque apostolicae Christi Ecclesiae *duas etiam naturales operationes esse* confitetur et praedicat. Nam si *personales* quisquam intelligat voluntatem, dum *tres* personae in sancta Trinitate dicuntur, necesse est, ut et *tres* voluntates personales et *tres* personales

operationes (quod absurdum est et nimis profanum) dicerentur. Sin autem, quod fidei christianae veritas continet, *naturalis* voluntas est, ubi *una* haec natura dicitur sanctae et inseparabilis Trinitatis, consequenter et *una* naturalis voluntas et *una* naturalis operatio intelligenda est. Ubi vero in una persona D. N. I. X., mediatoris Dei et hominum, *duas naturas*, id est, divinam et humanam, confitemur, in quibus et post admirabilem adunationem consistit, sicut *duas* unius eiusdemque *naturas*, ita et *duas* naturales *voluntates duasque* naturales *operationes* eius regulariter confitemur.

739. *De Honorio*, CP III, *act. 13, 28 mart. 681* : Ἀνακρίναντες ὡς ἀπὸ Σεργίου τοῦ γενομένου πατριάρχου ταύτης τῆς θεοφυλάκτου καὶ βασιλίδος πόλεως γραφείσας δογματικὰς ἐπιστολὰς πρός τε Κῦρον τὸν τηνικαῦτα γενόμενον ἐπίσκοπον τοῦ Φάσιδος, καὶ Ὁνώριον τὸν γενόμενον πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἀπ' ἐκείνου, τουτέστιν Ὁνωρίου, πρὸς αὐτὸν Σέργιον ἀντιγραφεῖσαν ἐπιστολὴν καὶ ταύτας εὑρηκότες παντῇ ἀλλοτρίας τυγχανούσας τῶν ἀποστολικῶν διδαγμάτων καὶ τῶν ὁρισθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων συνόδων καὶ πάντων τῶν ἐγκρίτων ἁγίων πατέρων ἑπομένας δὲ ταῖς τῶν αἱρετικῶν ψευδοδιδασκαλίαις, ταύτας παντῇ ἀποβαλλόμεθα καὶ ὡς ψυχοφθόρους βδελυττόμεθα.

740. Ὧν δὲ τουτέστι τῶν αὐτῶν τὰ ἀσεβῆ ἀποστρεφόμεθα δόγματα, τούτων καὶ τὰ ὀνόματα ἐκ τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ Ἐκκλησίας ἐκβληθῆναι ἐκρίναμεν· τουτέστι Σεργίου τοῦ γενομένου προέδρου ταύτης τῆς θεοφυλάκτου καὶ βασιλίδος πόλεως, τοῦ ἀρξαμένου περὶ τοῦ τοιούτου ἀσεβοῦς συγγράφεσθαι δόγματος, Κύρου τοῦ Ἀλεξανδρείας, Πύρρου, Παύλου καὶ Πέτρου, καὶ αὐτῶν προεδρευσάντων ἐν τῷ θρόνῳ τῆς θεοφυλάκτου ταύτης πόλεως καὶ τὰ ὅμοια ἐκείνοις φρονησάντων· εἶτα δὲ καὶ Θεοδώρου τοῦ τῆς Φαρὰν γενομένου ἐπισκόπου· ὧν ἁπάντων προγεγραμμένων προσώπων ἐπεμνήσθη ἐν τῇ πρὸς τὸν εὐσεβέστατον

---

739. Retractantes dogmaticas epistolas, quae tamquam a *Sergio* quondam patriarcha huius a Deo conservandae regiae urbis scriptae sunt tam ad *Cyrum* qui tunc fuerat episcopus Phasidis quam ad *Honorium* quondam Papam antiquae Romae, similiter autem et epistolam ab illo, id est *Honorio* rescriptam, ad eundem *Sergium* hasque invenientes omnino alienas exsistere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus sanctorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum; eas omnimodo abiicimus et tanquam animae noxias exsecramur.

740. Quorum autem id est eorundem impia exsecramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei Ecclesia proici iudicavimus, id est *Sergii* quondam praesulis huius a Deo conservandae regiae urbis qui aggressus est de huiusmodi impio dogmate conscribere, *Cyri* Alexandriae, *Pyrrhi*, *Pauli* et *Petri* qui et ipsi praesulatu functi sunt in sede huius a Deo conservandae civitatis et similia his senserunt; ad haec et *Theodori* quondam episcopi Pharani, quarum omnium suprascriptarum personarum mentionem fecit Agatho, sanctissimus ac ter bea-

καὶ θεοστήρικτον ἡμῶν δεσπότην καὶ μέγαν βασιλέα ἀναφορᾷ Ἀγάθων, ὁ ἁγιώτατος καὶ τρισμακάριστος τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάπας, καὶ ἀπεβάλλετο ὡς ἐναντίως τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως φρονήσαντας, οὓς καὶ ἀναθέματι καθυποβληθῆναι ὁρίζομεν.

Πρὸς τούτοις δὲ συνεκβληθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας καὶ συναναθεματισθῆναι συνείδομεν καὶ Ὁνώριον, τὸν γενόμενον πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης διὰ τὸ εὑρηκέναι ἡμᾶς διὰ τῶν γενομένων παρ' αὐτοῦ γραμμάτων πρὸς Σέργιον κατὰ πάντα τῇ ἐκείνου γνώμῃ ἐξακολουθήσαντα καὶ τὰ αὐτοῦ ἀσεβῆ κυρώσαντα δόγματα.

741. CPtanum III, *oec. VI (sess. 18, 16 sept. 681), definitio* contra monotheletas: Ἥτις παροῦσα ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος πιστῶς δεξαμένη καὶ ὑπτίαις χερσὶν ἀσπασαμένη τήν τε τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀγάθωνος γενομένην ἀναφορὰν πρὸς τὸν εὐσεβέστατον καὶ πιστότατον ἡμῶν βασιλέα Κωνσταντῖνον, τὴν ἀποβαλλομένην ὀνομαστὶ τοὺς κηρύξαντας καὶ διδάξαντας, ὡς προδεδήλωται, ἓν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν· ὡσαύτως δὲ προσηκαμένη καὶ τὴν ἐκ τῆς ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἁγιώτατον πάπαν ἱερᾶς συνόδου τῶν ἑκατὸν εἴκοσι πέντε θεοφιλῶν ἐπισκόπων ἑτέραν συνοδικὴν ἀναφορὰν πρὸς τὴν αὐτοῦ θεόσοφον γαληνότητα, οἷά τε συμφωνούσας τῇ τε ἁγίᾳ ἐν Χαλκηδόνι συνόδῳ καὶ τῷ τόμῳ τοῦ πανιέρου καὶ μακαριωτάτου πάπα τῆς αὐτῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέοντος, τῷ σταλέντι πρὸς Φλαυιανόν, τὸν ἐν ἁγίοις· ὃν καὶ στήλην ὀρθοδοξίας ἡ τοιαύτη σύνοδος ἀπεκάλεσεν.

---

tissimus Papa antiquae Romae in suggestione quam fecit ad piissimum et a Deo confirmatum dominum nostrum et magnum imperatorem eosque abiecit utpote contraria rectae fidei nostrae sentientes: quos anathemati submitti definimus.

Cum his vero simul proici a sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari praevidimus et *Honorium* qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae ab eo facta sunt ad Sergium quia in omnibus eius mentem secutus est et impia dogmata confirmavit.

741. Quae praesens sancta et universalis Synodus fideliter suscipiens et expansis manibus amplectens tam suggestionem, quae a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquae Romae facta est ad Constantinum piissimum atque fidelissimum nostrum imperatorem, quae nominatim abiecit eos qui docuerunt vel praedicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem et unam operationem in incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, adaeque amplexa est et alteram synodalem suggestionem, quae missa est a sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium episcoporum, ad eius a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes sancto Chalcedonensi concilio et tomo sacerrimi ac beatissimi Papae eiusdem antiquae Romae Leonis, qui directus est ad sanctum Flavianum quem et titulum rectae fidei huiusmodi Synodus appellavit.

742. Ἔτι μὴν καὶ ταῖς συνοδικαῖς ἐπιστολαῖς ταῖς γραφείσαις παρὰ τοῦ μακαρίου Κυρίλλου κατὰ Νεστορίου τοῦ δυσσεβοῦς πρὸς τοὺς τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπους· ἑπομένη τε ταῖς τε ἁγίαις καὶ οἰκουμενικαῖς πέντε συνόδοις, καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ ἐγκρίτοις πατράσι καὶ συμφώνως ὁρίζουσα ὁμολογεῖν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν ἕνα τῆς ἁγίας ὁμοουσίου καὶ ζωαρχικῆς Τριάδος, τέλειον ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, Θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος· ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας· τὸν πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, τῆς κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκου, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν Υἱὸν Κύριον μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίστως, ἀδιαιρέτως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης· οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν μονογενῆ Θεοῦ Λόγον Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.

743. Καὶ δύο φυσικὰς θελήσεις ἤτοι θελήματα ἐν αὐτῷ, καὶ δύο φυσικὰς ἐνεργείας ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγχύτως κατὰ τὴν τῶν

---

742. Ad haec et synodicis epistolis, quae scriptae sunt a beato Cyrillo adversus impium Nestorium et ad orientales episcopos; assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum, unum de sancta et consubstantiali et vitae originem praebente Trinitate, perfectum in deitate, et perfectum eundem in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem, *per omnia similem nobis absque peccato* (Hebr. IV, 15): ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto et Maria Virgine proprie et veraciter Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturae, et in unam personam et in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eundemque unigenitum Filium Dei Verbum Dominum Iesum Christum, iuxta quod olim Prophetae de eo et ipse nos Dominus Iesus Christus erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum.

743. Et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum

ἁγίων πατέρων διδασκαλίαν ὡσαύτως κηρύττομεν· καὶ δύο μὲν φυσικὰ θελήματα οὐχ ὑπεναντία, μὴ γένοιτο, καθὼς οἱ ἀσεβεῖς ἔφησαν αἱρετικοί, ἀλλ' ἑπόμενον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα, καὶ μὴ ἀντιπίπτον, ἢ ἀντιπαλαῖον, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ ὑποτασσόμενον τῷ θείῳ αὐτοῦ καὶ πανσθενεῖ θελήματι· ἔδει γὰρ τὸ τῆς σαρκὸς θέλημα κινηθῆναι, ὑποταγῆναι δὲ τῷ θελήματι τῷ θεϊκῷ κατὰ τὸν πάνσοφον Ἀθανάσιον· ὥσπερ γὰρ ἡ αὐτοῦ σάρξ, σὰρξ τοῦ Θεοῦ Λόγου λέγεται καὶ ἔστιν, οὕτω καὶ τὸ φυσικὸν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ θέλημα ἴδιον τοῦ Θεοῦ Λόγου λέγεται καὶ ἔστι, καθά φησιν αὐτός· Ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με Πατρός (Io. VI, 38.), ἴδιον λέγων θέλημα αὐτοῦ τὸ τῆς σαρκός, ἐπεὶ καὶ ἡ σὰρξ ἰδία αὐτοῦ γέγονεν· ὃν γὰρ τρόπον ἡ παναγία καὶ ἄμωμος ἐψυχωμένη αὐτοῦ σὰρξ θεωθεῖσα οὐκ ἀνῃρέθη, ἀλλ' ἐν τῷ ἰδίῳ αὐτῆς ὅρῳ τε καὶ λόγῳ διέμεινεν, οὕτω καὶ τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα θεωθὲν οὐκ ἀνῃρέθη, σέσωσται δὲ μᾶλλον, κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον λέγοντα· τὸ γὰρ ἐκείνου θέλειν, τοῦ κατὰ τὸν Σωτῆρα νοουμένου, οὐδὲ ὑπεναντίον Θεῷ, θεωθὲν ὅλον.

744. Δύο δὲ φυσικὰς ἐνεργείας ἀδιαιρέτως, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, ἀσυγχύτως ἐν αὐτῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν δοξάζομεν, τουτέστι θείαν ἐνέργειαν καὶ ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν κατὰ τὸν θεηγόρον Λέοντα τρανέστατα φάσκοντα· ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ὅπερ ἴδιον ἔσχηκε, τοῦ μὲν Λόγου κατεργαζομένου τοῦτο ὅπερ ἐστὶ τοῦ Λόγου, τοῦ δὲ σώματος ἐκτελοῦντος ἅπερ ἐστὶ τοῦ σώματος (*supra* n. 681). Οὐ γὰρ δήπου μίαν δώσομεν φυσικὴν τὴν ἐνέργειαν Θεοῦ καὶ ποιήματος, ἵνα μήτε

—

doctrinam adaeque praedicamus; et duas naturales voluntates non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subici vero voluntati divinae, iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis eius voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*, suam propriam dicens voluntatem, quae erat carni eius. Nam et caro propria eius facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit: ita et humana eius voluntas deificata non est perempta, salvata est autem magis, secundum deiloquum Gregorium dicentem: « Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum totum. »

744. Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, divinam operationem et humanam operationem, secundum divinum praedicatorem Leonem apertissime asserentem: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est ». Nec enim in quampiam unam

τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν θείαν ἀναγάγωμεν οὐσίαν, μήτε μὴν τῆς θείας φύσεως τὸ ἐξαίρετον εἰς τὸν τοῖς γενητοῖς πρέποντα καταγάγωμεν τόπον· ἑνὸς γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ τά τε θαύματα καὶ τὰ πάθη γινώσκομεν κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο τῶν ἐξ ὧν ἐστι φύσεων, καὶ ἐν αἷς τὸ εἶναι ἔχει, ὡς ὁ θεσπέσιος ἔφησε Κύριλλος· πάντοθεν γοῦν τὸ ἀσύγχυτον καὶ ἀδιαίρετον φυλάττοντες, συντόμῳ φωνῇ τὸ πᾶν ἐξαγγέλλομεν· ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος καὶ μετὰ σάρκωσιν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν εἶναι πιστεύοντες, φαμὲν δύο αὐτοῦ τὰς φύσεις ἐν τῇ μιᾷ αὐτοῦ διαλαμπούσας ὑποστάσει, ἐν ᾗ τά τε θαύματα, καὶ τὰ παθήματα δι' ὅλης αὐτοῦ τῆς οἰκονομικῆς ἀναστροφῆς, οὐ κατὰ φαντασίαν, ἀλλὰ ἀληθῶς, ἐπεδείξατο, τῆς φυσικῆς ἐν αὐτῇ τῇ μιᾷ ὑποστάσει διαφορᾶς γνωριζομένης τῷ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας ἑκατέραν φύσιν θέλειν τε καὶ ἐνεργεῖν τὰ ἴδια· καθ' ὃν δὴ λόγον καὶ δύο φυσικὰ θελήματά τε καὶ ἐνεργείας δοξάζομεν πρὸς σωτηρίαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους καταλλήλως συντρέχοντα.

745. Τούτων τοίνυν μετὰ πάσης πανταχόθεν ἀκριβείας τε καὶ ἐμμελείας παρ' ἡμῶν διατυπωθέντων, ὁρίζομεν ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προφέρειν ἤγουν συγγράφειν ἢ συντιθέναι ἢ φρονεῖν ἢ διδάσκειν ἑτέρως· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν ἢ προκομίζειν ἢ διδάσκειν, ἢ παραδιδόναι ἕτερον σύμβολον τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἐξ Ἑλληνισμοῦ ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ, ἢ γοῦν ἐξ αἱρέσεως οἱασοῦν, ἢ καινοφωνίαν, ἤτοι λέξεως ἐφεύρεσιν τῶν νυνὶ παρ' ἡμῶν διορισθέντων· τούτους, εἰ μὲν ἐπίσκοποι εἶεν, ἢ

—

dabimus naturalem operationem Dei et creaturae, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam, neque quod eximium est divinae naturae ad competentem creaturis locum deiciamus. Unius enim eiusdemque tam miracula quamque passiones cognoscimus, secundum aliud et aliud earum ex quibus est naturarum et in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus: unum sanctae Trinitatis et post incarnationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus, duas eius esse naturas in una eius radiantes subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivise et inconfuse propria vellet atque operaretur: iuxta quam rationem et duas naturales voluntates et operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes.

745. His igitur cum omni undique cautela atque diligentia a nobis formatis, definimus, aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere componereve aut sapere vel etiam aliter docere. Qui vero praesumpserint fidem alteram componere vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate vel Iudaismo aut ex qualibet haeresi: aut qui novitatem vocis, vel sermonis adinventionem ad subversionem eorum, quae nunc a nobis determinata sunt, introducere: hos, siquidem episcopi fuerint

κληρικοί, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου· εἰ δὲ μονάζοντες εἶεν ἢ λαϊκοί, ἀναθεματίζεσθαι αὐτούς.

Fides Orientalium (1743): CPtanam (synodum) tertiam suscipio sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra *Monothelitas* definitum est, in uno eodemque Domino nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.

746. Leo II *ep.* Regi regum *ad Constantinum imp. (682)*: Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, *Theodorum* Pharanitanum episcopum, *Cyrum* Alexandrinum, *Sergium*, *Pyrrhum*, *Paulum*, *Petrum*, CPtanae Ecclesiae subsessores magis quam praesules, necnon et *Honorium* qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit sed profana perditione immaculatam fidem maculari permisit.

Idem ep. Cum diversa sint *ad episcopos Hispaniae (682)*. Qui vero adversum apostolicae traditionis puritatem perduelliones exstiterant abeuntes quidem aeterna condemnatione mulctati sunt; id est, *Theodorus* Pharanitanus, *Cyrus* Alexandrinus, *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus*, *Petrus* CPtani, cum *Honorio* qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit sed negligendo confovit.

Idem ep. Cum unus *ad Ervigium regem Hispaniae (682)*: Omnesque haereticae assertionis auctores, venerando censente Concilio, condemnati, de catholicae Ecclesiae adunatione proiecti sunt: id est *Theodorus* Pharanitanus episcopus, *Cyrus* Alexandrinus, *Sergius*, *Paulus*, *Pyrrhus* et *Petrus*, quondam CPtani praesules et una cum eis *Honorius* romanus, qui immaculatam apostolicae traditionis regulam quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit.

747. Toletanum XV, *a. 688 (ex apologia S. Iuliani)* 6. Ad secundum quoque retractandum capitulum transeuntes, quo idem Papa incaute nos dixisse putavit, *tres substantias in Christo Dei Filio profiteri*: sicut nos non pudebit quae sunt vera defendere, ita forsitan quosdam pudebit quae vera sunt ignorare. Quis enim nesciat, unumquemque hominem duabus constare substantiis, animae scilicet et corporis, de quibus apostolus specialiter loquitur dicens: *et si interior homo noster corrumpitur sed interior renovatur de die in diem* (II Cor. IV, 16), sicut et ille sitiens Deum clamabat in psalmo: *Sitit te*, inquit, *anima*

aut clerici, alienos esse, episcopos quidem ab episcopatu, clericos vero a clero; sin autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari eos.

mea, quam multipliciter et caro mea (Ps. LXII, 2), necnon et alia multa quae hominem duabus substantiis constare pronuntiant. 5. Contra quam regulam invenimus item in Scripturis, aut carne plerumque nominata totum hominem posse intelligi, aut anima sola interdum nominata totius hominis perfectionem agnosci. Quapropter natura divina humanae sociata naturae possunt et tres proprie et duae tropice appellari substantiae. Sed aliud est cum per proprietatem totus homo exprimitur, aliud cum a parte totus intelligitur... 6. Si quaeras culpam, nec ille errasse dicendus est qui hominem a parte totum nominavit nec iste culpandus est qui totum hominem carne et anima nominata expressit, quia utrumque inculpabiliter dici Scriptura divina convincit...

748. 12. Haec igitur sanctis Patribus nos docentibus et utramque locutionis regulam nobis insinuantibus videant iam tandem et sentiant qui sine favore partium iudicant quae pars plus potest esse tutissima, licet in neutram partem possit cadere culpa... In illa enim parte quae a parte totum hominem intelligi volet potest haereticorum dolus latere ut unamquamlibet ex his substantiam nominans aliam supprimat atque quod ore non profitetur nec corde confiteatur, sicut *Apollinaris* qui negat Dominum Iesum humanam naturam habuisse vel Manichaeus negans in Christo assumpti corporis veritatem. In hac vero nostra professione, ubi praemissa Verbi substantia, specialiter duas hominis in una Christi persona substantias profitemur, nullus potest accidere vel suspicari fraudulentiae dolus, quando evidenter in Deo assumptus praedicatur homo totus. Tutior ergo pars est quae totum dicit quam quae aliquid supprimit et plus claret quod proprie dicitur quam quod arcta tropice locutione firmatur.

749. *De qua doctrina sic* Francofordiense, *a. 794, ad. episc. Hispaniae*. Quod etiam et in sequentibus adiunxistis, in professione Nicaeni symboli non invenimus dictum, in Christo duas naturas et tres substantias, et homo deificus et Deus humanatus. Quid est natura hominis, nisi anima et corpus? vel quid est inter naturam et substantiam, ut tres substantias necesse sit nobis dicere, et non magis simpliciter, sicut sancti Patres dixerunt, confiteri D. N. I. X. Deum verum et verum hominem in una persona? Mansit vero persona Filii in sancta Trinitate, cui personae humana accessit natura, ut esset una persona, Deus et homo, non homo deificus et humanatus Deus, sed Deus homo et homo Deus: propter unitatem personae unus Dei Filius, et idem hominis Filius, perfectus Deus perfectus homo... Consuetudo ecclesiastica solet in Christo duas substantias nominare, Dei videlicet et hominis...

750. Nicaenum II *(787) act. 8ᵃ, occasione sacrarum imaginum definit :* Εἴ τις Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν περιγραπτὸν οὐχ ὁμολογεῖ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ἀνάθεμα ἔστω.

751. *Contra* **Adoptianismum,** Hadrianus I, *in ep* Institutio *ad episc. Hispaniae (785-91) :* ... Porro et de partibus vestris pervenit ad nos lugubre capitulum quod quidam episcopi ibidem degentes, videlicet Eliphandus et Ascarius, cum aliis eorum consentaneis, Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt, quod nullus quamlibet haeresiarcha talem blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, qui purum hominem Dei confessus est Filium.

752. *Idem, ep.* Si tamen licet, *ad episc. Galliae et Hispaniae (793) :* Materia autem causalis perfidiae, inter cetera reiicienda de adoptione Iesu Christi Filii Dei secundum carnem, falsis argumentationibus digesta, perfidorum verborum ibi stramina incomposito calamo legebantur. Hoc catholica Ecclesia numquam credidit, numquam docuit, nunquam male credentibus assensum praebuit. Multa siquidem sparsim in sacris foliis divinarum Scripturarum testimonia super hoc negotio inserta reperiri possunt... Adoptivum eum Filium, quasi purum hominem calamitatis humanae subiectum et, quod pudet dicere, servum eum, impii et ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli detrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit?... Nam etsi in umbra prophetiae dictus est *servus* propter servilis formae conditionem, quam sumpsit ex Virgine sicut scriptum est : *Considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra* (Iob. i, 8) hoc nos, una cum beato Gregorio, intelligimus et secundum historiam de sancto Iob et allegorice de Christo dictum. Numquid propterea servi ei nomen imponere debemus quia sub persona Iob scriptura eum typice designabat ?

753. Francofordiense (794) a) *ex Capitulari :* In primordio capitulorum exortum est de impia ac nefanda haeresi *Eliphandi*, Toletanae sedis episcopi, et *Felicis*, Orgellitanae, eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem . quam omnes qui supra sanctissimi Patres et respuentes una voce contradixerunt atque hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.

b) *Ex ep. synodica ad Hispanos (794).* Invenimus enim in libelli vestri principio scriptum, quod posuistis vos : « Confitemur et credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum,

---

750 Si quis Christum Deum nostrum circumscriptum non confitetur secundum humanitatem, *a. s.*

coaetornum et consubstantialem, non adoptione, sed genere. » Item post pauca eodem loco legebatur : « Confitemur et credimus eum *factum ex muliere, factum sub lege* (Gal. iv, 4), non genere esse Filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia. » Ecce serpens inter pomifera paradisi latitans ligna, ut incautos quosque decipiat ..

Si ergo Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum : et si eum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri *obediens usque ad mortem* (Phil. ii, 8).

754. *Retractatio* **Felicis** *episc Urgellitanae sedis (a. 799) :* Profitentes nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitate, nullo modo credere vel praedicare, sed, secundum quod dogmatibus sanctorum Patrum informamur, eundem D. N. I. X. in utraque natura deitatis videlicet et humanitatis proprium ac verum filium profitentes, unigenitum videlicet Patris, unicum Filium eius, salvas tamen utriusque naturae proprietates, ita dumtaxat ut nec divinitas Verbi Dei in natura credatur humana conversa vel humana a Verbo assumpta in divina mutata, sed utraque id est divina atque humana, ab ipso conceptu in utero virginis, ita in singularitate personae sibimet conexae atque coniunctae sunt ut unicus Filius Patri et verus Deus ex ipso utero gloriosae virginis absque ulla conceptione editus prodiretur. Non ita homo adsumptus a Verbo de substantia Patris sicut ipsumque Verbum a fidelibus genitus credatur, cum sit ex substantia matris, sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva sanctae Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundum divinitatem verus et proprius Dei Filius exsistit, in singularitate personae suae susceptus est atque conceptus verus et proprius Dei Filius ex eadem sancta Virgine natus est. Non alius Dei Filius et alius hominis filius sed Deus et homo, unicus Dei Patris verus et proprius Filius, non adoptione, non appellatione, (non) nuncupatione, sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris, secundum Apostolum (Gal. iv, 4), verus ac proprius Dei Filius credatur.

755. *Fides* Foroiuliensis *(796-7) :* De hac autem ineffabili Trinitate, sola Verbi Dei persona, id est Filius, in ultimis diebus propter nos et propter nostram salutem, secundum propositum secretae dispensationis arbitrium descendit de caelis unde numquam recesserat. Incarnatus est de Spiritu Sancto et ex semper virgine Maria, verus homo factus est verusque permanet Deus. Nec obfuit humana et temporalis nativitas divinae illi et intemporali nativitati sed in una Christi Iesu persona verus Dei verusque hominis Filius. Non alter hominis Filius et alter Dei sed unus idemque Dei hominisque Filius, in utraque natura, divina

scilicet et humana, Deus verus et homo verus, non putativus Dei Filius sed verus, non adoptivus sed proprius, quia numquam fuit, propter hominem quem assumpsit, a Patre alienus. Solus enim sine peccato natus est homo, quoniam solus incarnatus de Spiritu Sancto et immaculata virgine novus homo. Consubstantialis Deo Patri, in sua id est divina; consubstantialis etiam matri, sine sorde peccati, in nostra, id est humana natura. Et ideo in utraque natura proprium eum et non adoptivum Dei Filium confitemur quia inconfusibiliter et inseparabiliter, assumpto homine unus idemque est Dei et hominis Filius, naturaliter Patri secundum divinitatem, naturaliter matri secundum humanitatem, proprius tamen Patri in utroque quoniam, sicut dictum est, non sunt duo Filii alter Dei et alter hominis, sed unus Christus Iesus, propter unam personam Dei et hominis Filius, Deus verus et homo verus, in anima rationali et vera carne; perfectus homo secundum humanitatem, perfectus Deus secundum divinitatem [*hic de mysteriis vitae Christi cf. 782-85*]. Divina autem illa ineffabilis natura in qua Deus est aequalis Patri Sanctoque Spiritui, impassibilis, immutabilis, inconvertibilis, ubique praesens semperque omnipotens, inviolata permanens, in qua regnat in unitate et Trinitate cum Patre et Sancto Spiritu et nunc et semper et per cuncta saecula saeculorum. Amen.

756. Leonis III *fides (809)* : Credimus eundem Filium Dei Verbum aeternaliter natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patris aeternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei suae carnis conceptione conceptus est et suae carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum et Deum verum natum, eundem verum Deum verum hominem, unum Christum Filium Dei Unigenitum, per primum et perfectum in duabus naturis in unius personae singularitate impassibilem et passibilem, mortalem atque immortalem.

757. Nicephori CP *fides, ex ep. ad* Leonem III *(811)* : Σέβω δὲ καὶ προσκυνῶ τὸ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ὡρισμένον μυστήριον, ἐπ᾽ ἐσχάτων δὲ τῶν χρόνων ἀποκαλυφθὲν ἐπὶ σωτηρίᾳ παντὸς τοῦ γένους ἡμῶν καὶ ἐπιτελεσθὲν διὰ τῆς μεγάλης συγκαταβάσεως καὶ ἀρρήτου οἰκονομίας τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ Τριάδος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν· ἵνα ὅθεν ἡμῖν

757. Veneror quoque et adoro incarnationis mysterium, ante omnia saecula praedefinitum, in novissimis vero temporibus ad totius humani generis salutem patefactum et per magnum illum admirabilemque unius sanctae vivificaeque Trinitatis personae Christi nimirum veri Dei nostri descensum ineffabilemque eiusdem dispensationem consummatum, ut unde per inexplicabilem ipsius

τὸ εἶναι ὑπῆρξε διὰ τὴν ἄφατον αὐτοῦ ἀγαθότητα ἐντεῦθεν καὶ τὸ εὖ εἶναι ἡμῖν χαρισθείη· ὁμολογῶ οὖν καὶ πιστεύω αὐτὸν τὸν ἕνα τῆς ζωαρχικῆς καὶ μακαρίας Τριάδος τὸν τοῦ Θεοῦ Υἱὸν καὶ Λόγον τὸν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ἀϊδίως συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον ὡς ὁμοούσιον καὶ σύνθρονον ἀπείρῳ φιλανθρωπίᾳ κινούμενον πρὸς οἶκτον τοῦ οἰκείου πλάσματος, εὐδοκίᾳ πατρικῇ καὶ οἰκτιρμοῖς, χάριτί τε καὶ συνεργίᾳ τοῦ παναγίου Πνεύματος κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφῆναι ἵνα τοὺς καταχρεωθέντας ἡμᾶς πάλαι τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ τῆς τρυφῆς ἐκπεπτωκότας παραδείσου καὶ τῇ φθορᾷ ὑπενηνεγμένους χάριτι ἀνασώσηται καὶ θείας κοινωνοὺς ἀπεργάσηται φύσεως. Ἐνοικήσας γὰρ ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου καὶ κυρίως καὶ ἀληθῶς θεοτόκου καὶ ψυχὴν καὶ σάρκα προκαθαρθείσης τῷ Πνεύματι καὶ ὅλον εἰς ἑαυτὸν ἀναλαβὼν ἐξ αὐτῆς τὸ ἡμέτερον, ὥσπερ ἐν ἀρχῇ ζωοπλαστήσας τὸν ἄνθρωπον προῆλθε θεὸς σεσαρκωμένος, μείνας τοῦτο ὅπερ ἦν θεός.

758. Παρθένον καὶ μετὰ τόκον τὴν ὑπερφυῶς καὶ ἀρρήτως τεκοῦσαν συντηρήσας μηδαμῶς τῆς κατὰ φύσιν παρθενίας τρωθείσης εἰς ἔνδειξιν ἀληθῆ τῆς κατὰ τὴν πρόοδον αὐτοῦ τῆς γεννήσεως ἀτρεψίας καὶ ἀναλλοιώτου διαμονῆς· ὁ τῷ Πατρὶ γὰρ συμφυής, ὁ ὁμοούσιος ἡμῖν κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας γενόμενος σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, παραπλησίως ἡμῖν κεκοινωνηκὼς αἵματος καὶ σαρκὸς σάρκα ἐμψυχωμένην ἀνείληφε ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ οὐδαμῶς προϋποστᾶσαν τῆς ἄκρας ἑνώσεως, ἀλλὰ μία σὰρξ ἔμψυχος λογικῇ

bonitatem esse eramus sortiti inde etiam ipsum bene esse acciperemus. Confiteor itaque et credo ipsum unum opulentissimae beatissimaeque Trinitatis videlicet Dei Filium et Verbum quod cum Deo Patre et Spiritu Sancto in aeternum aevum simul adoratur et conglorificatur utpote iisdem coessentiale et consessale existens, infinita benignitate et misericordia erga proprium plasma motum, accedente huc paterna voluntate et miseratione et Sancti quoque Spiritus gratia eiusdemque cooperatione, de caelo descendisse et cum hominibus conversatum esse quo nos dudum propter peccatum damnatos et a paradisi deliciis expulsos corruptionique obnoxios per gratiam salvaret et divinae naturae participes efficeret. In utero enim virginis vere proprieque Deiparae inhabitans, cuius et Spiritum Sanctum anima et caro prius purificata est totamque nostram naturam quemadmodum hominem in principio finxerat sibi adsciscens, prodiit Deus incarnatus, manens quod erat Deus.

758. Virginem quoque quae supernaturaliter et ineffabiliter pepererat post partum virginem conservavit, virginitate illius secundum naturam nulla ex parte imminuta aut labefactata, ad designandum per secundae nativitatis processum nullam prorsus naturae illius accessisse mutationem aut alterationem. Qui ergo eiusdem est cum Patre naturae nobis per omnia, peccato tantum secluso, factus est coessentialis; etenim semine Abraham suscepto, carnis et sanguinis, proinde ac unus e nobis, factus est particeps carnemque anima intelligente vivificatam assumpsit, nullo quidem pacto ante summam illam unionem praeexsistentem sed simul carnem simul anima rationis compote animatam simul

ἐπὶ τῆς κατὰ Χριστὸν συμφυΐας πιστεύεται οὐ κατὰ χάριν σκηνώσας ἐν ἡμῖν ἀλλ' ὅλος ὅλῃ τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει συμπλακεὶς ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως καὶ ὑπερφυῶς τὴν ἕνωσιν ἐργασάμενος ἵνα αἱ συνελθοῦσαι θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν διαμείνωσι καὶ οὐδαμῶς εἰς ἀλλήλας μεταδῶσιν· εἰ καὶ κατακλίσεις τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας παραχωρεῖν εὐσεβῶς νοοῦμεν διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίζευξιν, ἐπινοίᾳ γὰρ μόνῃ καὶ οὐ πράγματι διίστασθαι δοξάζομεν διὰ τὴν ὑπερφυᾶ τῶν συνελθόντων ἕνωσιν.

759. Τὸ μοναδικὸν δὲ καὶ ἑνιαῖον τῆς ὑποστάσεως φυλάττεσθαι πιστεύομεν ἄτμητον καὶ ἀρραγὲς διαμένον· καταβαλλέσθω γὰρ ἡ φαντασιώδης τοῦ ἀπατεῶνος Εὐτυχίου καὶ Διοσκόρου σύγχυσίς τε καὶ συνουσίωσις· ἐντεῦθεν τὸν αὐτὸν κτιστὸν καὶ ἄκτιστον ὁμολογοῦμεν, προαιώνιόν τε καὶ ὑπόχρονον, οὐράνιόν τε καὶ ἐπίγειον, περίγραπτόν τε καὶ ἀπερίγραπτον, παθητόν τε καὶ ἀπαθῆ, ἀμήτορα καὶ ἀπάτορα, τὸ μὲν διὰ τὴν ἄρρητον καὶ ἄναρχον καὶ προαιώνιον ἐκ Πατρὸς γέννησιν, τὸ δὲ διὰ τὴν καθ' ἡμᾶς κρυφίαν τε καὶ ἀπερινόητον ἕνωσιν καὶ δύο αὐτοῦ τὰς γεννήσεις κηρύσσομεν ἀκαταλήπτους καὶ ὑπὲρ λόγον τυγχανούσας· ὁ γὰρ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων μονογενὴς Υἱός, ὁ ὢν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Πατρὸς τουτέστιν ὁ ἐν οὐσίᾳ τοῦ Πατρὸς προαιώνιος ἐξ αὐτοῦ ἐκλάμψας ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἑαυτὸν κεκένωκε καὶ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ἀνέλαβεν ὅ ἐστι τὴν ἡμετέραν οὐσίαν.

Verbo unitam; nec rursum secundum solam gratiam in nostra natura habitavit sed totus toti humanae naturae coniunctus, inconfusam indivulsam supernaturalemque unionem operatus est; divina enim et humana natura inter se coeuntes in naturali sua proprietate indemutatae perstant, perseverantque nec ulla ex parte in se mutuo transformantur. Verumtamen propter naturalem illam coitionem et copulam, nominum quoque communicationem mutuamque reciprocationem pie concedendam existimamus quando quidem propter physicam illam admirandamque coeuntium naturarum inter se unionem, non re sed sola imaginatione unius eiusdemque quandam hic distinctionem statuimus.

759. Porro autem quod cum naturarum distinctione personae singularitas eiusdemque unitas indivisa ininterruptaque semper consistat permaneatque (nam monstrosam impostoris Eutychetis et Dioscori confusionem concretionemve procul hinc ablegamus) fit ut unum eundemque confiteamur creatum et increatum, aeternum et temporaneum, caelestem et terrenum, circumscriptum et incircumscriptum, patibilem et impatibilem, sine matre et sine patre: alterum quidem propter ineffabilem, aeternam et omne saeculum antecedentem ex Patre nativitatem, alterum vero propter arcanam incomprehensibilemque cum nostra natura unionem; duas enim ipsius nativitates omnem sensum omnemque intellectum excedentes agnoscimus: unigenitus enim Filius, cum in forma Dei ac in sinu hoc est *usia* Patris esset, et ab aeterno ex ipso eluceret, sub saeculorum finem semetipsum exinanivit servilemque formam, hoc est nostram substantiam, suscepit.

760. Ἡ ἐν Χριστῷ οὖν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις ἄλλο μὲν πρὸς ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ Σωτὴρ συνάγει, οἷον δὴ τὸ ἀόρατον καὶ ὁρώμενον παθητὸν καὶ ἀκήρατον· ἄλλον δὲ καὶ ἄλλον μὴ γένοιτο, Θεὸν τὸν αὐτὸν τέλειον ἀληθῆ καὶ ἄνθρωπον τέλειον ὁμολογοῦμεν, τὸ διάφορον τῶν φύσεων προσνέμοντες, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν γινώσκοντες καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν. οὐκ εἰς δυάδα υἱῶν μερίζοντες διὰ τὸ διάφορον τῶν συνδραμουσῶν ἐπὶ τῇ καθ' ὑπόστασιν ἑνώσει φύσεων, ἵνα ἐξωθῇ τῆς θείας αὐλῆς ὁ παράφρων Νεστόριος, πάντα δὲ τὰ τῆς θεανδρικῆς αὐτοῦ ἐνεργείας ἐκτελέσαντα· ὡς γὰρ Θεὸς ἐνήργει τὰ θεῖα δι' αὐτῶν τὰς θεοσημείας καὶ τὰ θαύματα ἐργαζόμενος, ὡς ἄνθρωπος δὲ ὁ αὐτὸς τὰ πάθη καὶ τὰς ὕβρεις ἑκουσίως κατεδέξατο. Διὰ τοῦτο μετὰ τῶν δύο φύσεων ἀκολούθως καὶ ἀναγκαίως, ἰσαρίθμως καὶ τὰς φυσικὰς αὐτοῦ ἐνεργείας δοξάζω, ὡς δηλωτικὰς καὶ συστατικὰς αὐτῶν τῶν οὐσιῶν ἤγουν φύσεων κατὰ τὰς θεοσεβεῖς καὶ θεοπρεπεῖς τῶν θεοφόρων ἡμῶν πατέρων παραδόσεις· ὡσαύτως καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πρεσβεύω, θελητικὸν γὰρ αὐτὸν γινώσκω καθ' ἑτέραν τῶν φύσεων ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ὑπάρχει καὶ νοεῖται· ὥσπερ ἐνεργοῦντα οὕτω καὶ θέλοντα· ἐπὶ τὸ πάθος δὲ τὸ σωτήριον ἑκουσίως ἐλθόντα.

761. *Fides* Leonis IX *(1053)* : Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei aeternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem; duas voluntates et operationes habentem; Deum verum et hominem verum, proprium in utraque

---

760. Unio itaque in Christo secundum hypostasim aliud ad aliud adiungit, quia visibile ad invisibile, patibile ad impatibile, ceteraque ex quibus Salvator constituitur, non tamen alium et alium constituit, absit. Unum namque eundemque Deum perfectum et hominem itidem perfectum confitemur. Nam etsi naturarum differentiam Christo tribuimus unum tamen eundemque etiam post incarnationem agnoscimus et quo stolidus Nestorius a divinis saeptis facessat, propter naturarum ad hypostaticam unionem coeuntium diversitatem, non duos filios aut dualitatem filiorum inducimus, omnes autem Christi actiones quae utique theandricae hoc est Dei simul et hominis erant uni tribuimus. Nam, ut Deus erat, edebat opera divina, signa nimirum et miracula, ut autem homo, idem ipse sponte subibat passiones, sustinebatque probra et contumelias. Unde cum duabus naturis consentanee, immo necessario, iuxta pias divinasque divinorum patrum nostrorum traditiones, duas quoque naturales operationes illius glorifico, ipsarum quodammodo naturarum et substantiarum indices atque constitutrices. Pari modo et duas quoque naturales unius eiusdemque Dei et D. N. I. X. voluntates veneror, nam iuxta utramque naturam ex quibus et in quibus exsistit et intelligitur, voluntatis facultatem ei tribuimus, ut enim operatur ita et vult quoque salutarique passioni ultro sese exponit.

natura atque perfectum; non commixtionem atque divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum; unicum et unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personae singularitate; impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum.

Fides **Michaelis Palaeologi** *(1274) fere eadem habet :* Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam, alteram ex matre temporalem; Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasticum, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum.

762. *Errores* **Abaelardi** *damnati in* Senonensi *(1141)* : 4. Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a iugo diaboli liberaret. — 5. Quod nec Deus et homo, neque haec persona, quae Christus est, sit tertia persona in Trinitate. — 11°. Quod in Christo non fuerit spiritus timoris Domini.

763. *Error* **Petri Lombardi** (Alexander III *in ep. ad Willelmum arch. Senonensem, 28 mai 1170)* : Cum in nostra esses olim praesentia constitutus, tibi viva voce iniunximus, ut suffraganeis tuis Parisius tibi adscitis ad abrogationem pravae doctrinae Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur quod *Christus secundum quod est homo non est aliquid*, omnino intenderes et efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum coram nobis praesens esses, praecepimus, suffraganeos tuos Parisius convoces, et una cum illis et aliis religiosis et prudentibus viris praescriptam doctrinam studeas penitus abrogare, et a magistris scholaribus, ibidem in theologia studentibus, Christum sicut perfectum Deum, sic et perfectum ac verum hominem ex anima et corpore, secundum quod homo, consistentem praecipias edoceri : universis firmiter et distincte iniungens, quod doctrinam illam de cetero tenere seu docere nequaquam praesumant sed ipsam penitus detestentur.

764. *Idem in ep.* Cum Christus *ad Willelmum arch. Remensem (8 feb. 1177)* : Cum Christus perfectus Deus perfectus sit homo, mirum est, qua temeritate quisquam audet dicere quod *Christus non sit aliquid secundum quod homo.* Ne autem tanta possit in ecclesia Dei abusio suboriri vel error induci, fraternitati tuae per apostolica scripta

mandamus, quatenus convocatis magistris scholarum Parisiensium et Remensium et aliarum circumpositarum civitatum auctoritate nostra sub anathemate interdicas, ne quis de cetero dicere audeat Christum non esse aliquid secundum quod homo, quia sicut verus Deus ita verus est homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

765 *Fides pro* Waldensibus, Innocentii III (1208) : Incarnationem divinitatis non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur; ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam humanam rationabilem, simul utriusque naturae, id est Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu Sancto, omnium auctor et rector, natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate; manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione; in qua postquam manducavit et bibit, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris et in eadem venturus est iudicare vivos et mortuos.

766. Lateranense IV, *oec. XII (1215)* : Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus, a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis.

767. Clemens V, *in* Viennensi, *oec. XV (1311-12), ex Constit.* De Summa Trinitate et fide catholica : Fidei catholicae *fundamento, praeter quod*, teste Apostolo, *nemo potest aliud ponere* (I Cor. III, 11), firmiter inhaerentes, aperte cum sancta matre Ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater exsistit, una cum Patre aeternaliter subsistentem, partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae.

768. *Error* **Ioannis Hus** *(1418)* : 4. Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus.

769. Florentinum, *Diac. (1442)* : Firmiter credit, profitetur et praedicat unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut quidquid ibi Dei est non sit ab homine separatum; et quidquid est hominis, non sit a deitate divisum; sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem immortalis et aeternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis.

Firmiter credit, profitetur et praedicat Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in caelum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine saeculorum ad vivos mortuosque iudicandos.

770. Anathematizat autem, exsecratur et damnat omnem haeresim contraria sapientem. Et primo damnat *Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum* omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes unionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse negaverunt : ipsum purum hominem confitentes, qui divinae gratiae participatione maiore, quam sanctioris vitae merito suscepisset, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam *Manichaeum* cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt; nec non *Valentinum* asserentem Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus caeleste sumpsisse, atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit; *Arium* etiam qui, asserens corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animae fuisse deitatem; *Apollinarem* quoque, qui intelligens, si

anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, solam posuit animam sensitivam, sed deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse. Anathematizat etiam *Theodorum Mopsuestenum* atque *Nestorium* asserentes humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam et ob id duas esse in Christo personas, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam exstitisse et propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse. Nam secundum hanc blasphemiam, non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne : hoc est, non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat *Eutychen* archimandritam : qui cum intelligeret iuxta Nestorii blasphemiam veritatem incarnationis excludi, et propterea oportere quod ita Dei Verbo unita esset humanitas, ut deitatis et humanitatis una esset eademque persona : ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarum, unitatem personae; sicut deitatis et humanitatis in Christo unam posuit esse personam, ita unam asseruit esse naturam, volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transiisse, maxima blasphemia et impietate concedens aut humanitatem in deitatem, aut deitatem in humanitatem esse conversam. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat *Macarium Antiochenum* omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate et personae unitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter aberravit, dicens in Christo utriusque naturae unam fuisse operationem unamque voluntatem. Hos omnes cum haeresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates duasque operationes.

771. *Propositio* **rosminiana** *damnata (1887)* : 27. In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Spiritu Sancto ad adhaerendum Esse obiectivo, id est Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et, cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

772. *Propositiones damnatae in* DL Pii X *(1907)* : 27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma, quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit. — 28. Iesus, cum ministerium

suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant, ut id demonstraret. — 29. Concedere licet Christum, quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo, qui est obiectum fidei. — 30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium. — 31. Doctrina de Christo, quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia *Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense*, non est ea, quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

773. De scientia Christi GREGORIUS MAGNUS *contra Agnoitas*, in *ep.* Sicut aqua frigida *ad Eulogium Patriarch. Alex.*, aug. 600. In eo sensu quod dudum scripseram ita rescribo quia de doctrina vestra contra haereticos qui dicuntur *Agnoitae* fuit valde quod admiraremur, quod autem displiceret non fuit... Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit ut mirum mihi non esset quod in diversis linguis Spiritus non fuerit diversus.

Nam hoc quod de ficulnea dixistis in eo sensu proprio beatus *Augustinus* loquitur quia cum evangelista subiunxit : *Nondum enim erat tempus ficorum* (Mc. xi, 13), aperte cognoscitur quod per ficum Dominus in synagoga fructum quaesserat, quae folia legis habuit sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire quia fructum ficus non habuit, quod dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire.

774. De eo vero, quod scriptum est : *Quia diem et horam neque Filius, neque angeli sciunt* (Mc. xiii, 32), omnino recte vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius, quod sumus nos, est certissime referendum. Qua de re multis in locis idem beatus *Augustinus* eo sensu utitur. Dicit quoque et aliud, quod de eodem filio possit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit : *Nunc cognovi, quia times Deum* (Gen. xxii, 12), non quia se Deus tunc timeri cognoverit, sed quia tunc eundem Abraham fecit agnoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem laetum dicimus, non quod ipse dies laetus sit, sed quia nos laetos facit, ita et omnipotens Filius nescire se dicit diem quem nesciri facit, non quod ipse nesciat, sed quia hunc sciri minime permittat. Unde et Pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei Filius, ex eius natura qui est super angelos, habet ut hoc sciat, quod angeli ignorant.

Unde et hoc intelligi subtilius potest quia incarnatus Unigenitus factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam iudicii sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit non ex ipsa novit, quia Deus homo factus diem

et horam iudicii per deitatis suae potentiam novit... Itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelus creatura fuit, hanc se cum angelis, qui creaturae sunt, habere denegavit. Diem ergo et horam iudicii scit Deus et homo; sed ideo quia Deus est homo. Res autem valde manifesta est quia quisquis Nestorianus non est Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei Sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid quod Dei Sapientia ignoret? Scriptum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt* (Io. i, 13). Si omnia, procul dubio etiam dies iudicii et hora. Quis ergo ita desipiat, ut dicere praesumat quia Verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum quoque est : *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus* (Io. xiii, 3). Si omnia, profecto et diem iudicii et horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat quia accepit Filius in manibus quod nescit?

775 De eo vero loco in quo mulieribus de Lazaro dicit : *Ubi posuistis eum* (Io. xi, 34)? ipsa specialiter sensimus quae sensistis, quia si negant scisse Dominum ubi fuerat Lazarus sepultus atque ideo requisisse, procul dubio compellentur fateri quia nescivit Dominus in quibus locis se Adam et Eva post culpam absconderant, cum in paradiso dixit : *Adam, ubi es* (Gen. iii, 9)? aut cum Cain corripit dicens *Ubi est Abel frater tuus* (Gen. iv, 9)? Qui si nesciebat, cur protinus adiunxit : *Sanguis fratris tui de terra clamat ad me*? Quamvis hoc in loco *Severianus Gabalensis* aliud loquitur dicens quia hoc mulieribus Dominus quasi per increpationem dixerit quod mortuum Lazarum ubi posuerint requisivit. Ac si aperte Evae culpam memorans mulieribus diceret : Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulcro.

776. Ad haec vero mihi idem communis filius Anatolius diaconus respondit aliam quaestionem dicens : Quid si obiciatur mihi quia sicut immortalis mori dignatus est ut nos liberaret a morte et aeternus ante tempora fieri voluit temporalis, ita Dei sapientia ignorantiam nostram suscipere dignata est ut nos ab ignorantia liberaret? Sed ad haec ei necdum respondi quia gravi hucusque infirmitate detentus sum. Iam nunc autem vestra coepi oratione convalescere et ei, si ita perfecte convaluero ut dictare valeam, adiuvante Domino, respondebo : de quibus vobis mihi nihil dicendum est ne videar docere quae nostis, quia et medicamina vires medendi perdunt quae membris sanis et fortibus apponuntur.

777. *Propositiones damnatae in* DL PII X *(1907)* : 32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi. — 33. Evidens est cuique, qui praeconceptis non ducitur opinionibus,

Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis synopticis contentae authenticitate carere. — 34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate. — 35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae.

778 *Decretum S. Officii, 7 iun. 1918, approbante* BENEDICTO XV : Circa quasdam propositiones de scientia animae Christi.

Proposito a Sacra Cong. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus dubio : Utrum tuto doceri possint sequentes propositiones :

I). Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam quam habent beati seu comprehensores.

II). Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

III). Placitum quorundam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali.

Emi ac Rmi Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum decreverunt : *Negative.*

779. *De* **paupertate Christi,** IOANNES XXII, *Constit.* Cum inter nonnullos, *13 nov. 1323 :* Cum inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum ac Dominum Iesum Christum eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi etiam, haereticum sit censendum, diversa et adversa etiam sentientibus circa illud : Nos, huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem — cum Scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam — deinceps erroneam fore censendam et haereticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus in posterum pertinaciter affirmare quod Redemptori nostro praedicto eiusque Apostolis, his quae ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam ius ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi ius habuerint aut ex ipsis alia

acquirendi, quae tamen ipsos de praemissis fecisse Scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit expresse ; cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat, in praemissis non iusta : quod utique de usu, gestis seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacrae Scripturae contrarium et doctrinae catholicae inimicum : assertionem ipsam pertinacem, de fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam merito ac haereticam declaramus.

780. *Errores* **Dionysii Foullechat** *damnati ab* URBANO V, *in Const.* Ex supremae clementiae dono, *23 dec. 1368*. 1. Haec benedicta, immo suprabenedicta lex et dulcissima, videlicet lex amoris omnem aufert proprietatem et dominium, — *falsa, erronea, haeretica.* — 2. Actualis abdicatio cordialis voluntatis et temporalis potestatis, dominii seu auctoritatis statum perfectissimum ostendit et efficit — universaliter intellecta *falsa, erronea, haeretica.* — 3. Christum non abdicasse huiusmodi possessionem et ius in temporalibus, non habetur ex nova Lege, immo potius oppositum — *falsa, erronea, haeretica.*

781. *De* **nominibus Christi,** GELASIANUM *(VI s.)* [Concilium Romanum sub Damaso] :

I. 2. Multiformis autem nominum Christi dispensatio : Dominus, quia spiritus ; — verbum, quia Deus ; — filius, quia unigenitus ex Patre ; — homo, quia natus ex virgine ; — sacerdos, quia se obtulit holocaustum ; — pastor, quia custos ; — vermis, quia resurrexit ; — mons quia fortis ; — via, quia rectus ; — ostium, quia per ipsum ingressus in vita est ; — agnus, quia passus est ; — lapis, quia structio angularis ; — magister, quia ostensor vitae ; — sol, quia illuminator ; — verus, quia a Patre ; — vita, quia creator ; — panis, quia caro ; — Samaritanus, quia custos et misericors ; — Christus, quia unctus ; — Iesus, quia salvator ; — Deus, quia ex Deo ; — angelus, quia missus ; — sponsus, quia mediator ; — vitis, quia sanguine ipsius redempti sumus ; — leo, quia rex ; — petra, quia firmamentum ; — flos quia electus ; — propheta, quia futura revelavit.

	782. Passio et mors :	**783. Descensus ad inferos et sepultura :**	**784. Resurrectio :**	**785. Ascensio et sessio ad dexteram Patris :**
Apostolicum :	ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus	καὶ ταφέντα. et sepultus.	ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Tertia die resurrexit a mortuis.	καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς. καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός. ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.
NICAENUM (325) :	Παθόντα. Passus est.		καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ et resurrexit tertia die	ἀνελθόντα εἰς οὐρανούς, et ascendit in caelos.
Symbolum EPIPHANII *(375) :*	Παθόντα δὲ τὸν αὐτὸν ἐν σαρκί. Qui passus est in carne.		καὶ ἀναστάντα et resurrexit	καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι. ἐνδόξως καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρός. et caelum cum eodem corpore conscendit. et ad dexteram Patris gloriose consedit.
CPitanum (s. IV) :	σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ παθόντα. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus	καὶ ταφέντα. et sepultus est.	καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. et resurrexit tertia die secundum Scripturas.	καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός. et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.
DAMASUS *in Confessione fidei (ante 386) :*	14. Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quam induerat *formam servi*, quam sibi *acceperat* (Phil. II, 7), sicut ait Scriptura, A. S.			
TOLETANUM I (*libellus Pastoris*) (*s. V*) :	Postremo a Iudaeis crucifixum mortuum	et sepultum	et tertia die resurrexisse, conversatum postmodum cum discipulis suis,	quadragesima die post resurrectionem ad caelum ascendisse.
Quicumque (s. VI) :	Qui passus est pro salute nostra	descendit ad inferos.	tertia die resurrexit a mortuis	ascendit ad caelos. sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

782 Passio et mors :	783 Descensus ad inferos et sepultura :
Statuta Ecclesiae antiqua (s. VI): Qui passus est vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte,	
Pelagii I *fides* (555-57): Quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne;	
Gregorii I *fides* (c. 590): Sub Pontio Pilato crucifixus	et sepultus. [Cf. *infra* (n. 788) ep. *Gregorii*.]
Toletanum IV (633): *a*) Perferens passionem et mortem pro nostra salute non in virtute divinitatis sed in infirmitate humanitatis, *e*) Cuius morte et sanguine mundati remissionem peccatorum consecuti sumus.	*b*) descendit ad inferos ut sanctos qui ibidem tenebantur erueret;
Toletanum VI (638): *a*) Traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram; *c*) Cuius livore sanati, cuius morte Deo Patri reconciliati,	
Toletanum XI (675): In qua suscepti hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus et cruci veram carnis mortem excepit.	

784 Resurrectio :	785 Ascensio et sessio ad dexteram Patris :
resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae resumptione.	
resurrexisse tertia die glorificata et incorruptibili eadem carne et conversatum post resurrectionem cum discipulis suis ac multis modis evidenter eis ostendisse sui corporis veritatem	et quadragesimo die videntibus eisdem discipulis ascendisse in caelos, sedet etiam ad dexteram Patris.
tertia die resurrexit a mortuis	die autem quadragesimo ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.
c) devictoque mortis imperio resurrexit *f*) resuscitandi ab eo in die novissima, in ea qua nunc vivimus carne et in ea qua resurrexit idem Dominus forma	*d*) assumptus deinde in caelo...
b) resurrexit propter iustificationem nostram. *d*) cuius resurrectione sumus resuscitati.	
Tertio quoque die virtute propria sua suscitatus a sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum... Peracto huius sanctae resurrectionis exemplo,	idem Dominus noster atque Salvator paternam ascendendo sedem repetiit, de qua numquam per divinitatem discessit. Illic ad dexteram Patris sedens, exspectatur (in finem saeculorum iudex omnium vivorum et mortuorum).

782. Passio et mors :	**783. Descensus ad inferos et sepultura :**	**784. Resurrectio :**	**785. Ascensio et sessio ad dexteram Patris :**
ROMANUM (*680*) : Crucifixum pro nobis sub Pontio Pilato, passum	sepultumque	et resurgentem,	ascendentem in caelos, sedentem ad dexteram Patris.
	ZACHARIAS. *ep. ad Bonifatium* (*745*). Similiter autem et Clemens qui per suam stultitiam sanctorum patrum scripta respuit vel omnia synodalia acta parvipendit, inferens etiam christianis iudaismum, dum praedicat fratris defuncti uxorem posse in matrimonio iungi, insuper et Dominum Iesum Christum, descendentem ad inferos, pios et impios simul inde abstraxisse, ab omni etiam sacerdotali officio deponatur et anathematis vinculo obligetur. Cf. *Epist. Bonifacii ad Zachariam* : Contra fidem itaque sanctorum patrum contendit dicens quod Christus Filius Dei descendens ad inferos omnes quos inferni carcer detinuit inde liberavit, credulos et incredulos, laudatores Dei simul et cultores idolorum, et multa alia horribilia de praedestinatione Dei contraria fidei catholicae affirmat.		
FOROIULIENSE (*a. 791*) : Qui in eadem natura, id est, humana quam sumpsit ex Virgine, humanas pertulit infirmitates, non fragilitatem peccandi, sed in eadem dignatus est crescere per incrementa temporis, esurire, sitire, fatigari, contumelias et opprobria sustinere. Dignatus est flagellari, crucis patibulum subire, lanceam in latere excipere, clavis transfigi, fel et acetum gustare ; in eadem dignatus est mori,	sepeliri, ad inferos descendere,	tertia die resurgere, cum discipulis conversari	et post triumphum victricis gloriae eandem humanam naturam, ascendendo super omnes caelos, exaltatam, super omnes angelos, in Patris dextra collocavit.
LEONIS III *fides* (*809*) : Crucifixum in infirmitate nostra eundemque semper viventem in virtute sua, qui mortuus est carnis suae morte,	et sepultus atque ab inferis, damnato et spoliato principe totius iniquitatis, rediens	tertia die resurrexit	atque cum triumpho gloriae videntibus discipulis caelum ascendit, sedens ad dexteram Patris, id est, maiestate divinitatis.

782. Passio et mors :

NICEPHORI *fides* (811) :

Πιστεύω αὐτὸν σταυρωθῆναι οὐκ ἐν ᾗ διαλάμπει σὺν τῷ Πατρὶ φύσει, εἰ καὶ τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι λέγεται τῷ λόγῳ τῆς ἀντιδόσεως· ἀλλὰ τῇ καθ' ἡμᾶς γηρᾷ φύσει, καθ' ἣν τὸ χοϊκὸν ἡμῶν ἀνέλαβε φύραμα καὶ κατάρα ὑπὲρ ἡμῶν γέγονεν, ἵνα τῆς παρ' ἑαυτοῦ εὐλογίας κοινωνοὺς ἡμᾶς ἀποδείξῃ καὶ τὸν τῶν κακούργων κατὰ τὴν σάρκα ἠνέσχετο ὑπομεῖναι θάνατον, ἵνα τὸ τοῦ θανάτου κέντρον τὴν ἁμαρτίαν κατακρίνῃ ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ καὶ καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον.

Credo rursum illum ipsum crucifixum esse non quidem in ea natura in qua cum Patre lucet et regnat (etsi gloriae Dominus propter idiomatum communicationem crucifixus dicatur) sed in natura, hoc est terrena, secundum quam terrestrem nostram massam suscepit, et factus est maledictum propter peccata nostra, quo suae nos benedictionis faceret esse participes et carnis mortem ab improbis illatam patienter sustinuit, quo mortis stimulum, id est peccatum, in carne sua condemnaret et destrueret eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum (Heb. II, 14).

783. Descensus ad inferos et sepultura.

Ταφῇ δὲ παραδοθὲν καὶ τὸ σῶμα ἄφθαρτον διατηρήσαντα, μηδαμῶς τῆς ἀπορρήτου καὶ ἀνεκφράστου θεότητος διαιρεθὲν, εἰ καὶ τῆς λογικῆς αὐτοῦ καὶ νοερᾶς ψυχῆς ἐχωρίσθη ἐν τῷ τριημέρῳ διαστήματι, μεθ' ἧς αὐτὸς καὶ εἰς ᾅδου καταβέβηκε καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν, ὡς ὁ κορυφαῖος καὶ θεῖος ἔφησε Πέτρος, πορευθεὶς ἐκήρυξε τὴν ἀνάστασιν καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ ἀπολύτρωσιν ἐχαρίσατο.

Credo corpus suum sepulturae contraditum incorruptum conservasse, nullo quidem modo ab arcana illa inexplicabilique unione divulsum, etsi illud tridui illo intervallo anima fuerit spoliatum ; cum qua anima et ipse quoque ad inferos descendit iisque qui in carne erant spiritibus (quemadmodum apostolorum coryphaeus, divinus Petrus exponit) resurrectionem praedicavit libertatemque et redemptionem impertivit.

ROMANUM *sub* NICOLAO I (862) :

1. Veraciter quidem credendum est, et omnimodis profitendum, quia Dominus noster Iesus Christus Deus et Dei Filius passionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit, deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas et sanctorum Patrum luculentissime doctrina ostendit.

3. Hi autem, qui sinunt quia redemptor

784. Resurrectio :

Ἀφθαρσίας δὲ ἡμῖν ἀπαρχὴ γέγονεν ὡς πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν ἐνεδείξατο. Ἀνέστη γὰρ ὡς θεὸς πατήσας τὸν θάνατον προοδοποιῶν πάσῃ σαρκὶ τὴν ἀνάστασιν καὶ συνανίστησιν ἡμᾶς τοὺς πεσόντας τῷ τῆς ἁμαρτίας πτώματι. Ἐπιστάντα δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ταῖς γυναιξὶ καὶ τὴν χαρὰν αὐταῖς προσαγγέλλοντα καὶ τὴν ἐκ τοῦ θήλεος ἡμῖν ἐνσκήψασαν λύπην ἐξαφανίσαντα, ὀφθέντα δὲ καὶ τοῖς θεσπεσίοις αὐτοῦ μαθηταῖς τὸ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ πιστούμενον μυστήριον καὶ δεικνύντα ὡς αὐτὸς ἦν καὶ πρὸ τῆς ἀναστάσεως διά τε τῆς βρώσεως καὶ τῆς τοῦ σοφοῦ Θωμᾶ κατὰ τὴν θείαν πλευρὰν ἐπαφῆς.

A nobis quoque utpote primogenitus mortuorum per resurrectionem aliquod incorruptionis principium exstitit : surrexit enim ut Deus mortem pessumdans universaeque carni ad resurrectionem viam patefaciens, nos qui peccati casu in mortem concideramus una secum quodammodo suscitans. Credo mulieribus post resurrectionem suam adstitisse, tristitiamque quae ex muliere ad nos devenerat abolita, gaudium laetitiamque illis annuntiasse. Credo divinis discipulis vivum sese exhibuisse, suae resurrectionis mysterium confirmasse ac quomodo idem ipse foret qui ante resurrectionem per manducationem sacrique lateris quod sapiens Thomas controctavit, exhibitionem demonstrasse.

785. Ascensio et sessio ad dexteram Patris

Ἀναληφθέντα τε εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθεσθέντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός, μετὰ τοῦ προσλήμματος μεθ' οὗ αὖθις ἐλεύσεται ἐν δόξῃ θεοπρεπεῖ καὶ ἐξουσίᾳ τῇ κατὰ πάσης κτίσεως καὶ κριτὴς καθεσθήσεται ἑκάστῳ κατὰ τὸ βεβιωμένον ἀποδιδούς· πάντας γὰρ ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ.

Credo denique assumptum esse in caelos et ad dexteram Dei Patris consedisse et cum assumpto corpore non absque gloria divinaque maiestate olim denuo venturum esse, iudicem sessurum et unicuique iuxta vitae suae rationes redditurum, omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi (II Cor. V, 10).

782. Passio et mors :	**783.** Descensus ad inferos et sepultura :	**784.** Resurrectio :	**785.** Ascensio et sessio ad dexteram Patris :
noster Iesus Christus et Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quoniam impium est et catholicis mentibus exsecrabile, anathema sint.			
	ABAELARDI *error* (*1141*) : 18°. Quod anima Christi per se non descendit ad inferos sed per potentiam tantum.		
Fides LEONIS IX (*1053*) *et* Mich. PALAEOLOGI (*1274*) : Impassibilem et immortalem divinitate sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione	et sepultum. [*Mich. Pal. addit :* et descendisse ad inferos].	se resurrexisse a mortuis die tertia vera carnis resurrectione; propter quam confirmandam cum discipulis, nulla indigentia cibi, sed sola voluntate et potestate, comedisse ; [*Mich. Pal. omittit* : propter-comedisse].	die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, et anima ascendisse in caelum et sedere in dextera Patris, inde decimo die misisse Spiritum Sanctum, et inde, sicut ascendit, venturum iudicare. [*Mich. Pal. omittit* decimo — ascendit; *legit* ad dextram Dei Patris].
Fides pro WALDENSIBUS (*1208*) : Passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte.		et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione, in quo, postquam manducavit et bibit,	ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.
LATERANENSE IV (*1215*) : *a*) Quia etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus,	*b*) descendit ad inferos, *e*) sed descendit in anima	*c*) resurrexit a mortuis *f*) et resurrexit in carne	*d*) et ascendit in caelum; *g*) ascenditque pariter in utroque.
		Dl. PII X (*1907*) : 36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit. 37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis quam de vita Christi immortali apud Deum.	

786. *De* **vulnere lateris Christi : a)** Innocentius III, *ep. In quadam Ugoni Ferrariensi (1209) :* In quadam nostra decretali epistola asseris te legisse illud fuisse nefarium opinari, quod quidam dicere praesumpserunt, in sacramento videlicet Eucharistiae aquam in phlegma converti : nam de latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse. Licet autem hoc magnos et authenticos viros sensisse recenseas, quorum opinionem dictis et scriptis hactenus es secutus, ex quo tamen nos in contrarium sentimus, nostrae compelleris sententiae consentire... Nam si non fuisset aqua sed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille qui vidit et testimonium veritati perhibuit, profecto non aquam, sed phlegma dixisset... Restat igitur, ut qualiscunque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divina virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuit.

b) Clemens V *in* Viennensi *(1311)*, *De Summa Trinitate :* (Confitemur) et quod in hac assumpta natura ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute non solum affigi cruci et in ea mori voluit, sed etiam emisso iam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquae et sanguinis formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia, coniux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in coniugium est formata, ut sic certae figurae primi et veteris Adae, *qui* secundum Apostolum *est forma futuri* (Rom. v, 14), in nostro novissimo Adam, id est Christo, veritas responderet. Haec est, inquam, veritas, illius praegrandis aquilae vallata testimonio, quam Propheta vidit Ezechiel animalibus ceteris evangelicis transvolantem, beati Ioannis videlicet, Apostoli et Evangelistae, qui sacramenti huius rem gestam narrans et ordinem, in Evangelio suo dixit : *Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua ; et qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius, et ille scit, quia vera dicit, ut vos credatis* (Io. xix, 33-35.) Nos igitur ad tam praeclarum testimonium ac sanctorum Patrum et Doctorum communem sententiam apostolicae considerationis, ad quam dumtaxat haec declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus praedictum Apostolum et Evangelistam Ioannem rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando quod, Christo iam mortuo, unus militum lancea latus eius aperuit.

787. *De* **sanguine Christi in triduo,** Pius II *in Bulla* Ineffabilis *(1464) :* Auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod nulli Fratrum praedictorum [Minorum aut Praedicatorum] deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, praedicare, vel publice aut private verbum facere, seu aliis suadere quod videlicet haereticum vel peccatum sit tenere vel credere sanguinem ipsum sacratissimum, ut praemittitur, triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse vel non fuisse divisum vel separatum, donec super dubietatis huiusmodi decisione quid tenendum sit, fuerit per nos et Sedem Apostolicam definitum.

788. *De* **descensu ad inferos,** *haec scribit* Gregorius I, *ep. ad Georgium presbyterum, m. mart. 597 :* Praeterea post discessum vestrum, dilectissimis filiis meis diaconis narrantibus, agnovi quod dilectio vestra dixisset omnipotentem Dominum Salvatorem nostrum Iesum Christum ad inferos descendentem omnes qui illic confiterentur eum Deum salvasse atque a poenis debitis liberasse. De qua re volo ut caritas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per suam gratiam liberavit qui eum et venturum esse crediderunt et praecepta eius vivendo tenuerunt. Constat autem quia, post incarnationem Domini, nullus etiam ex his salvari potest qui fidem illius tenent et vitam fidei non habent, quia scriptum est : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. i, 16) et Ioannes ait : *Qui dicit quia novit eum et mandata eius non custodit mendax est* (I Io. ii, 4); Iacobus quoque frater Domini scribit dicens : *Fides sine operibus mortua est* (Iac. i, 20). Si ergo fideles nunc sine bonis operibus non salvantur et infideles ac reprobi, sine bona actione, Domino ad inferos descendente, salvati sunt, melior illorum sors fuit qui incarnationem Domini minime viderunt, quam horum qui post incarnationis eius mysterium nati sunt. Quod quantae fatuitatis sit dicere vel sentire ipse Dominus testatur discipulis dicens : *Multi reges et prophetae cupierunt videre quae vos videtis et non viderunt* (Mt. xiii, 17). [*Hic laudat Philastrium quem sequitur Augustinus.*] Haec itaque omnia pertractantes, nihil aliud teneatis nisi quod vera fides per catholicam Ecclesiam docet : quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit quos viventes in carne, per suam gratiam, in fide et bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum* (Io. xii, 32), omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit qui se a Deo male vivendo separavit.

III

DE CHRISTO REDEMPTORE

789. *De* **ipsa redemptione** : *Praeter ea quae supra n. 782, de morte Christi pro nobis passi, iam relata sunt et ea quae infra, p. VI, de iustificatione, praesertim ex* Tridentino, *referentur, haec recolenda sunt :*

Florentinum, *DIac.* (1442) : Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri : qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit : et regni caelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit : quem aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, caeremoniae praesignarunt.

790. Paulus IV, *Const.* Cum quorundam *(1555), damnat eos qui asserunt :* Aut eundem Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum non subiisse acerbissimam crucis mortem ut nos a peccatis et ab aeterna morte redimeret et Patri ad vitam aeternam reconciliaret.

791. Leo XIII, *in encyc.* Tametsi futura prospicientibus *(1 nov. 1900)* : Neque enim tam multos abalienaret superbia, aut socordia languefaceret, si divinorum beneficiorum late memoria coleretur, saepiusque repeteret animus, unde hominem Christus eripuit, et quo provexit. Exheres atque exsul tot iam aetates in interitum gens humana quotidie rapiebatur, formidolosis illis aliisque implicata malis, quae primorum parentum pepererat delictum, nec ea erant ulla humana ope sanabilia, quo tempore Christus Dominus, demissus e caelo liberator, apparuit. Eum quidem victorem domitoremque *serpentis* futurum, Deus ipse in primo mundi ortu spoponderat : inde in adventum eius intueri acri cum

expectatione desiderii saecula consequentia ; in eo spem omnem repositam, sacrorum fata vatum perdiu ac luculente cecinerant : quin etiam lecti cuiusdam populi varia fortuna, res gestae, instituta, leges, caeremoniae, sacrificia, distincte ac dilucide praesignificaverant salutem hominum generi perfectam absolutamque in eo fore qui sacerdos tradebatur futurus, idemque hostia piacularis, restitutor humanae libertatis, princeps pacis, doctor universarum gentium, regni conditor in aeternitate temporum permansuri. Quibus et titulis, et imaginibus et vaticiniis specie variis, re concinentibus, ille designabatur unus, qui propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos (Eph. II, 4), pro salute nostra sese aliquando devoveret. Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum pretio vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (I Pet. I, 18-19). Ita omnes in universum homines potestati iam imperioque suo subiectos, quod cunctorum ipse et conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit iuris sui. *Non estis vestri : empti enim estis pretio magno* (I Cor. VI, 19-20). Hinc a Deo instaurata in Christo omnia, *sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (Eph. I, 9).

792. Cum delesset Iesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere caelestes irae ; conturbato errantique hominum generi antiquae servitutis liberata nexa, Dei reconciliata voluntas, reddita gratia, reclusus aeternae beatitudinis aditus, eiusque potiundae et ius restitutum et instrumenta praebita. Tum velut excitatus e veterno quodam diuturno ac mortifero, dispexit homo lumen veritatis concupitum per tot saecula quaesitumque frustra : in primisque agnovit, ad bona se multo altiora multoque magnificentiora natum quam haec sint, quae sensibus percipiuntur, fragilia et fluxa, quibus cogitationes curasque suas antea finierat : atque hanc omnino esse humanae constitutionem vitae, hanc legem supremam, huc tanquam ad finem omnia referenda ; ut a Deo profecti, ad Deum aliquando revertamur. Ex hoc initio et fundamento recreata revixit conscientia dignitatis humanae : sensum fraternae omnium necessitudinis excepere pectora : tum officia et iura, id quod erat consequens, partim ad perfectionem adducta, partim ex integro constituta simulque tales excitatae passim virtutes, quales ne auspicari quidem ulla veterum philosophia potuisset. Quamobrem consilia, actio vitae, mores, in alium abiere cursum : cumque Redemptoris late fluxisset cognitio, atque in intimas

civitatum venas virtus eius, expultrix ignorantiae ac vitiorum veterum, permanasset, tum ea est conversio rerum consecuta, quae, christiana gentium humanitate parta, faciem orbis terrarum funditus commutavit.

793. a) *Error* **Zanini de Solcia** (Pius II, 1459) : Item Iesum Christum non pro redemptione, ob amorem humani generis, sed stellarum necessitate passum et mortuum esse.

b) *PL* Pii X *(1907)* : 38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum Paulina.

794. *De* **potestate Christi in homines**, Leo XIII, *in enc.* Annum sacrum, *25 maii 1899* : Etenim abhinc quinque ferme lustris, cum saecularia sollemnia immınerent iterum instauranda, postea quam mandatum de cultu divini Cordis propagando beata Margarita Maria de Alacoque divinitus acceperat, libelli supplices non a privatis tantummodo, sed etiam ab episcopis ad Pium IX, in id undique missi complures, ut communitatem generis humani devovere augustissimo Cordi Iesu vellet. Differri placuit rem, quo decerneretur maturius : interim devovendi sese singillatim civitatibus data facultas volentibus, praescriptaque devotionis formula. Novis nunc accedentibus causis, maturitatem venisse rei perficiendae iudicamus.

Atque amplissimum istud maximumque obsequii et pietatis testimonium omnino convenit Iesu Christo, quia ipse princeps est ac dominus summus. Videlicet imperium eius non est tantummodo in gentes catholici nominis, aut in eos solum, qui sacro baptismate rite abluti, utique ad Ecclesiam, si spectatur ius, pertinent, quamvis vel error opinionum devios agat, vel dissensio a caritate seiungat : sed complectitur etiam quotquot numerantur christianae fidei expertes, ita ut verissime in potestate Iesu Christi sit universitas generis humani. Nam qui Dei Patris Unigenitus est, eandemque habet cum ipso substantiam, *splendor gloriae et figura substantiae eius* (Hebr. 1, 3), huic omnia cum Patre communia esse necesse est, propterea que quoque rerum omnium summum imperium. Ob eam rem Dei Filius de se ipse apud Prophetam : *Ego autem*, effatur, *constitutus sum rex super Sion montem sanctum eius. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo Tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. II, 6-7). Quibus declarat, se potestatem a Deo accepisse, cum in omnem Ecclesiam quae per Sion montem intelligitur, tum in reliquum terrarum orbem, qua eius late termini proferuntur. Quo autem summa ista potestas fundamento nitatur, satis illa docent, *Filius meus es tu*. Hoc enim ipso quod omnium Regis est Filius, universae potestatis est heres : ex quo illa, *dabo*

Tibi gentes hereditatem tuam. Quorum sunt ea similia, quae habet Paulus apostolus : *Quem constituit heredem universorum* (Heb. 1, 2).

Illud autem considerandum maxime, quid affirmaverit de imperio suo Iesus Christus non iam per apostolos aut prophetas, sed suis ipse verbis. Quaerenti enim romano Praesidi : *Ergo rex es tu?* sine ulla dubitatione respondit : *Tu dicis quia rex sum ego* (Io. XVIII, 37). Atque huius magnitudinem potestatis et infinitatem regni illa ad Apostolos apertius confirmant : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* (Mat. XXVIII, 18). Si Christo data potestas omnis, necessario consequitur, imperium eius summum esse oportere, absolutum, arbitrio nullius obnoxium, nihil ut ei sit nec par nec simile : cumque data sit in caelo et in terra, debet sibi habere caelum terrasque parentia. Re autem vera ius istud singulare sibique proprium exercuit, iussis nimirum Apostolis evulgare doctrinam suam, congregare homines in unum corpus Ecclesiae per lavacrum salutis, leges denique imponere, quas recusare sine salutis sempiternae discrimine nemo posset.

Neque tamen sunt in hoc omnia. Imperat Christus non iure tantum nativo, quippe Dei Unigenitus, sed etiam quaesito. Ipse enim eripuit nos *de potestate tenebrarum* (Col. 1. 13), idemque *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (I Ti. II, 6). Ei ergo facti sunt *populus acquisitionis* (I Pet. II, 9) non solum et catholici et quotquot christianum baptisma rite accepere, sed homines singuli et universi. Quam in rem apte Augustinus : *Quaeritis*, inquit, *quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? quid nisi totus mundus? quid nisi omnes gentes? Pro toto dedit, quantum dedit*[1].

Cur autem ipsi infideles potestate dominatuque Iesu Christi teneantur, causam sanctus Thomas rationemque, edisserendo, docet. Cum enim de iudiciali eius potestate quaesisset, num ad homines porrigatur universos, affirmassetque : *iudiciaria potestas consequitur potestatem regiam*, plane concludit : *Christo omnia sunt subiecta quantum ad potestatem, etsi nondum sunt ei subiecta quantum ad executionem potestatis*[2].

795. *Idem* Leo XIII, *in enc.* Tametsi futura, *1 nov. 1900* : Humanae procreator idemque redemptor naturae, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum, potestatemque summam in homines obtinet cum singulos, tum iure sociatos. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient* (Dan. VII, 14). *Ego autem constitutus sum rex ab eo... Dabo tibi gentes heredi-*

1. Abest hic locus tr. 120 in Io. — 2. III, q. 59, a. 4.

tatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Ps. II, 8). Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatae tantum ea sit sed et publicae dux et magistra vitae.

795 bis. Pius XI *in enc.* Quas primas (1925), *de Christo Rege*: **a)** Ut translata verbi significatione rex appellaretur Christus ob summum excellentiae gradum, quo inter omnes res creatas praestat atque eminet, iam diu communiterque usu venit. Ita enim fit, ut regnare is *in mentibus hominum* dicatur non tam ob mentis aciem scientiaeque suae amplitudinem, quam quod ipse est Veritas, et veritatem ab eo mortales haurire atque obedienter accipere necesse est, *in voluntatibus item hominum*, quia non modo sanctitati in eo voluntatis divinae perfecta prorsus respondet humanae integritas atque obtemperatio, sed etiam liberae voluntati nostrae id permotione instinctuque suo subicit, unde ad nobilissima quaeque exardescamus. *Cordium* denique *rex* Christus agnoscitur ob eius *supereminentem scientiae caritatem* (*Eph.* III, 19) et mansuetudinem benignitatemque animos allicientem: nec enim quemquam usque adeo ab universitate gentium, ut Christum Iesum, aut amari aliquando contigit aut amatum iri in posterum continget. Verum, ut rem pressius ingrediamur, nemo non videt, nomen potestatemque regis, propria quidem verbi significatione, Christo homini vindicari oportere; nam, nisi quatenus homo est, a Patre *potestatem et honorem et regnum* accepisse (*Dan.* VII, 13-14) dici nequit, quandoquidem Dei Verbum, cui eadem est cum Patre substantia, non potest omnia cum Patre non habere communia, propterea que ipsum in res creatas universas summum atque absolutissimum imperium.

Christum esse Regem nonne in Scripturis sacris passim legimus?...

b) Qua ex communi sacrorum Librorum doctrina sequi profecto oportuit, ut catholica Ecclesia, quae est Christi regnum in terris, ad omnes homines terrasque universas utique producendum, Auctorem Conditoremque suum, per annuum sacrae liturgiae orbem, Regem et Dominum et Regem regum, multiplicato venerationis officio, consalutaret. Istas sane honoris significationes, unum idemque per mirificam vocum varietatem sonantes, ut in veteri psallendi ratione atque in antiquis Sacramentariis adhibuit, sic in publicis divinae maiestati precibus cotidie admovendis, inque immolanda immaculata hostia, in praesenti adhibet; in hac vero laudatione Christi Regis perpetua pulcherrimus nostrorum et orientalium rituum concentus facile deprehenditur, ut etiam hoc in genere valeat illud: *Legem credendi lex statuit supplicandi.*

c) Quo autem haec Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistat, apte Cyrillus Alexandrinus animadvertit: *Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura* (*In Luc.*, X)

scilicet eius principatus illa nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant. Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint: nempe ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat. — At vero quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis iure non tantum nativo sed etiam quaesito, scilicet redemptionis, imperare? Servatori enim nostro quanti steterimus, obliviosi utinam homines recolant omnes: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis ;... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati* (*I Petr.* I, 18-19). Iam nostri non sumus, cum Christus *pretio magno* (*I Cor.* VI, 20) nos emerit; corpora ipsa nostra *membra sunt Christi* (*Ibid.*, 15).

d) Iamvero, ut huius vim et naturam principatus paucis declaremus, dicere vix attinet triplici eum potestate contineri, qua si caruerit, principatus vix intellegitur. Id ipsum deprompta atque allata ex sacris Litteris de universali Redemptoris nostri imperio testimonia plus quam satis significant, atque est catholica fide credendum, Christum Iesum hominibus datum esse utique Redemptorem, cui fidant, at una simul legislatorem, cui obediant (Conc. Trid., Sess. VI, can. 21). Ipsum autem evangelia non tam leges condidisse narrant, quam leges condentem inducunt: quae quidem praecepta quicumque servarint, iidem a divino Magistro, alias aliis verbis, et suam in eum caritatem probaturi et in dilectione eius mansuri dicuntur (*Ioan.* XIV, 15; XV, 10). Iudiciariam vero potestatem sibi a Patre attributam ipse Iesus Iudaeis, de Sabbati requieto per mirabilem debilis hominis sanationem violata criminantibus, denuntiat: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* (*Ioan.* V, 22.). In quo id etiam comprehenditur — quoniam res a iudicio disiungi nequit — ut praemia et poenas hominibus adhuc viventibus iure suo deferat. At praeterea potestas illa, quam exsecutionis vocant, Christo adiudicanda est, utpote cuius imperio parere omnes necesse sit, et ea quidem denuntiata contumacibus irrogatione suppliciorum, quae nemo possit effugere.

e) Verumtamen eiusmodi regnum praecipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere, cum ea, quae ex Bibliis supra protulimus, verba planissime ostendant, tum Christus Dominus sua agendi ratione confirmat. Siquidem, non una data occasione, cum Iudaei, immo vel ipsi apostoli, per errorem censerent, fore ut Messias populum in libertatem vindicaret regnumque Israel restitueret, vanam ipse opinionem ac spem adimere et convellere; rex a circumfusa admirantium multitudine renuntiandus, et nomen et honorem fugiendo latendoque detrectare; coram Praeside romano edicere, regnum suum *de*

hoc mundo non esse. Quod quidem regnum tale in evangelus proponitur, in quod homines poenitentiam agendo ingredi parent, ingredi vero nequeant nisi per fidem et baptismum, qui, etsi est ritus externus, interiorem tamen regenerationem significat atque efficit; opponitur unice regno Satanae et potestati tenebrarum, et ab asseclis postulat, non solum ut, abalienato a divitiis rebusque terrenis animo, morum praeferant lenitatem et esuriant sitiantque iustitiam, sed etiam ut semet ipsos abnegent et crucem suam tollant. Cum autem Christus et Ecclesiam Redemptor sanguine suo acquisiverit et Sacerdos se ipse pro peccatis hostiam obtulerit perpetuoque offerat, cui non videatur regium ipsum munus utriusque illius naturam muneris induere ac participare? Turpiter, ceteroquin, erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab eiusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procurationemque olim contempsit, ita eas possessoribus ei tum permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud : *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia* (Hymn. *Crudelis Herodes*, in off. Epiph.). Itaque principatus Redemptoris nostri universos complectitur homines; quam ad rem verba immortalis memoriae decessoris Nostri Leonis XIII Nostra libenter facimus : « Videlicet imperium... universitas generis humani » (Enc. *Annum Sacrum*, d. 25 maii 1899, *supra*, n. 794) Nec quicquam inter singulos hac in re et convictiones domesticas civilesque interest, quia homines societate coniuncti nihilo sunt minus in potestate Christi quam singuli. Idem profecto fons privatae ac communis salutis : *Et non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* iv, 12); idem et singulis civibus et rei publicae prosperitatis auctor germanaeque beatitatis : *Non enim aliunde beata civitas, aliunde homo : cum aliud civitas non sit, quam concors hominum multitudo* (S. Aug., *Ep. ad Macedonium*, c. III.). Nationum igitur rectores imperio Christi publicum reverentiae optemperationisque officium per se ipsi et per populum praestare ne recusant, si quidem velint, sua incolumi auctoritate, patriae provehere atque augere fortunam.

796. *Errores* **Zanini de Solcia** (Pius II, 1459) : (5) Item Iesum Christum, Moysen et Mahometam mundum pro suorum libito voluntatum rexisse. — (11) Et legem denique christianam per successionem alterius legis finem habituram quemadmodum lex Moysi per legem Christi terminata fuit.

IV

DE BEATA VIRGINE MARIA

797. *Quae ad B. V. Mariam spectant primum asserta sunt occasione articuli* Symboli apostolici, *in quo credimus in Christum :* Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine (*cf. passim totam Christologiam*). *Nunc addendum :*

A) De virginitate perpetua B. M. V.

798. Siricius *ep.* (9) Accepi litteras vestras *ad Anysium episc. Thessalonicensem (392) :* (3) Sane non possumus negare de Mariae filiis iure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis aeterni, concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudaicam adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant a sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendunt.

4. Et ubi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem, de Ioanne Evangelista : *Mulier, ecce filius tuus*, et rursus ad Ioannem de Maria : *Ecce mater tua* (Io. xix, 26-7)? Quid sibi istud vult quod, cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna. Aut quid aliud dicitur nisi ut claudat sua ora perfidia et obmutescat ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine tori iura cognoverit (Mt. i, 18). Neque enim eam

susceptúram ex Ioseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium evangelista dicens quod suscepit eam discipulus in sua (Io. XIX, 27). Numquid ergo divortium fecit? numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio quomodo quasi naufragus titubat et fluctuat? Hoc ergo testamentum filii ut de matris integritate, haec Mariae locuples integri pudoris hereditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit et emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis.

799 a) *Error* **Zanini de Solcia** (Pius II, 1459): (6) Necnon eundem Dominum nostrum Iesum illegitimum.

b) Paulus IV, *const.* Quorumdam *(1555), damnat eos qui docent:* Aut eumdem secundum carnem non esse conceptum in utero beatissimae semperque Virginis Mariae de Spiritu Sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph; .... aut eandem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post partum.

B) De sanctitate B. M. V.

1. — De sanctitate in genere.

800. Tridentinum, *sess. VI, de iustificatione, 13 ian. 1547, can. 23:* Si quis hominem semel iustificatum, dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: A. S.

801. *Propositio damnata ab* Alexandro VIII *(1690): 24* Oblatio in templo, quae fiebat a beata Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur), etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.

802. Pius IX, *in bulla* Ineffabilis, *8 decembris 1854:* Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit

per Verbi Incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum, homo, diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater; cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

2. — De immaculata conceptione B. M. V.

803. Sixtus IV, *in Constit.* Cum praeexcelsa, *28 febr. 1476:* Cum praeexcelsa meritorum insignia, quibus regina caelorum, Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus praelata aethereis, sideribus quasi stella matutina praerutilat, devotae considerationis indagine perscrutamur et infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote via misericordiae, mater gratiae et pietatis, amica humani generis consolatrix, pro salute fidelium qui delictorum onere praegravantur, sedula oratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit: dignum quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (cuius providentia eiusdem Virginis humilitatem ab aeterno respiciens, pro reconciliando suo auctori humana natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatae Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei Ecclesia missas et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remis-

sionibus invitare, ut exinde fiant eiusdem Virginis meritis et intercessione divinae gratiae aptiores.

804 *Idem, in Constit.* Grave nimis, *4 sept. 1483* : Sane cum S. Romana Ecclesia de intemeratae semperque Virginis Mariae conceptione publice festum sollemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit : nonnulli, ut accepimus, diversorum ordinum praedicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt eamdem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos; eiusdem immaculatae conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter... Huiusmodi assertiones... utpote falsas et erroneas et a veritate penitus alienas editosque desuper libros praedictos, id continentes, quoad hoc auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus et damnamus... Simili poenae ac censurae subicientes eos qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sede decisum.

805. Tridentinum, *sess. V, 17 iun. 1546, decr. de peccato originali* : Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV, sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

806. Alexander VII, *in bulla* Sollicitudo omnium eccl., *8 dec. 1661* : Vetus est Christifidelium erga eius beatissimam matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Iesu Christi eius filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem sollemni ritu colentium et celebrantium.

807. Pius IX, *in bulla* Ineffabilis Deus, *8 dec. 1854, definitio immaculatae conceptionis B. M. V.* Quare postquam numquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium eius offerre, ut Spiritus

Sancti virtute mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae caelestis curiae praesidio et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suae conceptionis, fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se, proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subicere, si quod corde sentiunt verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

808. *Propositio* Rosminiana *damnata* (Leo XIII, *1887*) : 34. Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

C) De cultu et intercessione B. M. V.

809. *Propositio damnata ab* Alexandro VIII *(1690)* : 26. Laus quae defertur Mariae ut Mariae vana est.

810. Leo XIII, *encyc.* Divinum illud munus, *9 mart. 1897* : Agite, Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus, universae christianae gentes coniungant suas, adhibita conciliatrice potenti et peraccepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe nostis, ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti in Apotsolorum coronam adventum.

811. *Idem, ep.* Fidentem, *20 sept. 1896 : de* **Maria mediatrice apud Mediatorem :** Ecquis vero fiduciam in praesidio et ope Virginis tantopere collocatam, putare velit et arguere nimiam? Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit : *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (I Tim. II, 5-6). At vero si *nihil prohibet*, ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter*[1], cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque Testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tum scilicet cum pacifici sacramenti nuntium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, *loco totius humanae naturae*[2], excepit : ipsa est *de qua natus est Iesus*, vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta *ad Mediatorem Mediatrix*.

812. *De Maria* **matre hominum,** Leo XIII, *ep.* Octobri mense, *22 sept. 1891* : Ubi vero per mysterium Crucis generis nostri salus peracta atque eiusdem administra salutis Ecclesia, triumphante Christo, condita in terris riteque constituta est, novus ex eo tempore in populum novum ordo providentiae Dei incepit valuitque. — Divina consilia addecet magna cum religione intueri. Filius Dei aeternus, cum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam : *Per annuntiationem exspectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae*[3]. Ex quo non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (Io. I, 17), nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente impertiri : ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Matrem, accedere nemo possit ad Christum. — Quantum in hoc Dei consilio et sapientiae et misericordiae elucet! quanta ad

1. S. Th. III, q. 26, aa. 1, 2. — 2. S. Th. III, q. 30, a. 1. — 3. III, q. 30, a. 1.

imbecillitatem fragilitatemque hominis convenientia! Cuius namque bonitatem credimus laudamusque infinitam, eiusdem credimus et veremur iustitiam; et quem amantissimum Servatorem, sanguinis animaeque prodigum, redamamus, eundem non exorabilem iudicem pertimescimus : quare factorum conscientia trepidis opus omnino deprecatore ac patrono, qui et magna ad Deum polleat gratia, et benignitate sit animi tanta, nullius ut recuset desperatissimi patrocinium, afflictosque iacentesque in spem erigat clementiae divinae. Ipsa praeclarissima Maria : potens ea quidem, Dei parens omnipotentis, sed, quod sapit dulcius, facilis, perbenigna, indulgentissima. Talem nobis praestitit Deus, cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto suo Iesus Christus ostendit cum Mariae subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit : talem de cruce praedicavit, cum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris hereditatem, a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere. — Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et Christi testamento ratum, inde ab initio sancti apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt; senserunt item et docuerunt venerabiles Ecclesiae Patres, omnesque in omni aetate christianae gentes unanimae consensere : idque ipsum, vel memoria omni litterisque silentibus, vox quaedam e cuiusque christiani hominis pectore erumpens, loquitur disertissima. Non aliunde est sane quam ex divina fide, quod nos praepotenti quodam impulsu agimur blandissimeque rapimur ad Mariam; quod nihil est antiquius vel optatius, quam ut nos eius tutelam fidemque recipiamus, cui consilia et opera, integritatem et paenitentiam, angores et gaudia, preces et vota, nostra omnia plene credamus; quod omnes iucunda spes et fiducia tenet, fore ut quae Deo minus grata a nobis exhiberentur indignis, ea, Matri sanctissimae commendata, sint grata quam maxime et accepta.

813. Leo XIII *iterum, ep.* Magnae Dei Matris, *7 sept. 1892* : Enimvero cum precando confugimus ad Mariam, ad Matrem Misericordiae confugimus, ita in nos affectam, ut qualicumque necessitate, ad immortalis praesertim vitae adeptionem, premamur, illico nobis et ultro, ne vocata quidem, praesto sit semper, atque de thesauro largiatur illius gratiae qua inde ab initio donata est plena copia a Deo, digna ut eius mater exsisteret. Hac scilicet gratiae copia, quae in multis Virginis laudibus est praeclarissima, longe ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnium proxima : *Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod suf-*

fecit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in Beata Virgine[1]. Et nos igitur, cum gratia plenam angelico praeconio salutamus, eandemque iteratam laudem in coronas rite conectimus, dici vix potest quam gratum optatumque fecerimus: toties enim a nobis memoria quasi excitatur tum dignitatis eius excelsae, tum initae a Deo per ipsam humani generis redemptionis: unde etiam commemorata pendet divina et perpetua necessitudo, qua ipsa cum Christi gaudiis et doloribus, opprobriis et triumphis, tenetur in regendis hominibus iuvandisque ad aeterna. Quod si Christo benignissime placuit tantam nostri praeseferre similitudinem, seque hominis filium atque adeo fratrem nostrum dicere et praebere, quo testatior sua in nos misericordia patesceret, *debuit per omnia fratribus similari ut misericors fieret* (Hebr. II, 17); Mariae non aliter, ex eo quod Christi Domini eiusdemque fratris nostri electa est mater, hoc supra matres omnes singulare inditum est, ut misericordiam nobis proderet effunderet suam. Id praeterea si debemus Christo quod nobiscum eius sibi proprium quodammodo communicarit, Deum vocandi et habendi patrem, eidem similiter debemus communicatum amantissime ius Mariam vocandi et habendi matrem. Quando autem natura ipsa nomen matris fecit dulcissimum, in eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui potest, at probe sentiunt piorum animi, quanta in Maria insideat benevolentiae actuosaeque caritatis flamma, in ea nimirum, quae nobis non humanitus, sed a Christo est mater. Atque multo illa magis nostra omnia habet cognita et perspecta; quibus ad vitam indigeamus praesidiis, quae impendeant publice privatim pericula, quibus in angustiis in malis versemur, quam in primis sit acris cum acerrimis hostibus de salute animae dimicatio; in his autem aliisve asperitatibus vitae, multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium robur auxilia omne genus carissimis filiis afferre. Itaque ad Mariam non timide, non remisse adeamus, per illa obsecrantes materna vincula, quibus cum Iesu itemque nobiscum coniunctissima est, praesentem eius opem quo precationis modo significavit ipsa et peracceptum habet, religiosissime invocemus: tum erit merito in tutela optimae matris securis laetisque animis conquiescendum (cf. n. 815).

1. S. Th. *op.* VIII *super salut. angelica.*

D) De S. Ioseph.

814. Leo XIII, *ep.* Quamquam pluries, *5 aug. 1889*: Cur beatus Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, causae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinclum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est.

815. Iamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribusfamilias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cuiusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri coniugem divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit; res utrique ad victum cultumque necessarias labore suo parare consuevit: vitae discrimen, regis invidia conflatum, prohibuit, quaesito ad securitatem perfugio: in itinerum incommodis exsiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Iesu comes, adiutor, solator exstitit. Atqui domus divina, quam Iosephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo sanctissima quemadmodum Iesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit: itemque Iesus Christus tanquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres.

816. Quibus rebus causa nascitur, cur beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christia-

norum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Iesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et beato Iosepho apprime dignum, ut sicut Ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat.

817. Haec quidem, Venerabiles Fratres, facile intelligitis ex eo confirmari, quod non paucis Ecclesiae patribus, ipsa adsentiente sacra liturgia, opinio insederit, veterem illum Iosephum, Iacobo patriarcha natum, huius nostri personam adumbrasse ac munera, itemque claritate sua custodis divinae familiae futuri magnitudinem ostendisse. Sane praeterquam quod idem utrique contigit nec vacuum significatione nomen, probe cognitae vobis sunt aliae eaedemque perspicuae inter utrumque similitudines : illa imprimis, quod gratiam adeptus est a domino suo benevolentiamque singularem : cumque rei familiari esset ab eodem praepositus, prosperitates secundaeque res herili domui, Iosephi gratia, affatim obvenere. Illud deinde maius, quod regis iussu toti regno summa cum potestate praefuit; quo autem tempore calamitas fructuum inopiam caritatemque rei frumentariae peperisset, aegyptiis ac finitimis tam excellenti providentia consuluit ut eum rex *salvatorem mundi* appellandum decreverit. — Ita in vetere illo Patriarcha huius expressam imaginem licet agnoscere. Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabiliter profuit, sic alter christiani nominis custodiae destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quae vere domus Domini est Deique in terris regnum.

APPENDIX

DE CULTU DIVINO

818. CIC, *c. 1255* : § 1. Sanctissimae Trinitati, singulis eiusdem personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus debetur cultus latriae; Beatae Mariae Virgini cultus hyperduliae; aliis cum Christo in caelo regnantibus cultus duliae. § 2. Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur. — *c. 1256* : Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus*; si minus, *privatus*. — *c. 1257*. Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam tum liturgicos approbare libros. — *c. 1259*, § 2. Loci Ordinarius nequit novas litanias approbare publice recitandas. — *c. 1260*. Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a superioribus ecclesiasticis dependere debent. — *c. 1276*. Bonum atque utile est Dei servos, una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari, sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur. — *c. 1277*, § 2. In album sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur.

819. Tridentinum, sess. XXV, *(3 et 4 dec. 1563)* :

De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus.

Mandat sancta Synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum a primaevis christianae religionis temporibus receptum sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum

atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui negant Sanctos aeterna felicitate in caelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori *unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi* (I Tim. II, 5) vel stultum esse in caelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.

820. Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva *membra* fuerunt *Christi* et *templum Spiritus Sancti* (I Cor. III, 16; VI, 19; II Cor. VI, 16), ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.

821. Imagines porro Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant (Ps. CXXXIV, 15 sq): sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae NICAENAE Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

822. Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit: A. S.

823. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sacra Synodus vehementer cupit, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes sacrae Scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione et imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur; et sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo, tanta circa haec diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat; cum domum Dei deceat sanctitudo (Ps. XCII, 5). Haec ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat quae veritati et pietati consentanea iudicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis

abusus sit exstirpandus; vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat, episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam exspectet; ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

824. *Unde in professione fidei* Pii IV *(1564)* : Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Documenta alia.

825. Apostolicum *(additio posterior)* : Credo sanctorum communionem.

826. Gregorius I, *ep.* Fraternitati, *ad Serenum ep. Massiliensem, iul. 599* : Praeterea indico dudum ad nos pervenisse quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores adspiciens, easdem in ecclesiis imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos ne quid manufactum adorari possit, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur ut hi qui litteras nesciunt saltem in parietibus videndo legant quae legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illa servare et ab eorum adoratu populum prohibere debuit quatenus et litterarum nescii haberent unde scientiam historiae colligerent et populus in picturae adoratione minime peccaret[1].

827. *Concilium Romanum sub* Stephano III, *a. 769* : Si ad sanctorum consortium venire optamus, profecto hic omnia in honore sanctorum sive reliquiae non solum corporum sed et vestimentorum sive basilicas nominibus eorum memoratas, seu etiam imagines et vultus illorum in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus. *Item* : Pavendum est ne sub iconum occasione ad peiora sese status malae assertionis erigat et corpora sanctorum et reliquias martyrum adorari tanquam membra domini ac venerari prohibeat. *Item* : Crucem pro crucifixo in ea Christo adoramus et amplectimur fideliter. *Item* : Si quis sanctas imagines D. N. Iesu Christi et eius genitricis atque omnium sanctorum secundum sanctorum Patrum statuta venerari noluerit a. s.

1. Eadem inculcat in epistola ad eundem 11. 10 (13), PL 77. 1128-29. R. 2270.

828. Nicaenum II, *oecumenicum VII, 787, contra Iconoclastas definitio, actio VII.* Τὴν βασιλικὴν ὥσπερ ἐρχόμενοι τρίβον, ἐπακολουθοῦντες τῇ θεηγόρῳ διδασκαλίᾳ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, καὶ τῇ παραδόσει τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας· τοῦ γὰρ ἐν αὐτῇ οἰκήσαντος ἁγίου Πνεύματος εἶναι ταύτην γινώσκομεν· ὁρίζομεν σὺν ἀκριβείᾳ πάσῃ καὶ ἐμμελείᾳ, παραπλησίως τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἀνατίθεσθαι τὰς σεπτὰς καὶ ἁγίας εἰκόνας, τὰς ἐκ χρωμάτων καὶ ψηφῖδος καὶ ἑτέρας ὕλης ἐπιτηδείως ἐχούσης, ἐν ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις, ἐν ἱεροῖς σκεύεσι καὶ ἐσθῆσι, τοίχοις τε καὶ σανίσιν, οἴκοις τε καὶ ὁδοῖς· τῆς τε τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰκόνος, καὶ τῆς ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας Θεοτόκου, τιμίων τε ἀγγέλων, καὶ πάντων ἁγίων καὶ ὁσίων ἀνδρῶν. Ὅσῳ γὰρ συνεχῶς δι' εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως ὁρῶνται, τοσοῦτον καὶ οἱ ταύτας θεώμενοι διανίστανται πρὸς τὴν τῶν πρωτοτύπων μνήμην τε καὶ ἐπιπόθησιν, καὶ ταύταις ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει· ἀλλ' ὃν τρόπον, τῷ τύπῳ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ καὶ τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἱεροῖς ἀναθήμασι, καὶ θυμιαμάτων καὶ φώτων προσαγωγὴν πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι, καθὼς καὶ τοῖς ἀρχαίοις εὐσεβῶς εἴθισται. Ἡ γὰρ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει καὶ ὁ προσκυνῶν τὴν εἰκόνα προσκυνεῖ ἐν αὐτῇ τοῦ ἐγγραφομένου τὴν ὑπόστασιν.

829. Οὕτω γὰρ κρατύνεται ἡ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν διδασκαλία, εἴτουν παράδοσις τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, τῆς ἀπὸ περάτων εἰς πέρατα

828. Regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem Ecclesiae (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat), definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae dominae nostrae Sanctae Dei genitricis, honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam : ita ut istis, sicuti figurae pretiosae ac vivificae crucis, et sanctis evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.

829. Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio sanctae catholicae Ecclesiae, quae a finibus usque ad fines terrae suscepit

δεξαμένης τὸ εὐαγγέλιον· οὕτω τῷ ἐν Χριστῷ λαλήσαντι Παύλῳ καὶ πάσῃ τῇ θείᾳ ἀποστολικῇ ὁμηγύρει καὶ πατρικῇ ἁγιότητι ἐξακολουθοῦμεν κρατοῦντες τὰς παραδόσεις, ἃς παρειλήφαμεν· οὕτω τοὺς ἐπινικίους τῇ Ἐκκλησίᾳ προφητικῶς κατεπᾴδομεν ὕμνους· Χαῖρε σφόδρα, θύγατερ Σιών, κήρυσσε, θύγατερ Ἱερουσαλήμ· τέρπου καὶ εὐφραίνου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου· περιεῖλε κύριος ἐκ σοῦ τὰ ἀδικήματα τῶν ἀντικειμένων σοι, λελύτρωσαι ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν σου· κύριος βασιλεὺς ἐν μέσῳ σου· οὐκ ὄψει κακὰ οὐκέτι καὶ εἰρήνη ἐπὶ σοὶ εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον.

Τοὺς οὖν τολμῶντας ἑτέρως φρονεῖν ἢ διδάσκειν ἢ κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις ἀθετεῖν, καὶ καινοτομίαν τινὰ ἐπινοεῖν, ἢ ἀποβάλλεσθαί τι ἐκ τῶν ἀνατεθειμένων τῇ Ἐκκλησίᾳ, εὐαγγέλιον, ἢ τύπον τοῦ σταυροῦ, ἢ εἰκονικὴν ἀναζωγράφησιν, ἢ ἅγιον λείψανον μάρτυρος· ἢ ἐπινοεῖν σκολιῶς καὶ πανούργως πρὸς τὸ ἀνατρέψαι ἄν τι τῶν ἐνθέσμων παραδόσεων τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας· ἔτι γε μὴν ὡς κοινοῖς χρῆσθαι τοῖς ἱεροῖς κειμηλίοις ἢ τοῖς εὐαγέσι μοναστηρίοις· ἐπισκόπους μὲν ὄντας ἢ κληρικοὺς καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν, μονάζοντας δὲ ἢ λαϊκοὺς τῆς κοινωνίας ἀφορίζεσθαι.

830. *Actio VIII :* Πιστεύοντες εἰς ἕνα Θεὸν ἐν Τριάδι ἀνυμνούμενον τὰς τιμίας αὐτοῦ εἰκόνας ἀσπαζόμεθα· οἱ μὴ οὕτως ἔχοντες ἀνάθεμα ἔστωσαν.

De hac Nicaena synodo haec habet Fides orientalium *(1743):* Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, imagines Christi ac Deiparae Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

831. *Fides* Nicephori CP *patriarchae (811) :* Ἀποδέχομαι καὶ ἐξαιτοῦ τάς τε πρεσβείας καὶ πρὸς Θεὸν ἐντεύξεις πρῶτον μὲν καὶ ἐξαίρετον τῆς πανσέπτου καὶ παναμώμου καὶ ἀειπαρθένου δεσποίνης ἡμῶν Θεομήτορος, ἔπειτα τῶν θείων καὶ οὐρανίων δυνάμεων, τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων τῶν μακαρίων προφητῶν καὶ ἐνδόξων καὶ καλλινίκων μαρτύρων καὶ θεοφόρων Πατέρων καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων τῷ Κυρίῳ· οἱ ζῶσι διαπαντὸς ἐν αὐτῷ· Ψυχαὶ γὰρ δικαίων ἐν χειρὶ κυρίου· ὡς μεγίστην σωτηρίαν ἐντεῦθεν ψυχῆς καὶ σώματος καρπούμενος. Προσκυνῶ δὲ καὶ περιπτύσσομαι τὰ σεβάσμια αὐτῶν λείψανα ὡς ἰατρεῖον ψυχικῶν τε καὶ σωματικῶν παθημάτων τυγχάνοντα· ἀνυμνῶ οὖν αὐτῶν τὴν σεμνὴν καὶ ἔνθεον πολιτείαν καὶ τοὺς ἀοιδίμους αὐτῶν ἀγῶνας καὶ ἄθλους, γεραίρω τὰς θήκας καὶ ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς στεφανῶ αὐτούς· ὅτι ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος Θεοῦ τὸ αἷμα ἐξέχεαν καὶ τῆς προσκαίρου ζωῆς διὰ τὴν εἰς αὐτὸν ἀγάπην κατεφρόνησαν μιμηταὶ τοῦ ζωοποιοῦ καὶ σωτηρίου πάθους αὐτοῦ γενόμενοι, ἀσπαζόμενος ἅμα τῇ τοῦ πάντων Σωτῆρος Χριστοῦ σεβασμίᾳ εἰκόνι τῆς τε πανάγνου καὶ θεομήτορος καὶ τοὺς σεπτοὺς καὶ ἁγίους αὐτῶν χαρακτῆρας προσνέμων αὐτοῖς τὴν κατὰ τιμὴν προσκύνησιν.

832. CP IV, *oec. VIII (869-70) :* γ'. Τὴν ἱερὰν εἰκόνα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμοτίμως τῇ βίβλῳ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων προσκυνεῖσθαι θεσπίζομεν. Ὥσπερ γὰρ διὰ τῶν ἐμφερομένων ἐν αὐτῇ συλλαβῶν τῆς σωτηρίας τυγχάνομεν ἅπαντες, οὕτω διὰ τῆς τῶν χρωμάτων εἰκονουργίας

---

evangelium. Sic Paulum qui in Christo locutus est (I Thess. II, 3), et omnem divinum apostolicum coetum et paternam sanctitatem exsequimur *tenentes traditiones* (II Thess. II, 14), quas accepimus. Sic triumphales Ecclesiae prophetice canimus hymnos : *Gaude satis filia Sion, praedica filia Ierusalem, iucundare et laetare ex toto corde tuo. Abstulit Dominus a te iniustitias adversantium tibi, redemit te de manu inimicorum tuorum. Dominus rex in medio tui ; non videbis mala ultra* (Soph. III, 14) et pax in te in tempus aeternum.

Eos ergo, qui audent aliter sapere aut docere aut secundum sceleratos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare, vel proicere aliquid ex his, quae sunt Ecclesiae deputata, sive evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris, aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae catholicae, vel etiam quasi communibus uti sacris vasis aut venerabilibus monasteriis : si quidem episcopi aut clerici fuerint, deponi praecipimus ; monachos autem vel laicos a communione segregari.

830. Credentes in unum Deum, in Trinitate collaudatum, honorabiles eius imagines salutamus. Qui sic non habent, anathema sint.

831. Exosculor nihilominus et exspecto sanctorum apud Deum patrocinia et intercessionis ipsius quidem praecipueque sanctissimae et immaculatissimae semper virginis ac dominae nostrae Dei matris, mox vero divinarum caelestiumque virtutum, sanctorum laudatissimorumque apostolorum, beatorum prophetarum, gloriosissimorum invictissimorumque martyrum, divinorum Patrum ac omnium denique sanctorum qui ab initio mundi Domino placuerunt et absque ullo omnino fine in ipso et per ipsum vivant, — animae enim iustorum in manu Dei sunt (Sap. III, 1), — ut qui maximam hinc animae corporisque salutem consequar. Adoro item et exosculor venerandas illorum reliquias quippe quae certam animorum corporumque morbis salutem medicinamque conferunt. Suscipio praeterea ac laudo venerandam divinamque illorum conversationem celeberrimosque eorundem agones et pugnas, honoro quoque et veneror sacrosanctas illorum tumbas et sepulturas, dignos denique illos ipsos censeo qui summis honoribus decorentur maximisque laudibus evehantur, quoniam pro gloria Dei omnium nostrum Salvatoris sanguinem suum profuderunt et hanc ipsam praesentemque vitam ob suam in Deum caritatem animose spreverunt, vivificaeque ac salutares illius perpessiones imitati sunt. Complector itidem suscipioque non solum venerandas Christi omnium Salvatoris nostri icones et venerabiles sanctissimae Dei matris imagines, verum sacras quoque sanctorum omnium effigies eamque venerationem illis exhibeo quam honor eorum merito postulat.

832. Can. 3. Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi et omnium liberatoris et Salvatoris, aequo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quae in libro feruntur,

καὶ σοφοὶ καὶ ἰδιῶται πάντες τῆς ὠφελείας ἐκ τοῦ προχείρου παραπολαύουσιν· ἅπερ γὰρ ὁ ἐν συλλαβῇ λόγος, ταῦτα καὶ ἡ ἐν χρώμασι γραφὴ καταγγέλλει τε καὶ παρίστησιν. Εἴ τις οὖν οὐ προσκυνεῖ τὴν εἰκόνα τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ, μὴ ἴδῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ τὴν τούτου μορφήν. Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν εἰκόνα τῆς ἀχράντου μητρὸς αὐτοῦ καὶ τὰς εἰκόνας τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καθὼς αὐτοὺς χαρακτηρίζει διὰ τῶν λογίων ἡ ἁγία γραφὴ καὶ προσέτι τῶν ἁγίων πάντων καὶ τιμῶμεν καὶ προσκυνοῦμεν· καὶ οἱ μὴ οὕτως ἔχοντες ἀνάθεμα ἔστωσαν.

833. ROMANUM *sub* IOANNE XV *(993), ex bulla canonizationis sancti Udalrici:* Communi consilio decrevimus, memoriam illius, id est sancti Udalrici episcopi, affectu piissimo, devotione fidelissima venerandam: quoniam sic adoramus et colimus reliquias martyrum et confessorum, ut eum, cuius martyres et confessores sunt, adoremus; honoramus servos, ut honor redundet in dominum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit* Mt. x, 40); ac proinde nos qui fiduciam nostrae iustitiae non habemus, illorum precibus et meritis apud clementissimum Deum iugiter adiuvamur, quia divina saluberrima praecepta, et sanctorum canonum ac venerabilium Patrum instabant efficaciter documenta omnium ecclesiarum pio considerationis intuitu, immo apostolici moderaminis nutu, utilitatum commoditatem atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Udalrici iam praefati venerabilis episcopi divino cultui dicata exsistat, et in laudibus Dei devotissime persolvendis semper valeat proficere.

834. LATERANENSE IV, *oec. XII, 1215:*

Cap. 2. Ne reliquiae sanctorum ostendantur extra capsam, ne novae habeantur in veneratione sine Romana Ecclesia.

Cum ex eo, quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales et eas passim ostendunt, christianae religioni detractum sit saepius: ne in posterum detrahatur, praesenti decreto statuimus ut antiquae reliquiae amodo extra capsam nullatenus ostendantur nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae.

---

salutem consequemur omnes, ita per colorum imaginariam operationem et sapientes et idiotae cuncti ex eo quod in promptu est perfruuntur utilitate, quae enim in syllabis sermo, haec et scriptura, quae in coloribus est, praedicat et commendat; et dignum est, ut secundum congruentiam rationis et antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa referuntur, etiam derivative iconae honorentur et adorentur aeque ut sanctorum sacer Evangeliorum liber atque typus pretiosae crucis. Si quis ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam eius, *quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare sanctos suos* (II Thess. 1, 9), sed alienus sit a communione ipsius et claritate; similiter autem et imaginem et intemeratae matris eius et Dei genitricis Mariae, insuper et iconas sanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina Scriptura, sed et laudabilissimorum Apostolorum, Prophetarum, martyrum et sanctorum virorum, simul et omnium Sanctorum, et honoramus et adoramus. Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre et Filio et Spiritu Sancto.

835. *De oratione et piis exercitiis errores* **Wicleff** (MARTINUS V, *1418*): 19. Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus. — 25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

836. *Interrogatio pro Wicleffitis et Hussitis* (MARTINUS V, *1418*): 29. Item, utrum credat et asserat, licitum esse Sanctorum reliquias et imagines a Christi fidelibus venerari.

837. *Post Tridentinum, error damnatus ab* ALEXANDRO VIII (*1690*): 25. Dei Patris [*Vixa add.* sedentis] simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

Errores **synodi Pistoriensis**, damnati a PIO VI (1794):

De convenienti ordine in cultu servando.

838 31. Propositio synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere: — temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia, praesertim Latina, vigenti et probato mori iniuriosa. — 32. Item, praescriptio vetans ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur: — temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori iniuriosa. — 33. Propositio synodi, qua cupere se ostendit ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo;* quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet: — temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus.

Et primum de ordine in cultu Christi.

839 61. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;* quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed

prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur (ex Conc CP. II, oec. V, can. 9, n. 713): — falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.

62. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas; intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata : — falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.

63. Item, in eo, quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae; quasi fideles Cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro : — captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa.

De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

840. 64. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcunque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;* tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis paenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo : — falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt Exercitia vel Missiones..., forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura* : — temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.

De sacris imaginibus.

841. 69. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis : — propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi

nullae exstent, imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae ac tuto permittendae (ex Brevi « *Sollicitudini nostrae* » Benedicti XIV, anni 1745).

70. Item, doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere : — temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult* (ex S. August. epist. 78, clero, senioribus et universae plebi ecclesiae Hipponensis).

71. Item, quae vetat, ne imagines, praesertim beatae Virginis, ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio; quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat : — temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatae praesertim Virgini debitae iniuriosa.

72. Item, quae velut abusum exstirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines : — temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

De festis.

842. 73. Propositio enuntians, novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis et ex falsis notionibus naturae et finis earundem sollemnitatum originem duxisse : — falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos convictis. — 74. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales : ideoque et praeceptum Missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis; quatenus adstruit, episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis, aut indictum [*al.* inductum] Missae audiendae praeceptum abrogare — propositio falsa, iuris Conciliorum generalium et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

De modernistarum placitis, cf. *infra* n. 997.

842 bis. Pius XI, *in enc.* Quas primas (1925) : a) Etenim in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuae sacrorum mysteriorum celebritates quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta; siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt ac docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur : haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum solemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulcritudinemque rituum copiosius imbibat, et, in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat.

b) Est, ceteroqui, litterarum monumentis proditum, celebritates eiusmodi, decursu saeculorum, tum, aliam ex alia, inductas esse, cum id christianae plebis necessitas utilitasve postulare visa est : nempe cum debuit populus aut in communi roborari discrimine aut ab serpentibus haeresum erroribus muniri aut ad recolendum maiore cum studio pietatis aliquod fidei mysterium beneficiumve divinae bonitatis permoveri acrius atque incendi. Itaque, inde a prioribus reparatae salutis aetatibus, cum christiani acerbissime vexarentur, coepti sunt sacris ritibus Martyres commemorari, ut *solemnitates martyrum* — teste Augustino — *exhortationes* essent *martyriorum* (Sermo 47, *De Sanctis*); qui autem sanctis Confessoribus, Virginibus ac Viduis delati postea sunt liturgici honores, ad exacuendo in christifidelibus virtutum studia, vel quietis temporibus necessaria, mirifice ii valuerunt. At potissimum quae in Beatissimae Virginis honorem institutae sunt festorum celebritates, effecere illae quidem, ut populus christianus non modo Dei Genetricem, praesentissimamque Patronam, religiosius coleret, sed etiam Matrem sibi a Redemptore quasi testamento relictam amaret ardentius. In beneficiis vero a publico legitimoque Deiparae et sanctorum caelitum cultu profectis non postremo illud loco numerandum, quod haeresum errorumque luem Ecclesia a se nullo non tempore depulit invicta. Atque hoc in genere Dei providentissimi consilium admiremur, qui, cum ex ipso malo bonum elicere soleat, passus identidem est aut fidem pietatemque popularium remittere aut falsas doctrinas veritati catholicae insidiari, eo tamen exitu, ut haec novo quodam splendore colluceret, illa autem e veterno experrecta ad maiora ac sanctiora contenderet. Nec dissimilem profecto duxere ortum nec fructus peperere dissimiles quae in annuum liturgiae cursum recepta sunt, minus remotis aetatibus, sollemnia : ut, cum Augusti Sacramenti reverentia et cultus deferbuisset, institutum Corporis Christi festum, ita peragendum, ut magnificus

pomparum apparatus et supplicationes in octo dies productae populos ad Dominum publice adorandum revocarent; ut Sacratissimi Cordis Iesu celebritas, tunc inducta, cum Iansenistarum tristitia ac morosa severitate debilitati atque abiecti, animi hominum frigerent penitus et a Dei caritate fiduciaque salutis absterrerentur.

PARS SEXTA

De Iustificatione.

I

ANTE TRIDENTINUM[1]

CARTHAGINIENSE XVI, m. maio 418. [MILEVITANUM, a. 416].
contra **Pelagianos.**

843. Placuit omnibus episcopis... in sancta Synodo Carthaginiensis ecclesiae constitutis :

Can. 1. Ut quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturae, A. S.

Can. 2. Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis « in remissionem peccatorum » non vera, sed falsa intelligatur, A. S. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12), nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt[2] (n. 871-4).

---

1. Cf. n. 1001. — 2. *Additur hic in uno codice : Can. 3.* Item placuit, ut si quis dicit ideo dixisse Dominum : *In domo Patris mei mansiones multae sunt*

Can. 3. Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, qua iustificatur homo per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, A. S.

Can. 4. Item, quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S. Cum enim dicat Apostolus : *Scientia inflat, caritas vero aedificat* (I Cor. VIII, 1), valde impium est, ut credamus, ad eam, quae inflat, nos habere gratiam Christi, et ad eam, quae aedificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus, ut aedificante caritate scientia nos non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est : *Qui docet hominem scientiam* (Ps. XCIII, 10), ita etiam scriptum est : *Caritas ex Deo est* (I Io. IV, 7).

Can. 5. Item placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait : *Sine me* difficilius *potestis facere*, sed ait : *Sine me nihil potestis facere* (Io. XV, 5).

Can. 6. Item placuit, quod ait S. Ioannes Apostolus : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Io. I, 8) : quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, A. S. Sequitur enim Apostolus et adiungit : *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et iustus, qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate* (I Io. I, 9). Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere : Si dixerimus : non habemus peccatum, nos ipsos extollimus et humilitas in nobis non est. Sed cum ait : nos ipsos decipimus, et veritas

---

(Io. XIV, 2), ut intelligatur, quia in regno caelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beati vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum caelorum* (Io. III, 5) ; quis catholicus dubitet participem diaboli fore eum, qui coheres non meruit esse Christi ? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret.

in nobis non est : satis ostendit eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Can. 7. Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos : *Dimitte nobis debita nostra* (Mt. VI, 12), ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores ; et ideo non dicere unumquemque sanctorum : Dimitte mihi debita mea, sed : Dimitte nobis debita nostra ; ut hoc pro aliis potius quam pro se, iustus petere intelligatur, A. S. Sanctus enim et iustus erat Apostolus Iacobus, cum dicebat : *In multis enim offendimus omnes* (Iac. III, 2). Nam quare additum est « omnes », nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo, ubi legitur : *Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Ps. CXLII, 2), et in oratione sapientissimi Salomonis : *Non est homo qui non peccavit* (Eccl. VII, 21), et in libro sancti Iob : *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam* (Iob XXXVII, 7). Unde etiam Daniel sanctus et iustus, cum in oratione pluraliter diceret : *peccavimus, iniquitatem fecimus* (Dan. IX, 5 et 15), et cetera quae ibi veraciter et humiliter confitetur : ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit : *Cum... orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei* (Dan. IX, 20) Domino Deo meo, noluit dicere : peccata nostra, sed peccata populi sui dixit et sua, quoniam futuros istos, qui tam male intelligerent, tanquam propheta praevidit.

Can. 8. Item placuit, ut quicunque ipsa verba dominicae orationis, ubi dicimus : *dimitte nobis debita nostra* (Mt. VI, 12), ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, A. S. Quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit quae sibi dimittantur, debita non habere?

844. Zosimi *Tractoria (a. 418, post Carthaginiense)* : Fidelis Dominus in verbis suis eiusque baptismus re ac verbis, id est opere ac confessione et remissione vera peccatorum, in omni sexu, aetate, conditione generis humani, eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est : *si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Io. VIII, 36). Per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo. Ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductae atque transmissae universae animae, illud propagine contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.

ANONYMI *indiculus contra* Pelagianos.

845. Incipiunt praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates de gratia Dei :

Cap. 3. Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis haereticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare praesumunt et cum Pelagium atque Caelestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quae sacratissima Beati Apostoli sedes Petri contra inimicos gratiae Dei per ministerium praesulum suorum sanxit et docuit, necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanae Ecclesiae de haeresi, quae eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint ; ita ut Africanorum conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites cum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones Sanctorum Patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum conexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat :

Cap. 4. In praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit, pronuntiante beatae memoriae INNOCENTIO papa atque dicente in epistola ad *Carthaginiense* concilium : *Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit ; suaque in aeternum libertate deceptus, huius ruinae iacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, qui per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit.*

Cap. 5. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Quod in eisdem scriptis *eiusdem pontificis* sententia protestatur dicens : *Numquid nos de eorum posthac rectum mentibus aestimemus, qui sibi se putant debere, quod boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?*

Cap. 6. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. Quod *eiusdem antistitis* in eisdem paginis doctrina con-

firmat, dicens : *Nam quamvis hominem redemisset a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana praestans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur.*

Cap. 7. Quod nemo, nisi per Christum, libero bene utatur arbitrio, *idem magister* in epistola ad *Milevitanum* concilium data praedicat dicens : *Adverte tandem, o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur, in praevaricationem praesumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus.*

Cap. 8. Quod omnia studia et omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatae recordationis papae ZOSIMI regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait : *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt : unde nascuntur) ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* Hunc autem sermonem sincerissimae veritatis luce radiantem tanto *Afri episcopi* honore venerati sunt, ut ita ad eundem virum scriberent : *Illud vero, quod in litteris, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens. Nos tamen instinctu Dei etc. ; sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecistis arbitrio, quam quod universa in nostrae humilitatis conscientiam retulistis. Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidistis, veraciter fidenterque dixistis. Ideo utique, quia praeparatur voluntas* a Domino (Prov. VIII, 35, ex LXX), *et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum.* Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt (Rom. VIII, 14), *ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanae singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Cap. 9. Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, *sine quo nihil possumus* (Io. XV, 5). Ad hanc enim nos professionem idem doctor ZOSIMUS instituit, qui, cum ad totius orbis episcopos de divinae gratiae opitulatione loqueretur : *Quod ergo,* ait, *tempus*

intervenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura praesumat, clamante Apostolo : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aëris huius, contra spiritalia nequitiae in caelestibus (Eph. vi, 12). *Et sicut ipse iterum dicit :* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum (Rom. vii, 24 sq). *Et iterum :* Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit; sed plus illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum » (I Cor. xv, 10).

Cap. 10. Illud etiam, quod intra *Carthaginiensis* synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicae Sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est : *Ut quicumque dixerit gratiam Dei... A. S.* (*supra* n. 844 can. 3). — Et iterum quarto capitulo : *Ut quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum,.. ex Deo est* (*supra* n. 844 c. 4). Item quinto capitulo : *Ut quisquis dixerit ideo nobis... potestis facere* (*supra* n. 844 c. 5).

Cap. 11. Praeter has autem beatissimae et Apostolicae Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestiferae novitatis elatione deiecta, et bonae voluntatis exordia et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, *obsecrationum* quoque *sacerdotalium sacramenta* respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut *legem credendi lex statuat supplicandi.* Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut *infidelibus donetur fides,* ut *idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus,* ut *Iudaeis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat,* ut *haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant,* ut *schismatici spiritum redivivae charitatis accipiant,* ut *lapsis paenitentiae remedia conferantur,* ut denique, *catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, caelestis misericordiae aula reseretur.* Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii caritatis suae* (Col. i, 13), et *ex vasis irae* faciat *vasa misericordiae* (Rom. ix, 22, 23). Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Cap. 12. Illud etiam, *quod circa baptizandos in universo mundo*

sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo *princeps mundi huius mittatur foras* (Io. xii, 31), et quomodo *prius alligetur fortis* (Mt. xii, 29), deinceps et *vasa* eius *diripiantur* (Mc. iii, 27), in possessionem translata victoris, qui *captivam ducit captivitatem* (Eph. iv, 8), et *dat dona hominibus* (Ps. lxvii, 19).

His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adiuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et *velle* incipiamus et *facere* (Phil. ii, 13). Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, et velimus et agamus, nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda, donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, *qui sanat omnes languores nostros et redimit de interitu vitam nostram* (Ps. cii, 3-4), et cui quotidie dicimus : *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo* (Mt. vi, 13).

Cap. 13. Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium[1].

846. Leonis I, *ep. 1 ad Aquileiensem episc.*, *c. 442*, *de* **Pelagianis** : 3. Cumque omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem, improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur. Quae utique, nisi gratis detur, non est gratia sed merces retributioque meritorum, dicente beato Apostolo : *Gratia salvi facti estis per fidem et hoc non ex vobis sed Dei donum est. Non ex operibus, ne forte*

1. Cf. infra n. 851

quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus (Eph. II, 8). Omnis itaque bonorum operum donatio, divina praeparatio est : quia non prius quisquam iustificatur virtute quam gratia quae unicuique principium iustitiae et bonorum fons atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur praeveniri ut quae, ante gratiam, proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata, falsumque sit quod Veritas ait : *Quoniam Filius hominis venit quaerere et salvare quod perierat* (Lc. XIX, 10).

847. Lucidi *presbyteri libellus, ex sententia Concilii* Arelatensis, *a. 475*[1](?) *contra* **praedestinatianismum** : Correptio vestra salus publica et sententia vestra medicina est. Unde et ego summum remedium duco, ut praeteritos errores accusando excusem et salutifera confessione me diluam. Proinde iuxta praedicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum qui dicit humanae oboedientiae laborem divinae gratiae non esse iungendum ; qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium libertatis exstinctum ; qui dicit quod Christus Dominus et Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit ; qui dicit quod praescientia Dei hominem violenter impellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate qui pereunt ; qui dicit quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit ; qui dicit alios deputatos ad mortem alios ad vitam praedestinatos ; qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturae, in adventum Christi fuisse salvatos et quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint ; qui dicit patriarchas ac prophetas vel summos quosque sanctorum, etiam ante redemptionis tempora intra paradisum deguisse. Haec omnia quasi impia et sacrilegiis repleta condemno. Ita autem assero gratiam Dei ut adnisum hominis et conatum gratiae semper adiungam et libertatem voluntatis humanae non exstinctam sed attenuatam et infirmatam esse pronuntiem et periclitari eum qui salvus est et eum qui periit potuisse salvari.

Christum etiam Deum et Salvatorem, quantum pertinet ad divitias bonitatis suae pretium mortis pro omnibus obtulisse et quia nullum perire velit qui est salvator omnium maxime fidelium, *dives in omnibus qui invocant illum* (Rom. X, 12). Et quia in tantis rebus conscientiae satisfaciendum, memini me ante dixisse quod Christus pro his tantum quos credituros praescivit advenisset, sententias dominicas sequens quibus ait : *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et animam suam redemptionem dare pro multis* (Mt. XX, 28). Et illud :

1. Cf. Hefele, t. II, § 212.

Hic est calix sanguinis mei Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Lc. XXII, 20), vel illud Apostoli : *Sicut statutum est hominibus mori ita et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (Heb. IX, 27-28). Nunc vero sacrorum testimoniorum auctoritate quae abunde per spatia divinarum inveniuntur Scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solum qui videntur esse salvati immensae divinae bonitatis ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos quos pro redemptione contempta constat esse puniendos. Assero etiam per rationem et ordinem saeculorum alios lege gratiae, alios lege Moysi, alios lege naturae, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos ; tamen ab initio mundi, ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis non absolutos. Profiteor etiam aeternos ignes et infernales flammas factis capitalibus praeparatas, quia perseverantes humanas culpas merito sequitur divina sententia, quam iuste incurrunt qui haec non toto corde crediderint. Orate pro me, domini sancti et apostolici patres.

Lucidus presbyter hanc epistolam meam manu propria subscripsi et quae in ea adstruuntur assero et quae sunt damnata damno.

848. Gelasius I *(492-96), in Dictis adversus* **Pelagianam** *haeresim :*

Lapsus hominis : 28. Hinc illa felicitas paradisi primis hominibus constare non potuit ; hinc illa primae conditionis integritas, dum ita de se fidit, tanquam ipso qui condiderat non egeret, nec de praeceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis quae sumpserat poscit auxilium, nec ad eum, etiam pulsata tentatoris accessu, devota concurrit et consulit suaeque se credit inter prospera voluntati, facile sine praesidio Creatoris patuit deceptoris insidiis et in praevaricationem tractata consequenter illiciti conditionem praefixae mortis invenit meritoque est competenti subiecta vindictae, quoniam nec de bonis fuerat devota retinendis nec malum praecaverat ante praeditum, dum per maioris ambitum potestatis, Deum se scilicet fore praesumens, foveas hostilis persuasionis incurrit, et quae, si suo ordine mansisset grata factori, perpetuum summae commercium deitatis potuisset apprehendere, competenter sine debito summae divinitati officio captiosa promissione frustrata ad divinitatem non potuit pervenire — 29. Sic ergo sine illius principali ac summae rationis affectu, quae in bonis semper retinendis contrariisque refutandis intemerata persistit, ad cuius utique similitudinem rationale fuerat animal institutum, ut eam pro suo modulo congruis actionibus imitando ipsiusque servando reverentiam,

subsequendoque gratiam, ut vere similitudo eius et imago permaneret, obtinere potuisset fieretque divinae rationis tanquam suae parentis et auctoris digna consortio et per hoc nihilominus utpote particeps aeternitatis aeterna constaret, dum sua, qua creata fuerat, dignitate confidit sibique se putat in eo quod erat facta, sufficere nec subdita veneratur devotione factorem et ab illius participatione discessit et in se ipsa sine illo in quo habebat subsistere posse, non constitit, atque ita ordinem legitimae rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum, per verisimilitudinem ratiocinationis, qua Deum se fieri posse credebat, abducta est et illius privatione quae sempiterna vita est, in istam recidit, quae sine fonte vitae vitam perpetuam retinere non posset.

849. *Reparatio per Christum :* 34. Auctor ergo bonus, ut bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret, inferioris creaturae suae miseratus offensam, quod spiritalis substantia quae et sui et alterius processerat ipsa deceptrix, atque in sua nequitia perseverans omnino consequi digna non fuerat, terrenae condicionis et per fraudem deceptae substantiae naturam pariter clementer suscepit et causam sicque, ut nunc breviter explicemus, competenti ipsam dispensatione reparare proponens, ut in seipso haec eadem natura, quae per inoboedientiam mortua (*ms.* mortis) erat, rediret ad vitam, solus ipse peccati nescius in substantia, quam post peccatum restaurandam potenti benignitate susceperat, ut indebitam mortem, quam sine peccato utique non debebat, pro his qui per peccatum debitores mortis exstiterant, imputaret, simulque diabolum hominis deceptorem, qui consentientem sibi subditum per divinam tenebat iure sententiam, per iustitiam nihil ei reddere iam debentem... (*lacuna*) et cum occidisset eum, in quem sine peccato licentiam non haberet, merito ei vice mutua subiugaretur addictus, quique se humanae substantiae utpote captivae suae dominum Deumque iactabat, huic et iusto pariter et Deo vero mutuo subderetur.

850. *De permanentia concupiscentiae :* 36. Intererat enim aequitatis immensae ut non abrupte divina potentia diabolus sed ipsius hominis etiam, quem se prostravisse iactabat, iustitia vinceretur. quibus non satis habuit reparator excelsus ut ipse tantummodo in ea natura quam sumpserat, gereret de hoste humani generis hunc triumphum (quid enim praestaretur universae nostrae creaturae, si victor diaboli solus Christus exsisteret ?); tribuit ergo fidelibus suis dignanter immensa pietate consortium, tribuit per gratiam suam fidemque collatam, ut hominum milia ineffabilis compendio sacramenti participatum eius adquirerent renovataeque in suo Salvatore naturae facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. — 37. Itaque contra superbum spiritum permanentem hac est provisum curatione salvandis ut competentibus modis ad suae conditionis integritatem pro-

ficerent dignitatemque caelestem, quatenus elationis exitialis affectum, qui non solum humanam, sed ipsam quoque sicut dictum est, angelicam prostraverat ante naturam, humanitate necessaria medicinaliter declararet ad integritatem reparandam, quippe post lapsum carere debuit illo malo quo integra perstare nequiverat. — 38. Oportebat autem ut ipsa quoque rationabilis humana creatura, quod propria voluntate perdiderat, etiam secundum Dei gratiam propria reciperet voluntate et quae sine merito curabatur, tribueretur ei ut etiam hoc sequeretur ex merito. Propterea maluit singularis ille Salvator profici potius in infirmitate virtutem quam prorsus sine infirmitate vel de se confidentem vel auctoris negligentem fieri humanam substantiam sine infirmitate securam.

851. Hormisdae *ad Possessorem*, *ep.* Sicut rationi *(13 aug. 520) :* 5. De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati *Augustini* et maxime *ad Hilarium et Prosperum* possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur quae si tibi desunt et necessaria creditis destinabimus, quanquam qui diligenter apostoli dicta considerat quid sequi debeat evidenter cognoscat *(supra, n. 845).*

852 Arausicanum II. *a. 529 :*

De peccato originali, gratia et praedestinatione[1].

Cum ad dedicationem basilicae quam illustrissimus praefectus et patricius filius noster Liberius, in Arausica civitate, fidelissima devotione construxit, Deo propitiante et ipso invitante convenissemus, et de rebus quae ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio, pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia et libero arbitrio per simplicitatem minus cautam et non secundum fidei catholicae regulam sentire velint. Unde id nobis secundum admonitionem et auctoritatem Sedis Apostolicae iustum ac rationabile visum est ut pauca capitula, ab Apostolica Sede nobis transmissa, quae ab antiquis patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac praecipue causa collecta sunt ad docendum eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre et manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis qui hucusque non sicut oportebat de gratia et libero arbitrio credidit ad ea que fidei catholicae conveniunt, animum suum inclinare non differat.

853. Can. 1. Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum,

---

1. Maassen, *Concilia*, I. 146-54 ; M 8. 712-24, ubi redactio prima quae Romam missa est : *Capitula sancti Augustini in urbe Roma transmissa* ; altera redactio longior in Pitra *Analecta* V. 161-62.

id est secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, *Pelagii* errore deceptus, adversatur Scripturae dicenti : *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur* (Ez. xviii, 20); et : *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis?* (Rom. vi, 16); et : *A quo quis superatur, eius et servus addicitur* (II Pet. ii, 19) [871.1].

Can. 2 Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12) [871.2].

Can. 3. Si quis, invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae Prophetae, vel Apostolo idem dicenti : *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant* (Rom. x, 20; cf. Is. lxv, 1).

Can. 4 Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti : *Praeparatur voluntas a Domino* (Prov. viii, 35) et Apostolo salubriter praedicanti : *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (Phil. ii, 13).

Can. 5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, et ad regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente : *Confidimus, quia qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi* (Phil. i, 6), et illud : *Vobis datum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini* (Phil. i, 29), et : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est* (Eph. ii, 8). Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

Can. 6 Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, orantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut opor-

tet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut oboedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec, ut oboedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : *Quid habes, quod non accepisti?* (I Cor. iv, 7), et : *Gratia Dei sum id quod sum* (I Cor. xv, 10).

Can. 7. Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : *Sine me nihil potestis facere* (Io. xv, 5) et illud Apostoli : *Non quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II Cor. iii, 5).

Can. 8. Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de praevaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certe ita laesum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis aeternae per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi *quem Pater attraxerit* (Io. vi, 44), sicut et Petro dicit : *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est* (Mt. xvi, 17); et Apostolus : *Nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in Spiritu Sancto* (I Cor. xii, 3).

854. Can. 9. *De adiutorio Dei.* Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus, quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur[1].

Can. 10. *De adiutorio Dei.* Adiutorium Dei etiam renatis ac sanatis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

Can. 11. *De obligatione votorum.* Nemo quidquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit quod voverit, sicut legitur : *Et quae de manu tua accepimus, damus tibi* (I Par. xxix, 14)[2].

Can. 12. *Quales nos diligat Deus.* Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito[3].

Can. 13. *De reparatione liberi arbitrii.* Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest repa-

1. Prosperi sent. 22. — 2. *Id.* 24. — 3. *Id.* 56.

rari : quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde Veritas ipsa dicit : *Si vos Filius liberavit, tunc vere liberi eritis* (Io. VIII, 36)[1].

Can. 14. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut dicit Psalmista : *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine* (Ps. LXXVIII, 8), et illud : *Deus meus, misericordia eius praeveniet me* (Ps. LVIII, 11)[2].

Can. 15. Ab eo, quod formavit Deus, mutatus est Adam, sed in peius per iniquitatem suam. Ab eo, quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricatoris primi, haec secundum Psalmistam *mutatio est dexterae Excelsi* (Ps. LXXVI, 11)[3].

Can. 16. Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit ; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut Apostolus dicit : *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. II, 21) ; *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (Eph. IV, 8). Inde habet, quicumque habet ; quisquis autem inde se habere negat, aut vere non habet, aut id *quod habet, aufertur ab eo* (Mt. XXV, 29)[4].

Can. 17. *De fortitudine christiana.* Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quae *diffusa est in cordibus nostris*, non per voluntatis arbitrium, quod est a nobis, sed *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (Rom. V, 5)[5].

Can. 18. *Nullis meritis gratiam praeveniri.* Debetur merces bonis operibus, si fiant : sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant[6].

Can. 19. *Neminem nisi Deo miserante salvari.* Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuvante, servaret : unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit[7]?

Can. 20. *Nihil boni hominem posse sine Deo.* Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat ut faciat homo[8].

Can. 21. *De natura et gratia.* Sicut iis, qui volentes in lege iustificari, et a gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus : *Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. II, 21) : sic et iis,

1. Prosp. sent. 152. — 2. *Id.* 211 vel 212. — 3. *Id.* 225 vel 226. — 4. *Id.* 259 vel 260. — 5. *Id.* 297 vel 295. — 6. *Id.* 299 vel 297. — 7. *Id.* [illegible] vel 308. — 8. *Id.* 314 vel 312.

qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur : Si per naturam iustitia est, *ergo Christus gratis mortuus est.* Iam hic enim erat lex, et non iustificabat : iam hic erat et natura, et non iustificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur, qui dixit : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (Mt. V, 17) et natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit, venisse se *quaerere et salvare, quod perierat* (Lc. XIX, 10)[1].

Can. 22. *De his quae hominum propria sunt.* Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via[2].

Can. 23. *De voluntate Dei et hominis.* Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet; quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo et praeparatur et iubetur quod volunt[3].

Can. 24. *De palmitibus vitis.* Ita sunt in *vite palmites* (Io. XV, 5), ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant : sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret iis, non sumat ab iis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam praeciso palmite, potest de viva radice alius pullulare, qui autem praecisus est, sine radice non potest vivere[4].

Can. 25. *De dilectione qua diligimus Deum.* Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. *Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus* (Rom. V, 5) Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio[5].

855. Ac sic secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante et praedicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiae divinae praevenerit. Unde et in Abel iustum et Noe et Abraham et Isaac et Iacob, et omnem antiquorum Patrum multitudinem illam praeclaram fidem, quam in ipsorum laude praedicat Apostolus Paulus (Heb. XI), non per bonum naturae, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gra-

1. Prosp. sent. 317 vel 315. — 2. *Id.* 325 vel 323. — 3. *Id.* 340 (?), 348, 346. — 4. *Id.* 368, 366, 364. — 5. *Id.* 372, 370, 360.

tiam Dei credimus fuisse collatam : quam gratiam etiam post adventum Domini omnibus, qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul et credimus largitate conferri, secundum illud, quod saepe iam dictum est et praedicat Paulus Apostolus : *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro eo patiamini* (Phil. I, 29); et illud : *Deus qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri* (Phil. I, 6), et illud : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est* (Eph. II, 8); et quod de se ipso ait Apostolus : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (I Cor. VII, 25, I Tim. I, 13). Non dixit, qui eram, sed ut essem. Et illud : *Quid habes, quod non accepisti?* (I Cor. IV, 7). Et illud : *Omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Iac. I, 17). Et illud : *Nemo habet quidquam nisi illi datum fuerit desuper* (Io. III, 27). Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quae possent ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio praetermissa sunt, quia et revera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod post acceptam per baptismum gratiam omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus [862, can. 3].

Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adiuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quae sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit (Lc. XXIII, 43), et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est (Act. X, 3), et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit (Lc. XIX, 6), illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae gratiae largitate donata.

856. BONIFATII II *approbatio* ARAUSICANI II, *in ep. ad Caesarium Arelatensem*, Per filium nostrum, *25 ian. 531* :

Indicas enim quod aliqui episcopi Galliarum cum cetera iam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum qua in Christo credimus, naturae esse velint non gratiae et hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiae divinae largitate conferri, postulans

ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram qua vos e diverso fidem rectam in Christo totiusque bonae voluntatis initium iuxta catholicam veritatem, per praevenientem Dei gratiam, singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicae firmaremus.

857. 2. Atque ideo cum de hac re multi patres et prae ceteris beatae recordationis *Augustinus* episcopus, sed et maiores nostri Apostolicae Sedis antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici, maxime cum secundum eas quas in apostolo direxisti sententias, quibus dicit : *Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem* (I Cor. VII, 25) et alibi : *Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis verum etiam ut pro eo patiamini* (Phil., I, 29), evidenter appareat fidem qua in Christo credimus sicut et omnia bona, singulis hominibus ex dono supernae venire gratiae non ex humanae potestate naturae. Quod etiam Fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus sensisse catholicam, in his scilicet in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt fidem qua in Christo credimus, gratia divinitatis praeveniente conferri; adicientes etiam nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle aut incipere aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro : *Sine me nihil potestis facere* (Io. XV, 5). Certum est enim atque catholicum quia in omnibus bonis quorum caput est fides nolentes nos misericordia divina praeveniat ut in fide duremus, sicut David propheta dicit : *Deus meus misericordia eius praeveniet me* (Ps. LVIII, 11) et iterum : *Misericordia mea cum ipso est* (Ps. LXXXVIII, 25) et alibi : *Misericordia eius subsequitur me* (Ps. XXII, 6). Similiter et beatus Paulus dicit : *Aut quis prior dedit illi et retribuetur illi? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (Rom. XI, 35-6). Unde nimis eos qui contra sentiunt admiramur usque eo vetusti erroris adhuc reliquiis praegravari ut ad Christum non credant Dei beneficio sed naturae veniri; et ipsius naturae bonum quod Adae peccato noscitur depravatum, auctorem nostrae fidei dicant magis esse quam Christum, nec intelligant se dominicae reclamare sententiae dicenti : *Nemo venit ad me nisi datum fuerit illi a Patre meo* (Io. VI, 44) sed et beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hebraeos : *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum* (Hebr. XII, 1-2). Quae cum ita sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanae deputent voluntati, cum Christus auctor consummatorque sit fidei.

858. 3. Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam con-

fessionem vestram consentaneam catholicis patrum regulis approbamus. Illos autem qui, praecedente fide, cetera, sicut indicas, volunt gratiae deputare, sua professione constringimus ut multo magis dono gratiae etiam fidem cogantur adscribere, praeter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari; sicut beatus Apostolus dicit: *Omne quod non est ex fide peccatum est* (Rom. XIV, 23). Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiae deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur, aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiae deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratia, nullum, quod absit, bonum erit gratiae deputandum. Ait enim Iacobus apostolus: *Omne donum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum* (Iac. I, 17). Et ipsi fatentur, ut dicis, dona cetera donari per gratiam; ipsa autem bona fide subsistere non ambigunt. Universa ergo necessario fides erit gratiae deputanda, a qua bonum quod gratiae tribuunt separare non possunt.

859. *De incertitudine salutis*, GREGORIUS I, *ep. ad Gregoriam, 25 iun. 597:* Secura de peccatis tuis fieri non debes nisi cum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere debes culpas atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus apostolus iam ad tertium caelum ascenderat, in paradiso quoque ductus fuerat, arcana verba audierat quae loqui homini non liceret, et tamen adhuc trepidans dicebat: *Castigo corpus meum et servituti subicio, ne forte aliis praedicans ipse reprobus efficiar* (I Cor. IX, 27). Adhuc timet qui iam ad caelum ducitur, et iam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende, quaeso, dulcissima filia, quia mater neglegentiae solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes spem per quam neglegens reddaris. Scriptum est: *Beatus vir qui semper est pavidus* (Prov. XXVIII, 14) et rursum scriptum est: *Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore* (Ps. II, 11). In pauco ergo huius vitae tempore, mentem vestram necesse est ut tremor teneat quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exsultet.

860. *De peccato originali*, IOANNES IV, *ep. ad Scotos* (640): Primum quidem blasphemia et multiloquium est dicere esse hominem sine peccato, quod omnino non potest nisi unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus et partus. Nam ceteri homines cum peccato originali nascentes testimonium praevaricationis Adae (etiam sine peccato actuali exsistentis), portare noscuntur, secundum prophetam dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea* (Ps. L, 6).

861. CARISIACENSE I (853), contra **Gottschalk et Praedestinatianos:**

Cap. 1. Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, et in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiae permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peccavit et cecidit, et factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus et iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum praescientiam suam quos per gratiam praedestinavit (Rom. VIII, 29; Eph. I, 11) ad vitam, et vitam illis praedestinavit aeternam; ceteros autem, quos iustitiae iudicio in massa perditionis reliquit, perituros praescivit, sed non ut perirent praedestinavit; poenam autem illis, quia iustus est, praedestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei praedestinationem tantummodo dicimus, quae aut ad donum pertinet gratiae aut ad retributionem iustitiae.

Cap. 2. Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: et habemus liberum arbitrium ad bonum, praeventum et adiutum gratia, et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum et gratia de corrupto sanatum.

Cap. 3. Deus omnipotens *omnes homines* sine exceptione *vult salvos fieri* (I Tim. II, 4), licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

Cap. 4. Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod vero omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem et pretii copiositatem, sed ad infidelium et ad non credentium ea fide, *quae per dilectionem operatur* (Gal. V, 6), respicit partem; quia poculum humanae salutis quod confectum est infirmitate nostra, et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

862. VALENTINUM III (855), contra **Ioannem Scotum:**

Cap. 1. Quia doctorem gentium in fide et veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (I Tim. VI, 20-21); et iterum: *Profana autem et inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (II Tim. II, 16-17); et iterum: *Stultas autem et sine disciplina quaestiones devita, sciens quia generant lites: servum autem Domini non oportet litigare* (II Tim. II, 23-24); et iterum: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* (Phil. II, 3):

paci, quantum Deus dederit, et caritati studere cupientes, attendentes pium eiusdem Apostoli consilium: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Eph. IV, 3), novitates vocum et praesumptivas garrulitates, unde potius inter fratres contentionum et scandalorum fomes excitari potest, quam aedificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus. Indubitanter autem doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacrae Scripturae lucidissimis expositoribus, id est *Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino*, ceterisque in catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum et obtemperanter intellectum submittimus, et pro viribus, quae ad salutem nostram scripserunt, amplectimur. Nam de praescientia Dei, et de praedestinatione, et de quaestionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiae visceribus nos hausisse gaudemus.

Can. 2. Deum praescire et praescisse aeternaliter et bona, quae boni erant facturi, et mala, quae mali sunt gesturi, quia vocem Scripturae dicentis habemus: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (Deut. XIII, 42), fideliter tenemus, et placet tenere, bonos praescisse omnino per gratiam suam bonos futuros, et per eandem gratiam aeterna praemia accepturos; malos praescisse per propriam malitiam malos futuros, et per suam iustitiam aeterna ultione damnandos: ut secundum Psalmistam: *Quia potestas Dei est, et Domini misericordia, ut reddat unicuique secundum opera sua* (Ps. LXI, 12), et sicut apostolica doctrina se habet: *His quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: his autem, qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (Rom. II, 7-9). In eodem sensu idem alibi: *In revelatione*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi de caelo cum angelis virtutis eius, in igne flammae dantis vindictam his, qui non noverunt Deum, et qui non oboediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas,... cum venerit glorificari in Sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt* (II Th. I, 7-10). Nec prorsus ulli malo praescientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicut Deus, qui novit omnia antequam fiant, praescivit ex sua omnipotenti et incommutabili maiestate. Nec ex praeiudicio eius aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt.

Can. 3. Sed et de praedestinatione Dei placuit, et fideliter placuit

iuxta auctoritatem apostolicam, quae dicit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (Rom. IX, 21) ubi et statim subiungit: *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae aptata* sive praeparata *in interitum, ut ostenderet divitias gratiae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam* (Rom. IX, 22-23): fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium. Praedestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quae ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat secundum Scripturam dicentem: *Qui fecit, quae futura sunt* (Is. XLV, 11): in malis vero ipsorum malitiam praescivisse, quia ex ipsis est, non praedestinasse, quia ex illo non est. Poenam sane malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, praescivisse et praedestinasse, quia iustus est, apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa praescientia. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum: *Parata sunt derisoribus iudicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* (Prov. XIX, 29). De hac immobilitate praescientiae et praedestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt, etiam apud Ecclesiasten bene intelligitur dictum: *Cognovi, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum. Non possumus his addere nec auferre, quae fecit Deus, ut timeatur* (Eccle. III, 14). Verum aliquos ad malum praedestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut ARAUSICA synodus, illis anathema dicimus (n. 855).

Can. 4. Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui aeterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne* (Os. XIII, 14): illud nobis simpliciter et fideliter tenendum ac docendum placet iuxta evangelicam et apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Io. III, 14-15), et Apostolus: *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhau-*

rienda peccata (Hebr. IX, 28). Porro capitula[1] XIX syllogismis ineptissime conclusa et, licet iactetur, nulla saeculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potius quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, et ut talia et similia caveantur per omnia, auctoritate Spiritus Sancti interdicimus; novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus.

Can. 5. Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium *ex aqua et Spiritu Sancto* (Io. III, 5) regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiae incorporata, et iuxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in eius sanguine sit a peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio, cum in Ecclesiae sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum alios salvari aeterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Mt. X, 22): alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina vel vita, quam servare elegerunt, ad plenitudinem salutis et ad perceptionem aeternae beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii Doctoris habemus: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. VI, 3), et: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (Gal. III, 27), et iterum: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* (Hebr. X, 22-23), et iterum: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia* (Hebr. X, 26), et iterum: *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit?* (Hebr. X, 28 29).

Can 6. Item de gratia, per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus

1. *Addit Valentinum:* quattuor quae a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem vel etiam noxietatem, et errorem contrarium veritati: sed et alia — *haec, contra 4 Carisiacensia capitula, postea expuncta sunt in conc. Lingonensi, a. 859.*

eius redintegrato et sanato, idipsum constantissimi et fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod AFRICANA (n. 843), quod ARAUSICA (n. 852 sq.) synodus professa est, quod beatissimi *Pontifices Apostolicae Sedis* (n. 845) catholica fide tenuerunt, sed et de natura et gratia, in aliam partem nullo modo declinare praesumentes. Ineptas autem quaestiunculas, et aniles paene fabulas, *Scotorumque pultes* puritati fidei nauseam inferentes, quae periculosissimis et gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem caritatis miserabiliter et lacrimabiliter succreverunt, ne mentes christianae inde *corrumpantur et excidant a simplicitate* et castitate fidei, *quae est in Christo* (II Cor. XI, 3) Iesu, penitus respuimus, et ut fraterna caritas cavendo a talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, et paleis levium hominum se durissime suffocari. Haec vincere fervent, haec corrigere laboret, et superfluis coetum pie dolentium et gementium non oneret: sed potius certa et vera fide, quod a sanctis Patribus de his et similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur.

863. LEONIS IX *fides* (*1053*): (Credo) Deum praedestinasse solummodo bona, praescivisse autem bona malaque. Gratiam Dei praevenire et subsequi hominem credo et profiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturae non denegem. Animam non esse partem Dei sed ex nihilo creatam et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et praedico.

864. **Abaelardi** *errores* (SENONENSE, *1141*): 6. Quod liberum arbitrium per se sufficit ad aliquod bonum.

9. Quod non contraximus culpam ex Adam sed poenam tantum.

10. Quod non peccaverunt qui Christum ignorantes crucifixerunt et quod non culpae adscribendum est quidquid fit per ignorantiam.

13. Quod propter opera nec melior nec peior efficiatur homo.

19*. Quod nec opus nec voluntas neque concupiscentia neque delectatio, cum movet eam, peccatum sit, nec debemus velle eam extinguere.

865. *Errores* **Beguardorum** *de perfectione et beatitudine* (VIENNENSE *et* CLEMENS V *1311-12*.): 1° Quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit: nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2° Quod ieiunare non oportet hominem nec orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subiecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet.

6° Quod se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

8° Quod in elevatione corporis Iesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere : asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suae contemplationis tantum descenderent quod circa ministerium seu sacramentum Eucharistiae aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

866 *Errores* **Ekardi** (Ioannes XXII, *const.* In agro dominico, *27 mart. 1329*) *de vita spirituali et iustitia christiana* : 4. Item in omni opere, etiam malo, malo inquam tam poenae quam culpae, manifestatur et relucet aequaliter gloria Dei.

5. Item vituperans quempiam vituperio ipso peccato vituperii laudat Deum, et quo plus vituperat et gravius peccat, amplius Deum laudat.

6. Item Deum ipsum quis blasphemando Deum laudat.

7. Item quod petens hoc aut hoc malum petit et malo, quia negationem boni et negationem Dei petit, et orat Deum sibi negari.

8. Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec praemium, nec regnum caelorum, sed omnibus his renuntiaverunt, etiam quod suum est, in illis hominibus honoratur Deus.

9. Ego nuper cogitavi utrum ego vellem aliquid recipere a Deo vel desiderare : ego volo de hoc valde bene deliberare, quia ubi ego essem accipiens a Deo, ibi essem ego sub eo vel infra eum, sicut unus famulus vel servus, et ipse sicut dominus in dando et sic non debemus esse in aeterna vita.

10. Nos transformamur totaliter in Deum et convertimur in eum; simili modo sicut in sacramento panis convertitur in corpus Christi, sic ego convertor in eum quod ipse me operatur suum esse unum, non simile; per viventem Deum verum est quod ibi nulla est distinctio.

11. Quidquid Deus Pater dedit Filio suo unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi : hic nihil excipio, nec unionem nec sanctitatem, sed totum dedit mihi sicut sibi.

12. Quidquid dicit sacra Scriptura de Christo, hoc etiam totum verificatur de omni bono et divino homine.

13. Quidquid proprium est divinae naturae, hoc totum proprium est homini iusto et divino; propter hoc iste homo operatur quidquid Deus operatur, et creavit una cum Deo caelum et terram, et est generator Verbi aeterni, et Deus sine tali homine nesciret quidquam facere.

14. Bonus homo debet sic conformare voluntatem suam voluntati divinae, quod ipse velit quidquid Deus vult : quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem ego quod ego peccata non commisissem et haec est vera paenitentia.

15. Si homo commisisset mille peccata mortalia, si talis homo esset recte dispositus, non deberet velle se ea non commisisse.

16. Deus proprie non praecipit[1] actum exteriorem.

17. Actus exterior non est proprie bonus nec divinus, nec operatur ipsum Deus proprie neque parit.

18. Afferamus fructum actuum non exteriorum, qui nos bonos non faciunt, sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit et operatur.

19. Deus animas amat, non opus extra.

20. Quod bonus homo est unigenitus Filius Dei.

21. Homo nobilis est ille unigenitus Filius Dei, quem Pater aeternaliter genuit.

22. Pater generat me suum Filium et eundem Filium. Quidquid Deus operatur, hoc est unum : propter hoc generat ipse me suum Filium sine omni distinctione.

23. Deus est unus omnibus modis et secundum omnem rationem, ita ut in ipso non sit invenire aliquam multitudinem in intellectu vel extra intellectum; qui enim duo videt vel distinctionem videt, Deum non videt, Deus enim unus est extra numerum et supra numerum, nec ponit in unum cum aliquo. Sequitur : nulla igitur distinctio in ipso Deo esse potest aut intelligi.

24. Omnis distinctio est a Deo aliena, neque in natura neque in personis : probatur : quia natura ipsa est una et hoc unum, et quaelibet persona est una et idipsum unum quod natura.

25. Cum dicitur : *Simon, diligis me plus his?* (Io. xxi, 15) sensus est, id est plus quam istos, et bene quidem, sed non perfecte. In primo enim et secundo et plus et minus et gradus est et ordo, in uno autem nec gradus est nec ordo. Qui igitur diligit Deum plus quam proximum, bene quidem, sed nondum perfecte.

Cf. *supra*, n. 780, *errores* **D. Foullechat.**

867. a) *Error* **Wicleff** (Martinus V, *1418*) : 26. Oratio praesciti nulli valet.

b) *Error* **Io. Hus** (Martinus V, *1418*) : 16. Divisio immediata humanorum operum est : quod sunt vel virtuosa vel vitiosa, quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

1. Praecepit : BR., DPA.

868. *Error* **Zanini de Solcia** (Pius II, *1459*) : 9. Et sola prohibitione ecclesiastica se frenari quominus Epicuri opinionem ut veram sectaretur.

869. *Errores* **Lutheri** (Leo X, *1520*,) : 31. In omni opere bono iustus peccat.

32. Opus bonum optime factum est veniale peccatum.

35. Nemo est certus se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

II

TRIDENTINUM

A) Decretum de peccato originali.

(Sessio V, 17 iunii 1546.)

870. Ut fides nostra catholica, *sine qua impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6), purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus christianus *omni vento doctrinae circumferatur* (Eph., iv, 14); cum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali eiusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit : sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, iam ad revocandos errantes et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum Scripturarum, et sanctorum Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia et ipsius Ecclesiae iudicium et consensum secuta, haec de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat :

871. 1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse : A. S. (853.1).

2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propa-

gini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inoboedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: A. S., cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12) [853.2].

3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, *factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio* (I Cor. I, 30), aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum tam adultis quam parvulis applicari: A. S., *quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV, 12). Unde illa vox: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi* (Io. I, 29) et illa: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis* (Gal. III, 27).

4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: A. S., quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12) nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt

(n. 843.2). *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Io. III, 5).

5. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A. S. In renatis enim nihil odit Deus, quia *nihil est damnationis iis*, qui vere *consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem* (Rom. VI, 4), qui *non secundum carnem ambulant* (Rom. VIII, 1) sed *veterem hominem* exuentes et *novum, qui secundum Deum creatus est, induentes* (Eph. IV, 22; Col. III, 9), innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. VIII, 17), ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet; quin immo *qui legitime certaverit, coronabitur* (II Tim. II, 5). Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* (Rom. VI, 12) appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: A. S.

Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis SIXTI Papae IV sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat (v. n. 805).

B) Decretum de iustificatione.

(Sessio VI, 13 ian. 1547.)

Prooemium.

872 Cum hoc tempore, non sine multarum animarum iactura, et gravi ecclesiasticae unitatis detrimento, erronea quaedam disseminata sit de iustificatione doctrina; ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiae tranquillitatem, et animarum salutem, sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea, nomine sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli, divina providentia papae tertii, reverendissimis dominis dominis Io. Maria episcopo Praenestino, de Monte, et Marcello, tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, et apostolicis de latere legatis: exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam Sol iustitiae (Mal. IV, 2), Christus Iesus, fidei nostrae auctor et consummator (Heb. XII, 2), docuit, Apostoli tradiderunt et catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur.

Cap. 1. *De naturae et legis ad iustificandos homines imbecillitate:*

873. Primum declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probe et sincere intelligendam oportere, ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod, cum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent, facti immundi et, ut Apostolus inquit, *natura filii irae* (Eph. II, 3), quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo *servi erant peccati* (Rom. VI, 20) et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Iudaei quidem per ipsam etiam litteram Legis Moysi inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum (can. 1, 5).

Cap. 2. *De dispensatione et mysterio adventus Christi*

874. Quo factum est, ut caelestis Pater, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis* (II Cor. I, 3), Christum Iesum, Filium suum, et ante Legem, et Legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa *plenitudo temporis* (Gal. IV, 4), ad homines miserit, ut et Iudaeos, qui sub Lege erant, redimeret,

et gentes, quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent (Rom. IX, 30), atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris* (Rom. III, 25), *non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi* (I Io. II, 2).

Cap. 3. *Qui per Christum iustificantur.*

875. Verum, etsi ille *pro omnibus mortuus est* (II Cor. V, 15), non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus *gratias* nos semper *agere* hortatur Patri, *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine* (Col. I, 12) et *eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum* (Col. I, 13 sq.) (can. 2).

Cap. 4. *Insinuatur descriptio iustificationis impii et modus eius in statu gratiae.*

876. Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum* (Rom. VIII, 15) Dei per secundum Adam, Iesum Christum, Salvatorem nostrum. Quae quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Io. III, 5).

Cap. 5. *De necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis et unde sit.*

877. Declarat praeterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Deo per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.

Unde in sacris litteris, cum dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (Zach. 1, 3), libertatis nostrae admonemur; cum respondemus: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur* (Thr. v, 21), Dei nos gratia praeveniri confitemur (can. 3-5).

Cap. 6. *Modus praeparationis.*

878. Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, *fidem ex auditu* (Rom x, 17) concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, *per redemptionem, quae est in Christo Iesu* (Rom. III, 24); et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae *timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem *diligere* incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam *paenitentiam*, quam ante baptismum agi oportet (Act II, 38): denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit* (Heb. XI, 6), et *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* (Mt. IX, 2), et: *Timor Domini expellit peccatum* (Eccli I, 27), et *Paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti* (Act. II, 38), et *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare, quaecunque mandavi vobis* (Mt XXVIII, 19); denique: *Praeparate corda vestra Domino* (1 Reg. VII, 3). (can. 7-9).

Cap. 7. *Quid sit iustificatio impii et quae eius causa.*

879. Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit *heres secundum spem vitae aeternae* (Tit III, 7). Huius iustificationis causae sunt: *finalis* quidem gloria Dei et Christi ac vita aeterna; *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito *abluit et sanctificat* (I Cor VI, 11), *signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae* (Eph. I, 13), *meritoria* autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui *cum essemus inimici*

(Rom. V, 10), *propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* (Eph. II, 4), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; *instrumentalis* item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio; demum unica *formalis* causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult* (I Cor. XII, 11) et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. (can. 10-11).

880. Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito *per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus* (Rom. V, 5) eorum qui iustificantur, atque ipsis inhaeret unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur *fidem sine operibus mortuam* (Iac. II, 17) et otiosam esse et *in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere neque praeputium, sed fidem, quae per caritatem operatur* (Gal. V, 6; VI, 15). Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam aeternam praestantem, quam sine spe et caritate praestare fides non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Mt. XIX, 17). Itaque veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu *primam stolam* (Lc. XV, 22) pro illa, quam Adam sua inoboedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, et habeant vitam aeternam.

Cap. 8. *Quo modo intelligatur impium per fidem et gratis iustificari.*

881. Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem *per fidem* et *gratis* (Rom III, 22-24), ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, *sine qua impossibile est placere Deo* (Hebr. XI, 6), et ad filiorum eius consortium pervenire;

gratis autem iustificari ideo dicamur quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. *Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia iam non est gratia* (Rom. xi, 6).

Cap. 9. *Refellitur inanis haereticorum fiducia.*

882. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti et in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit et magna contra Ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere esse iustificatos, neminemque a peccatis absolvi ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum et iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum (can. 12-14).

Cap. 10. *De acceptae iustificationis incremento.*

883. Sic ergo iustificati et *amici Dei ac domestici* (Io. xv, 15; Eph. ii, 19) facti, *euntes de virtute in virtutem* (Ps. lxxxiii, 8), *renovantur*, ut Apostolus inquit, *de die in diem* (II Cor. iv, 16), hoc est *mortificando membra carnis* (Col. iii, 5) suae, et *exhibendo ea arma iustitiae* (Rom. vi, 13-19), in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est: *Qui iustus est, iustificetur adhuc* (Apoc. xxii, 11) et iterum: *Ne verearis usque ad mortem iustificari* (Eccli. xviii, 22) et rursus: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum* (Iac. ii, 24). Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum* (Dom. 13 post Pent.; can. 24).

Cap. 11. *De observatione mandatorum eamque necessariam esse nec impossibilem.*

884. Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab

observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis. *Cuius mandata gravia non sunt* (1 Io. v, 3), cuius *iugum suave est et onus leve* (Mt. xi, 30). Qui enim sunt filii Dei Christum diligunt, *qui autem diligunt eum*, ut ipsemet testatur, *servant sermones eius* (Io. xiv, 23), quod utique cum divino auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti et iusti, in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti; nam iustorum illa vox est et humilis et verax: *Dimitte nobis debita nostra* (Mt. vi, 12), quo fit ut iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiae sentire debeant, quod *liberati iam a peccato, servi autem facti Deo* (Rom. vi, 22), *sobrie, iuste et pie viventes* (Tit. ii, 12), proficere possint per Christum Iesum, per quem *accessum habuerunt in gratiam istam* (Rom. v, 2). Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non *compatiatur, ut et conglorificetur* (Rom. viii, 17). Nam et Christus ipse, ut inquit Apostolus, *cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, oboedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* (Hebr. v, 9). Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens: *Nescitis, quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (1 Cor. ix, 24-27). Item princeps Apostolorum Petrus: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes non peccabitis aliquando* (1 Petr. i, 10). Unde constat eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, qui dicunt iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri, atque etiam eos qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, cum scriptum sit: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem* (Ps. cxviii, 112), et de Moyse dicat Apostolus, quod *respiciebat in remunerationem* (Hebr. xi, 26, can. 18-20, 25, 31).

Cap. 12. *Temerariam praedestinationis praesumptionem cavendam esse.*

885 Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum, quasi verum esset quod iustificatus aut amplius peccare non possit aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit. (can. 15-17, 23).

Cap. 13. *De perseverantiae munere.*

886. Similiter de perseverantiae munere de quo scriptum est : *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (Mt. x, 22); quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui *potens est eum qui stat statuere* (Rom. xiv, 4) ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere : nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, *operans velle et perficere* (Phil. ii, 13). Verumtamen *qui se existimant stare, videant ne cadant* (I Cor. x, 12), et *cum timore ac tremore salutem suam operentur* (Phil. ii, 12) in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in ieiuniis et castitate (II Cor. vi, 3 sqq). Formidare enim debent, scientes quod *in spem* (I Petr. i, 3) gloriae et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent, dicenti : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (Rom. viii, 12; can. 16, 22).

Cap. 14. *De lapsis et eorum reparatione.*

887. Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo, per paenitentiae sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit paenitentiae, cum dixit : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx, 22, 23). Unde docendum est christiani hominis paenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessa-

tionem a peccatis, et eorum detestationem, aut *cor contritum et humiliatum* (Ps. l, 19), verum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem ; itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia ; non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis qui gratiae Dei quam acceperunt ingrati, *Spiritum Sanctum contristaverunt* (Eph. iv, 30), et *templum Dei violare* (I Cor. iii, 17) non sunt veriti. De qua paenitentia scriptum est : *Memor esto, unde excideris : age paenitentiam, et prima opera fac* (Apoc. ii, 5) et iterum : *Quae secundum Deum tristitia est, paenitentiam in salutem stabilem operatur* (II Cor. vii, 10) et rursus : *Paenitentiam agite* (Mt. iii, 2 ; iv, 17), et *Facite fructus dignos paenitentiae* (Mt. iii, 8 ; can. 29-30).

Cap. 15. *Quolibet mortali peccato amitti gratiam sed non fidem.*

888. Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui *per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (Rom. xvi, 18), asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces* (I Cor. vi, 9 sq.), ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur (can. 27-28).

Cap. 16. *De fructu iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.*

889. Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (I Cor. xv, 58) ; *non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius* (Hebr. vi, 10) ; et : *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem* (Hebr. x, 35). Atque ideo bene operantibus *usque in finem* (Mt. x, 22) et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promis-

sione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Haec est enim illa *corona iustitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse* aiebat Apostolus, *a iusto iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum eius* (II Tim. IV, 7-8). Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam *caput in membra* (Eph. IV, 15) et tanquam *vitis in palmites* (Io. XV, 5), in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint (Apoc. XIV, 13), consequendam vere promeruisse censeantur, cum Christus Salvator noster dicat: *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* (Io. IV, 13 sq.). Ita neque *propria nostra iustitia* tanquam ex nobis *propria statuitur*, neque *ignoratur* aut repudiatur *iustitia Dei* (Rom. X, 3); quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum (can. 26).

890. Neque vero illud omittendum est quod, licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur ut etiam *qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit*, promittat Christus *eum non esse sua mercede cariturum* (Mt. X, 42), et Apostolus testetur *id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis* (II Cor. IV, 17): absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel *glorietur*, et non *in Domino* (I Cor. I, 31), cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita quae sunt ipsius dona. Et quia *in multis offendimus omnes* (Iac. III, 2), unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, qui *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo* (I Cor. IV, 5), *qui*, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua* (Rom. II, 6; can. 32-33).

891. Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit iustificari non poterit, placuit sanctae Synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

De iustificatione.

892. Can. 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: A. S. (cap. 1).

Can. 2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit: A. S. (cap. 3).

Can. 3. Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: A. S. (cap. 5).

Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: A. S. (cap. 5).

Can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam: A. S. (cap. 1, 5).

Can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli: A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: A. S. (cap. 6).

Can. 8. Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: A. S. (cap. 6).

Can. 9. Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut in-

telligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi : A. S. (cap. 6).

Can. 10. Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse : A. S. (cap. 7).

Can. 11. Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei : A. S. (cap. 7).

Can. 12. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur : A. S. (cap. 9).

Can. 13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa : A. S. (cap. 9).

Can. 14. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo quod se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici : A. S. (cap. 9).

Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero praedestinatorum : A. S. (cap. 12).

Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit : A. S. (cap. 12).

Can. 17. Si quis iustificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum : A. S. (cap. 12).

Can. 18. Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia : A. S. (cap. 11).

Can. 19. Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem; cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos : A. S. (cap. 11).

Can. 20. Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum : A. S. (cap. 11).

Can. 21. Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui oboediant : A. S. (cap. 11).

Can. 22. Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse : A. S. (cap. 12).

Can. 23. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse iustificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia : A. S. (cap. 12).

Can. 24. Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam : A. S. (cap. 10).

Can. 25. Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem : A. S. (cap. 11).

Can. 26. Si quis dixerit, iustos non debere, pro bonis operibus quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo, per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si, bene agendo et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint : A. S. (cap. 16).

Can. 27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeter-

quam infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti : A. S. (cap. 15).

Can. 28. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine caritate habet non esse Christianum : A. S. (cap. 15).

Can. 29. Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento paenitentiae, prout sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino et eius Apostolis edocta hucusque professa est, servavit et docuit : A. S. (cap. 14).

Can. 30. Si quis, post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori paenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit : A. S. (cap. 14).

Can. 31. Si quis dixerit, iustificatum peccare dum intuitu aeternae mercedis bene operatur : A. S. (cap. 11, 16).

Can. 32. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum : A. S. (cap. 16).

Can. 33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de iustificatione, a sancta Synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriae Dei vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari : A. S.

Fides Pii IV Tridentina (1564) : Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Vide praeterea sessiones de sacramentis, praesertim de Baptismo et de Paenitentia.

III

POST TRIDENTINUM

ERRORES ET CONTROVERSIAE

Errores Michaelis Baii

damnati a Pio V, *in bulla* Omnibus afflictionibus[1] (1 oct. 1568.)

[1. *De statu primitivo.*]

893. 21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. — 26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio. — 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret. — 24. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et ad Dei filium adoptatus. — 22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II : *Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt* (Rom. II, 14) intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. — 55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. — 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. — 79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali.

[2. *De merito.*]

894. 1. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. — 3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset

1. In transcribendis propositionibus ordinem methodicum sequimur fere ut, post varios theologos, disponitur a P. Le Bachelet, in DTC. II, art. Baius, c. 67 sq.

merces, et non gratia. — 7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturae sacrae non recte vocantur gratia, quo fit ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari. — 9. Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia, secundum usum sacrae Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male meritis et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet. — 8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. — 2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium. — 4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt. — 5. In promissione facta et angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna iustis promittitur. — 6. Naturali lege constitutum fuit homini ut, si in oboedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. — 11. Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio oboedientiae mandatorum vita aeterna reddatur. — 13. Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur oboedientia legi. — 15. Ratio meriti non consistit in eo quod qui bene operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod oboedit divinae legi. — 12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium. — 17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. — 14. Opera bona iustorum non accipiunt in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere. — 19. Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem. — 18. Opera catechumenorum, ut fides et paenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur. — 61. Celebris illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero,

quantum ad certum quendam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda. — 62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, reicienda est.

[3. *De libero arbitrio eiusque viribus in natura lapsa.*]

895 41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. — 39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. — 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. — 25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. — 27. Liberum arbitrium, sine gratiae Dei adiutorio, nonnisi ad peccandum valet. — 28. Pelagianus est error, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. — 35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. — 40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. — 29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicunque aliunde quam per ipsum in viam iustitiae (hoc est ad aliquam iustitiam) conscendi posse docent, — 30. aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adiutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur. — 37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit. — 65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.

[4. *De caritate et adimpletione legis divinae.*]

896. 38. Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur. — 34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata. — 36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae, cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus. — 16. Non est vera legis oboedientia, quae fit sine caritate.

[5. *De peccato.*]

897. 20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam. — 46. Ad rationem et definitionem

peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. — 47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit. — 48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium. — 49. Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus, decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet. — 52. Omne scelus est eius conditionis ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. — 53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus. — 54. Definitiva haec sententia: Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. — 67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit. — 68. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

[6. *De concupiscentia.*]

898. 50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: *Non concupisces* (Ex. xx, 17). — 51. Concupiscentia sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inoboedientia. — 75. Motus pravi concupiscentiae sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto: *Non concupisces* (Ex. xx, 17), unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum: *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. — 74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi. — 76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Dt. vi, 5; Mt. xxii, 37).

[7. *De iustificatione.*]

899. 42. Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in oboedientia mandatorum, quae est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis oboedire possit. — 69. Iustificatio impii fit formaliter per oboedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem. — 31. Caritas perfecta et sincera, quae est *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* (I Tim. 1, 5), tam in catechumenis quam in paenitentibus potest esse sine remissione peccatorum. — 32. Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum. — 33. Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in lavacro demum percipitur. — 70. Homo, exsistens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem: et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis. — 71. Per contritionem, etiam cum caritate perfecta ex voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. — 43. In hominibus paenitentibus ante sacramentum absolutionis et in catechumenis ante baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum. — 63. Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius quae fit per spiritum caritatis inhabitantem, et alterius quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo caritatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reicitur. — 64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur, peccator, dum ei paenitentiae et vitae novae propositum et incohatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere iustificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens. — 44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt oboedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio a furto a fornicatione abstinere iustificantur quidem homines, quia sunt legis oboedientia et vera legis iustitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

[8. *De Sacramentis.*]

900. 56. In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus sive obligatio ad poenam. — 57. Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu. — 58. Peccator paenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, paenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur. — 45. Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit ut sancta societate Deo homo inhaereat.

[9. *De satisfactione et poenis temporalibus.*]

901. 10. Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe remanet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscri-

benda est. — 59. Quando per eleemosynas aliaque paenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores), sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur. — 60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur. — 77. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam. — 72. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt. — 73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

902. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent[1], in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento *haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas* et *in pias aures offensionem immittentes* respective... damnamus.

Errores Cornelii Iansenii

damnati in constit. INNOCENTII X, Cum occasione, *31 maii 1653*:

903. 1. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda et haeretica.

2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

Declarata et damnata uti haeretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Declarata et damnata uti haeretica.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haere-

1. En Comma Pianum, quod male post *intento* transferebatur.

tici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare.

Declarata et damnata uti falsa et haeretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.

904. *De sensu verborum* Iansenii, *ex Constit.* ALEXANDRI VII, Ad sacram beati Petri Sedem *(16 oct. 1656)*: Quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii Episcopi Yprensis, cui titulus est: *Augustinus*, excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus et definimus.

905. *Formularium* Iansenistis *propositum*, *ex Constit.* ALEXANDRI VII, Regiminis apostolici *(15 febr. 1665)*: Ego N. Constitutioni apostolicae INNOCENTII X, datae die 31. Maii 1653, et Constitutioni ALEXANDRI VII, datae die 16 Octobris 1656, Summorum Pontificum me subicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reicio ac damno, et ita iuro: Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.

906 *Errores* Iansenistarum, *damnati ab* ALEXANDRO VIII *(Decret. S. Off., 7 Dec. 1690)*: 1. In statu naturae lapsae ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis. — 2. Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. — 4. Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus. — 5. Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti. — 6. Gratia sufficiens statui nostro tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine. — 7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. — 8. Necesse est infidelem in omni opere peccare. — 9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. — 10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.—

11. **Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali**, quae per dilectionem operatur, peccatum est. — 12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides : et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana. — 13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Errores Paschasii Quesnel

damnati a Clemente XI, *in bulla* Unigenitus [1] (8 sept. 1713.)

[1. *De gratia Adami ante peccatum.*]

907. 34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana. — 35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae. — 36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiae ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur, nisi in persona Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. — 37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata : gratia christiana, nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

[2. *De voluntate salutis omnium deque Christi morte pro omnibus oppetita.*]

908. 12. Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. — 13. Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiore gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit. — 30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. — 31. Desideria Christi semper habent suum effectum : pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. — 32. Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris. — 33. Proh, quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. II, 20).

[3. *De gratia hominis lapsi.*]

909. 10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. — 11. Gratia non est aliud quam voluntas omnipotens Dei iubentis et facientis quod iubet. — 19. Dei gratia nihil aliud est quam eius omnipotens voluntas : haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. — 20. Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur ; imperat, et omnia fiunt ; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt. — 21. Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum. — 22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes ita gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. — 23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit et mortuis reddit vitam — 24. Iusta idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Iesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate — 25. Deus illuminat animam et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate : iubet, et ipsi obtemperatur. — 14. Quantumcunque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet et adoret Salvatorem suum. — 15. Quando Deus mandatum suum et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiore vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam, quam petit. — 16. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae; quia nihil resistit omnipotenti. — 17. Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet ac eos venire facit ad Iesum Christum : quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre. — 18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. — 2. Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum : absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. — 3. In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das, quod praecipis. — 4. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. — 5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. — 9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus. — 38. Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Liberatoris. — 39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali et incapax ad omne bonum. — 40. Sine gratia nihil amare possu-

1. Methodice dispositi, ut in aliquibus scriptoribus.

mus nisi ad nostram condemnationem — 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris. — 42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. — 43. Primus effectus gratiae baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. — 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. — 26. Nullae dantur gratiae nisi per fidem. — 27. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. — 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

[4. *De virtutibus.*]

910. 51. *Fides* iustificat, quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per caritatem. — 52. Omnia alia salutis media continentur in fide tanquam in suo germine et semine; sed haec fides non est absque amore et fiducia. — 68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide et precibus. — 69. Fides, usus, augmentum et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest *spes*; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. — 1. Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: *amor Dei*, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert et propter hoc ipsum fit malus. — 45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones eius corrumpat. — 46. Cupiditas aut caritas usum sensuum bonum vel malum faciunt. — 47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est caritas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria eius finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa iustitia. — 48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo et sine caritate? — 49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. — 50. Frustra clamamus ad Deum: Pater mi, si spiritus caritatis non est ille qui clamat. — 53. Sola caritas christiano modo facit actiones christianas per relationem ad Deum et Iesum Christum. — 54. Sola caritas est, quae

Deo loquitur, eam solam Deus audit. — 55. Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit. — 56. Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat. — 58. Nec Deus est nec religio, ubi non est caritas. 59. Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium. — 60. Si solus supplicii *timor* animat paenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. — 61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur. — 62. Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et iam est reus coram Deo. — 63. Baptizatus adhuc est sub Lege sicut Iudaeus, si Legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. — 64. Sub maledicto Legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum sive illud nonnisi ob timorem evitando. — 65. Moyses, Prophetae, sacerdotes et doctores Legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. — 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestiae, sed per fidem et per amorem sicuti filii. — 67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.

[5. *De vetere et novo foedere.*]

911. 6. Discrimen inter foedus iudaicum et christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod iubet, illum sua gratia purificando. — 7. Quae utilitas pro homine in vetere foedere, in quo Deus illum reliquit eius propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad foedus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis? — 8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id quod Deus nobis praecipit.

Errores synodi Pistoriensis

damnati a Pio VI, *in bulla* Auctorem fidei (28 aug. 1794.

De statu innocentiae.

912. 16. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectentem non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam; quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae

naturae, non gratuitum Dei beneficium : falsa, alias damnata in Baio (prop. 1 sq. n. 894) et Quesnellio (prop. 34 sq n. 907) erronea, favens haeresi Pelagianae.

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

913. 17. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis;* quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio : — captiosa temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.

De conditione hominis in statu naturae.

914. 18. Doctrina synodi enuntians, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Iesus Christus allaturus erat; tamen Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum;* ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis :* doctrina, ut iacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere : suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De conditione hominis sub lege.

915. 19. Item, quae subiungit, hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit*, superadditque *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris* · qua parte generaliter innuit, hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi *impossibile aliquid potuerit imperare, qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est* (ex S. Caesario serm. 73, in append. S. Aug. serm. 273 edit. Maurin. : ex S. August. de nat. et grat. c 43; De grat. et lib. arb. c. 16; Enarr. in psal. 56 n. 1) : — falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse

concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis* (ex Conc Araus. II can. 3 [v. n. 853]) : propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

De gratia illuminante et excitante.

916. 21. Propositio, quae asserit *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat : ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hunc esse illam radicem, e qua germinantur bona opera; hanc esse gratiam Novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, constituit filios Dei;* quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit, ut faciamus, sive etiam, qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid sess. 6, c. v, n. 877), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur : — falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans (v. n. 903).

De fide velut prima gratia.

917. 22 Propositio, quae innuit fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt; perinde ac prior non esset gratia illa, quae, *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem* (ex S. August. de dono persev c. 16, n. 41) : — suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea (pr. 27. n. 909).

De duplici amore.

918. 23 Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub virtute peccati ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante ius-

tificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati : — falsa, perniciosa, inducens in errorem a TRIDENTINO damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40 (can. 7, n. 892, 909).

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei* (ex S. August. de spir. et litt. c. 28); perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur* (ex S. August. serm. 349 de carit., edit. Maurin.), — falsa, alias damnata.

De timore servili.

919. 25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;* quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae : — falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii TRIDENTINI (sess. XIV, cap. 4), tum et communi Patrum sententiae, *opus esse,* iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat caritas; timor medicamentum, caritas sanitas* (ex S. August. in epist. Io. c. IV, tract. 9; In Io. evang. tract. 41, n. 10, Enarr. in psalm. 127, n. 7; Serm. 157 de verbis Apost. n. 13; Serm. 161 de verbis Apost. n. 8; Serm. 349 de caritate n. 7).

Controversia de auxiliis seu de efficacia gratiae.

920. *Decretum* Congregationis de auxiliis, *iussu* PAULI V, *sept. 1607, ad Praepositos generales O. P. et S. I., haec declarabat :* In negotio de auxiliis facta est potestas a Summo Pontifice cum disputantibus tum consultoribus redeundi in patrias aut domos suas; additumque est, fore ut Sua Sanctitas declarationem et determinationem, quae exspectabatur, opportune promulgaret. Verum ab eodem SS. Domino serio admodum vetitum est, in quaestione hac pertractanda ne quis partem suae oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret... Quin optat etiam, ut verbis asperioribus amaritiem animi significantibus invicem abstineant[1].

1. *Ipse Paulus V votum quod in ultima Congregatione de Auxiliis edidit, sic in commentario autographo refert :* Che in gratia del Signore il Conci-

921. *Ex Decreto* INNOCENTII X *contra Iansenistas, 23. Apr. 1654 :* Ceterum cum tam Romae quam alibi circumferantur quaedam asserta acta manuscripta, et forsitan typis excusa Congregationum habitarum coram fel. rec. CLEMENTE VIII et PAULO V super quaestione *de auxiliis divinae gratiae* tam sub nomine Francisci Pegnae, olim Rotae Romanae decani, quam Fr. Thomae de Lemos O. Pr., aliorumque Praelatorum et Theologorum, qui, ut asseritur, praedictis interfuerunt Congregationibus : necnon quoddam autographum seu exemplar assertae Constitutionis eiusdem PAULI V super definitione praedictae quaestionis *de auxiliis,* ac damnationis sententiae, seu sententiarum Ludovici Molinae S. I.; eadem Sanctitas Sua praesenti hoc decreto declarat ac decernit praedictis assertis actis tam pro sententia Fratrum O. S. D. quam Ludovici Molinae aliorumque S. I. religiosorum, et autographo sive exemplari praedictae assertae Constitutionis PAULI V nullam omnino esse fidem adhibendam; neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quaestione praedicta observanda esse decreta PAULI V et URBANI VIII suorum praedecessorum.

922. CLEMENS XII *(2 oct. 1733) decreta* CLEMENTIS XI *et* BENEDICTI XIII *confirmans addit :* Mentem tamen eorumdem praedeces-

lio (Trid.) ha definito che *necessarium sit quod liberum arbitrium moveatur a Deo,* et che la difficoltà sta *an moveat physice vel moraliter* et che se bene s'haveria da desiderare che nella Chiesa non si fosse questa contenzione, perchè dalle discordie si prorompe spesso negl' errori et però era bene dichiararle bene. Tuttavia non vedevamo che adesso ci fosse questa necessità, perchè l'opinione de' Dominicani è molto diversa da Calvino, perchè i Dominicani dicono che la gratia *non destruit, sed perficit liberum arbitrium* et fa che l'*homo operetur iuxta modum suum, i. e. libere,* e li Gesuiti son differenti da' Pelagiani, li quali ponevano il principio della salute da noi, et loro tengono tutto il contrario. Però non ci essendo necessità precisa di venire a questa diffinizione, si poteva portar il negozio inanzi acciò il tempo ci consigliasse.

Idem in alia declaratione ad legatum regis Hispaniae : Che si è soprasseduto in esso per tre ragioni : La prima per accertare bene et perchè il tempo insegna et mostra la verità delle cose, come quello che è gran giudice et censore delle cose. La seconda perche si l'una et l'altra parte conviene nella sostanza con la verità cattolica, cioè che Dio con la efficacia della sua gratia ci fa fare et *facit de nolentibus volentes et flectit et immutat hominum voluntates,* del che ci è questione, ma solo sono discrepanti nel modo, perchè i Dominicani dicono che predetermina la nostra volontà *fisice, hoc est realiter et efficienter,* et i Gesuiti tengono che lo fa *congrue et moraliter,* opinioni che l'una et l'altera si possono defendere. La terza perchè in questi tempi in che ci sono tante heresie conviene molto conservare et mantenere la riputazione et credito di queste due religioni et con discreditare una può seguire gran danno.

sorum nostrorum compertam habentes, nolumus aut per nostra aut per ipsorum laudes Thomisticae scholae dotatas, quas iterato nostro iudicio comprobamus et confirmamus, quicquam esse detractum ceteris catholicis scholis, diversa ab eadem in explicanda divinae gratiae efficacia sentientibus, quarum etiam erga S. Sedem praeclara sunt merita. *Tum prohibet* ne notam aut censuram aliquam theologicam iisdem scholis diversa sentientibus inurere aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis haec S. Sedes aliquid definiendum ac pronuntiandum censuerit.

923 Benedictus XIV, *ad Inquisitorem Hispaniae scribens, a. 1748*: Tu scis in celeberrimis quaestionibus de praedestinatione et gratia, et de modo conciliandi humanam libertatem cum omnipotentia Dei multiplices esse in scholis opiniones. Thomistae traducuntur uti destructores humanae libertatis et uti sectatores nedum Iansenii, sed etiam Calvini: sed cum ipsi obiectis apprime satisfaciant, nec eorum sententia fuerit unquam a Sede Apostolica reprobata, in ea Thomistae impune versantur, nec fas est ulli superiori ecclesiastico, in praesenti rerum statu, eos a sua sententia removere. Augustiniani traducuntur tanquam sectatores Baii et Iansenii; reponunt ipsi se humanae libertatis fautores esse et oppositiones pro viribus eliminant, cumque eorum sententia usque adhuc a Sede Apostolica damnata non sit, nemo est qui non videat a nullo praetendi posse ut a sua sententia discedant. Sectatores Molinae et Suaresii a suis adversariis proscribuntur perinde ac si essent Semipelagiani: Romani Pontifices de hoc Moliniano systemate usque adhuc iudicium non tulerunt, et idcirco in eius tuitione prosequuntur et prosequi possunt. Uno verbo episcopi et inquisitores non notas quas doctores inter se digladiantes sibi invicem opponunt attendere debent, sed an notae [sententiae?] invicem oppositae sint a Sede Apostolica reprobatae. Haec libertati scholarum favet, haec nullum ex propositis modis conciliandi humanam libertatem cum divina omnipotentia usque adhuc reprobavit.

Alii errores damnati.

924. *Propositio damnata ab* Alexandro VII (*1665*): 1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

925. *Propositiones damnatae ab* Innocentio XI (*Decr. S. Off. 1679*): 56. Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. — 65. Sufficit illa mysteria semel credidisse (Trinitatis et Incarnationis).

926. *Aliae ab* Alexandro VIII (*Decr. S. Off. 24. Aug. 1690*): 1. Bonitas obiectiva consistit in convenientia obiecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio neque in decursu vitae suae moralis.

Declarata et damnata uti haeretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea.

Errores Michaelis de Molinos,

damnati ab Innocentio XI, *in Decreto 28. aug. et in Constit.* Caelestis Pastor, *19 nov. 1687*:

927. 1. Oportet potentias annihilare, et haec est via interna. — 2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere et postea permanere velut corpus exanime. — 3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva. — 4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis sine nobis. — 5. Nihil operando anima se annihilat et ad suum principium redit et ad suam originem, qua est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

928. 6. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio; et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur. — 7. Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate. — 8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere. — 9. Non debet anima reminisci nec sui nec Dei nec cuiuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

929. 10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est. — 11. Ad dubia quae occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere. — 12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno nec de paradiso; nec debet desiderium habere propriae perfectionis nec virtutum nec propriae sanctitatis nec propriae salutis, cuius spem purgare debet. — 13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem. — 14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae; et illud Evangelii: *Petite et accipietis* (Io. XVI, 24) non est dictum a Christo pro animabus internis, quae nolunt habere voluntatem: immo huiusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere. — 15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent; quia utrumque est actus propriae voluntatis.

930. 16. Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita; quia melius est divinae iustitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere. — 17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria: et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

931. 18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate. — 19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum. — 20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, eius locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit. — 21. In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cuiuscunque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum; sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet. — 22. Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturae tradita quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse: et idem dicitur de amore.

932. 23. Mystici cum S. Bernardo in *Scala claustralium* distinguunt quattuor gradus: lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo, quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam: et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

933. 24. Qualescunque cogitationes in oratione occurrent, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, fidem et sacramenta, si voluntarie non nutriantur nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: immo eam perfectiorem efficiunt; quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet. — 25. Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis: quia oratio et resignatio, resignatio et oratio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio. — 26. Tres illae viae: purgativa, illuminativa et unitiva sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica: cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

934. 27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quaerit Deum, sed seipsum; et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus sollemnibus. — 28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius. — 29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo et virtutes et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est. — 30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum. — 31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

935. 32. Nec ante nec post communionem alia requiritur praeparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solita resignatione passiva; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturae nondum mortuae. — 33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in

diebus sollemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum : quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia huiusmodi animabus omnia loca aequalia sunt. — 34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis, et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem dominicam seu Pater noster recitare. — 35. Non convenit animabus huius viae internae, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate : alias non essent mortuae. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos aut humanitatem Christi : quia, cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor erga illa. — 36. Nulla creatura, nec beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde : quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

936. 37. In occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere. — 38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda. — 39. Sanctiora opera et paenitentiae, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem. — 40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriore.

937. 41. Deus permittit et vult ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, daemon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos : in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus. — 42. Potest dari casus, quod huiusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus. — 43. Deus praeteritis saeculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio; nunc vero eos efficit sanctos ministerio daemonum, qui causando in eis praedictas violentias facit, ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent et se Deo resignent. — 44. Iob blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis; quia fuit ex daemonis violentia. — 45. Sanctus Paulus huiusmodi daemonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit : *Non quod volo bonum, hoc ago: sed, quod nolo malum, hoc facio* (Rom. vii, 19). — 46. Huiusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem

perducendam, nec alia superest via : et haec est via facilior et tutior. — 47. Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo : et etiamsi sequantur pollutiones et actus obscoeni propriis manibus, et etiam peiora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo ; quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis. — 48. Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur : unde ad eius vires enervandas melius est ea non confiteri; quia non sunt peccata, nec etiam venialia. — 49. Iob ex violentia daemonis se propriis manibus polluebat eodem tempore quo *mundas habebat ad Deum preces* (sic interpretando locum ex capite XVI Iob v. 18). — 50. David, Ieremias et multi ex sanctis Prophetis huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum. — 51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos; uti illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistaeis, coniugium iniit cum alienigena et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita et peccata fuissent; de Iuditha, quae Holoferni mentita fuit; de Elisaeo, qui pueris maledixit; de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta vel daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur. — 52. Cum huiusmodi violentiae, etiam impurae, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur. — 53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur se dictis violentiis non consensisse aut iurare non posse quod in iis consenserint, et videre quod sint animae, quae proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali, cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia ; et certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit coniunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium : eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

938. 54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient et confusos et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis. — 55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia,

ad purgandas et exstinguendas omnes passiones, itaquod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit. — 56. Duae leges et duae cupiditates (animae una, et amoris proprii altera) tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges et duae cupiditates: nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum. — 57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia nec venialia. — 58. Ad huiusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur. — 59. Via interna seiuncta est a confessione, a confessariis et a casibus conscientiae, a theologia et philosophia. — 60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuae, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in sacramento reciperent: et ideo huiusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum paenitentiae accedere, quia id est in illis impossibile. — 61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit. — 62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili. — 63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin immo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

939. 64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo, quia non habet fidem adeo puram; secundo, quia non est adeo humilis; tertio, quia non adeo curat propriam salutem; quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen. — 65. Praepositis oboediendum est in exteriore, et latitudo voti oboedientiae religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant. — 66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab episcopo: quod si episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam; quia nec sacra Scriptura, nec concilia, nec canones, nec bullae, nec Sancti, nec auctores eam unquam tradiderunt nec tradere possunt; quia Ecclesia non iudicat de occultis, et anima ius habet facultatem eligendi quemcumque sibi bene visum. — 67. Dicere, quod internum

manifestandum est exteriori tribunali praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non iudicat de occultis, et propriis animabus praeiudicant his deceptionibus et simulationibus. — 68. In mundo non est facultas nec iurisdictio ad praecipiendum, ut manifestentur epistolae directoris quoad internum animae: et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanae, etc.

Damnatae tanquam haereticae, suspectae, erroneae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, christianae disciplinae relaxativae, eversivae, et seditiosae respective.

Errores Fenelonii de amore erga Deum purissimo,

ab INNOCENTIO XII *damnati in Brevi* Cum alias, *12 martii 1699*:

940. 1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. — 2. In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei. — 3. Id quod est essentiale in directione animae est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare aut in perturbationem conicere.

941. 4. In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur. — 5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae. — 6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

942. 7. Derelictio non est nisi abnegatio seu sui ipsius renuntiatio, quam Iesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium. Extremae probationes, in quibus haec abnegatio

seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam aeternum. — 8. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum. — 9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se iuste reprobatam esse a Deo. — 10. Tunc anima divisa a semetipsa exspirat cum Christo in cruce, dicens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Mt. xxvii, 46). In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem. — 11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse ; sed nunquam amittit in parte superiore, id est in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quae est desiderium desinteressatum promissionum. — 12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat iacturae sui proprii interesse et iustae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit. — 13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes. — 14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiore. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca et involuntaria perturbatione : nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

943. 15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati. — 16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut fiat habitualis ; ita ut, quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem eiusque actus methodicos. — 17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Iesu Christi duobus temporibus diversis : primo in fervore nascente earum contemplationis, secundo anima amittit intuitum Iesu Christi in extremis probationibus. — 18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit nec unquam sit adeo virtute praeditus, quam cum virtuti amplius affixus non est. — 19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

944. 20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari et condemnare se et desiderare remissionem suorum peccatorum non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam. — 21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum. — 22. Quamvis haec doctrina (de puro amore) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata ; antiqui pastores non proponebant passim multitudini iustorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiae proportionata. — 23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem ; et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatae et reprobatae tanquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariae, scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, in praxi perniciosae ac etiam respective erroneae.

945. *Errores* **rosminiani** *damnati a* Leone XIII (*1887*) : 35. Quo magis attenditur ordo iustificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis, quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat. — Iuxta Psalmistam (Ps. xxxi, 1) discrimen est inter *iniquitates* quae *remittuntur* et *peccata* quae *teguntur* ; illae, ut videtur, sunt culpae actuales et liberae, haec vero sunt peccata non libera eorum qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocumentum. — 36. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis, cuius communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.

946. *Error* **Americanismi** *de praestantia virtutum activarum prae passivis, damnatus a* Leone XIII (*1899*) : Rem tamen bene penitus consideranti, sublato etiam externo quovis moderatore, vix apparet in novatorum sententia quorsum pertinere debeat uberior ille Spiritus Sancti influxus, quem adeo extollunt. — Profecto maxime in excolendis virtutibus Spiritus Sancti praesidio opus est omnino : verum qui nova sectari adamant, naturales virtutes praeter modum efferunt, quasi hac praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant.

Difficile quidem intellectu est, eos, qui christiana sapientia imbuantur, posse naturales virtutes supernaturalibus anteferre, maioremque illis efficacitatem ac fecunditatem tribuere. Ergone natura, accedente gratia, infirmior erit, quam si suis ipsa viribus permittatur? Num vero homines sanctissimi, quos Ecclesia observat palamque colit, imbecilles se atque ineptos in naturae ordine probavere quod christianis

virtutibus excelluerunt? Atqui, etsi naturalium virtutum praeclaros quandoque actus mirari licet, quotus tamen quisque est inter homines qui naturalium virtutum habitu reapse polleat? Quis enim est, qui animi perturbationibus usque vehementibus non incitetur? Quibus constanter superandis, sicut etiam universae legi in ipso naturae ordine servandae, divino quodam subsidio iuvari hominem necesse est. Singulares vero actus, quos supra innuimus, saepe, si intimius perspiciantur, speciem potius virtutis quam veritatem prae se ferunt.

Sed demus tamen esse : si *currere in vacuum* quis nolit aeternamque oblivisci beatitatem, cui nos benigne destinat Deus, ecquid naturales virtutes habent utilitatis, nisi divinae gratiae munus ac robur accedat? Apte quidem Augustinus : « Magnae vires et cursus celerrimus, sed praeter viam[1]. » Sicut enim praesidio gratiae natura hominum, quae, ob communem noxam, in vitium ac dedecus prolapsa erat, erigitur novaque nobilitate evehitur ac roboratur; ita etiam virtutes, quae non solis naturae viribus, sed eiusdem ope gratiae exercentur, et fecundae fiunt beatitatis perpetuo mansurae et solidiores ac firmiores exsistunt.

947. Cum hac de naturalibus virtutibus sententia, alia cohaeret admodum, qua christianae virtutes universae in duo quasi genera dispertiuntur, in *passivas*, ut aiunt, atque *activas*; adduntque, illas in elapsis aetatibus convenisse melius, has cum praesenti magis congruere. — De qua quidem divisione virtutum quid sentiendum sit, res est in medio posita, virtus enim, quae vere *passiva* sit, nec est nec esse potest. « Virtus, sic sanctus Thomas, nominat quandam potentiae perfectionem : finis autem potentiae actus est; et nihil est aliud actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii[2] »; adiuvante utique Dei gratia si virtutis actus supernaturalis sit.

Christianas autem virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit : *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Ro. viii, 29). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero, haud mutatur Christus progredientibus saeculis; sed *idem heri et hodie et in saecula* (Heb. xiii, 8). Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Mt. xi, 29); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum oboedientem usque ad mortem* (Phil. ii, 8); valetque quavis aetate Apostoli sententia : *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal. v, 24). — Quas utinam virtutes multo nunc

1. In Ps. xxxi, 4; PL. 36, 259. — 2. S. Th. I. II. a. 1.

plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! Qui demissione animi, oboedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone* (Lc. xxiv, 19), emolumento maximo nedum religiosae rei sed publicae ac civilis.

948. *De* **Modernistis** Pius X, *in enc.* Pascendi (*1907*) : In re morum, illud adsciscunt americanistarum scitum, activas virtutes passivis anteponi oportere atque illas prae istis exercitatione promoveri.

PARS SEPTIMA

De Sacramentis.

I

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Tridentinum, *sess. VII^a 3 mart 1547* : DECRETUM DE SACRAMENTIS[1].

A) Prooemium.

949. Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima sessione uno omnium patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.

Propterea sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem Apostolicae Sedis legatis, ad errores eliminandos, et exstirpandas haereses quae circa sanctissima ipsa sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt, quae catholicae Ecclesiae puritati, et animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum Scripturarum doctrinae, Apostolicis traditionibus, atque aliorum conciliorum et patrum consensui inhaerendo, hos praesentes canones statuendos et decernendos censuit, reliquos, qui supersunt ad coepti operis perfectionem, deinceps, divino Spiritu adiuvante, editura.

950. *DArm (1439)* : Quinto, ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium quam futurorum faciliore doctrina sub hac brevissima redigimus formula.

---

1. Huic decreto, locis propriis, inserimus cetera documenta eadem de re. Cf CT. V. 835 sq; F. CAVALLERA : *Le Décret du Concile de Trente sur les sacrements en général (VIIe session)* in BLE, a. 1914-18.

B) Canones Tridentini.

1. — De institutione, numero et notione sacramentorum.

951. Can. 1. Si quis dixerit, sacramenta novae legis :
non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta;
aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, paenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium;
aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum : A. S.

a) De institutione sacramentorum a Christo.

952 a) Pii X *DL (1907), error* **modernistarum** : 39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent. — 40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus interpretati sunt.

b) *Idem, in enc.* Pascendi *(1907)* : Ecclesia, inquiunt, et sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil praeter hominem novit, cuius conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est : cavet lex immanentiae, quae externas, ut aiunt, applicationes respuit : cavet item lex evolutionis, quae, ut germina evolvantur, tempus postulat et quamdam adiunctorum sibi succedentium seriem : cavet demum historia, quae talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant ut in semine plantam. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt, Christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita secundum fidem divina est : ergo et Christianorum vita. Si igitur haec vita decursu aetatum Ecclesiae et sacramentis initium dedit, iure omnino dicitur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse.

953. Innocentius III, *ep.* Cum Marthae *Ioanni Lugdunensi, 29 nov. 1202* : Quaesisti siquidem quae sit forma verborum quam ipse Christus expressit, cum in corpus et sanguinem suum panem transsubstantiavit et vinum, cum illud in canone missae quo utitur Ecclesia generalis adiecerit quod nullus evangelistarum legitur expressisse;.. sermo iste videlicet *mysterium fidei* verbis ipsis (Mt. xxvi, 27-28) interpositus invenitur. Alia duo videlicet *elevatis oculis in caelum* et *aeterni testamenti* poteris in ipso canone reperire quae in textu evangelico non leguntur.

Sane multa tam de verbis quam de factis dominicis invenimus ab evangelistis omissa quae apostoli vel supplevisse verbo vel facto expressisse leguntur (cf. 1135). Ceterum ea quae adduntur in canone missae possunt ex aliis locis Evangelii comprobari.

954. *De potestate Ecclesiae in sacramenta,* Tridentinum, *sess 21, cap. 2 (1562)* : Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret.

Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I Cor. iv, 1) atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa eius usum. *Cetera,* inquit, *cum venero, disponam* (I Cor. xi, 34).

Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem ... (*infra*, n. 1171).

b) De numero sacramentorum novae legis.

955. *Ob promiscuum usum vocis* sacramenti, *antiquitus vario modo ea numerabant, ut* Lateranense II, oec. *X (1139), iterans canonem* Tolosani *(1119)* : Can. 23. De his qui sacramenta damnant : Eos autem qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et ceteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant foedera nuptiarum, tamquam haereticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri praecipimus. Defensores quoque ipsorum eiusdem damnationis vinculo innodamus[1].

---

1. Tol. : *Porro eos, puerorum baptisma;* in fine loco *innodamus* edicit : *donec resipuerint mancipamus.*

956. VERONENSE *(1184)* vinculo perpetui anathematis *innodat* universos qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat.

957. *Quaestio est de unoquoque septem sacramentorum in* Fide pro Waldensibus INNOCENTII III *(1208), enumeratio vero habetur in* Fide **Michaelis Palaeologi** *(1274)*: Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est paenitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur.

958. *Item* DArm. *(1439) cuius verba referunt* Fides Pii IV *(1564) et* **Orientalium** *(1743)*: Novae Legis septem sunt sacramenta: videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium.

c) DE NOTIONE SACRAMENTI.

959. *Quid sit vere et proprie sacramentum ipsum* TRIDENTINUM, *sess 13, cap. 3 (1551) ex parte exponit*: Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem.

960. *De sacramentorum elementis* DArm *(1439)*: Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. (Cf. *infra*, 1190).

961. *Item* LEO XIII, *in ep.* Apostolicae curae *(1896) de ordinationibus anglicanis*: In ritu cuiuslibet sacramenti conficiendi et administrandi iure discernunt inter partem *caeremonialem* et partem *essentialem*, quae *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt sacramenta novae legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quae significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, praecipue tamen ad formam pertinet: cum materia sit pars per se non determinata, quae per illam determinetur.

De distinctione inter sacramentum *et* rem sacramenti *Cf. infra*, de Eucharistia, ex INNOCENTII III *ep.* Cum Marthae *(1202)*, n. 1135.

962. *Propositio damnata ab* INNOCENTIO XI *(1679)*: **1.** Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.

963. *Error* **Synodi Pistoriensis** (PIUS VI, *1794*):

De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adiuncta conditione.

27. Deliberatio synodi, quae praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione: — temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

2. — De differentia inter sacramenta V. et N. Legis.

964. Can. 2. Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus externi: A. S.

965. *Iam* DArm. *(1439)*: Quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.

966. *Uberius* DIac. *(1442)*: [I. X. D. N.] quem aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, caeremoniae praesignarunt.

Firmiter credit, profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse, et Novi Testamenti sacramenta coepisse. Quemcunque etiam post passionem in legalibus spem ponentem et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat a Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari. Omnes ergo post illud tempus circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denuntiat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erro-

ribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocunque tempore, vel ante vel post baptismum, a circumcisione cessandum; quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest.

Adde quae TRID. *infra* de baptismo *can. 1 (n. 1002) habet de differentia inter bapt. Ioannis et bapt. Christi et* INNOCENTIUS III *(ibid. n. 1064) de differentia inter baptismum et circumcisionem.*

3. — De dignitate relativa sacramentorum.

967. Can. 3. Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius : A. S.

968 *De excellentia Eucharistiae*, TRIDENTINUM, *sess. 13 cap. 3 (1551)* : Verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.

969. *De uniuscuiusque munere eorumque inter se ordine* D'ARM. *(1439) haec refert quibus illustrantur etiam can. 4 et seq. trident.* : Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia; quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per paenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur.

4. De necessitate sacramentorum

970. Can. 4. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint : A. S.

971. *Quare interrogantur Wicleffitae et Hussitae (1418)* : 19. Item, utrum credat, quod christianus contemnens susceptionem sacra-

mentorum confirmationis, vel extremae unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter.

972. *De supplenda voto susceptione actuali sacramentorum damnatio* BAII *(1567)* : 71. Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

973. CIC *c. 731, § 1.* Cum omnia sacramenta novae legis, a Christo Domino nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in eis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est.

5. — De efficacia (et subiecto) sacramentorum.

a) NON AD SOLAM FIDEM.

974. Can. 5. Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse : A. S.

975. PII X DL (1907), *error* **modernistarum.** 41. Sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

Qui sic exponitur in enc. Pascendi (1907) : De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine sacramenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionibus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum, altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus, quae sacramenta dicimus. Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa, quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam, quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt : nihil praeterea. Clarius profecto dicerent, si sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen TRIDENTINA Synodus damnavit : *Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

b) Ad gratiam.

976. Can. 6. **Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus : A. S.**

977. *Quo canone damnatur error* Lutheri, *iam a* Leone X *in bulla* Exsurge *(1520) notatus* : 1. Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta Novae Legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

De obice, cf. Innocentii III *verba ad can. 9, de charactere.*

978. Can. 7. Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus : A. S.

Cf. infra n. 1051 de baptismo, Synodi romani *a. 863 c. 9. ubi dicit anathema his qui asserunt rite baptizatos* non aequaliter originali ablui delicto.

979. Can. 8. Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere : A. S.

c) Ad characterem.

980. Can. 9. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt : A. S.

981. *Hanc doctrinam obiter, in sess. 23 (1563) de ordine, cap. 4, commemorat* Trid. : (Quoniam vero) in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur qui nec deleri nec auferri potest.

982. *Iam in* DArm. *(1439)* : Inter haec sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quattuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

983. Innocentius III, *ep.* Maiores, *ad Ymbertum arch. Arelatensem, a. 1201* : Item vero quaeritur utrum huiusmodi dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur, ut excitati a somno vel ab aegritudine liberati non sint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli qui dicunt quod sacramenta quae per se sortiuntur effectum ut *baptismus* et *ordo* ceteraque similia non solum dormientibus et amentibus sed invitis etiam et contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem, inferuntur.

Sed opponitur talibus quod qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti, ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinerent, unde ad servandam regulam fidei christianae forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni christianae contrarium ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum et invitum, coactum et coactum alii non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur et, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis quidem sicut et is qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum et ipse, tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianae... Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire... Dormientes autem et amentes, si prius quam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent : quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi, unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.

6. — De ministro.

984. Can. 10. Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem : A. S.

Can. 11. Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : A. S.

Can. 12. Si quis dixerit ministrum, in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficien-

dum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum : A. S.

985. *De intentione, praeter* DArm. (n. 960). Leo XIII *haec habet in ep.* Apostolicae (1896) *de ordinationibus anglicanis:* Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis* quam aeque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat; at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio, innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

986. *De malo ministro, fides pro* **Waldensibus** (Innocentius III, 1208). Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a iustissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam conferendam, vel ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata.

987. Ioannes XXII, *in damnatione* **Fraticellorum** *(1318)*: Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Waldensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam Ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit. Quorum utrorumque dementiam Ecclesiasticae veritatis doctrina redarguit et censura percellit quoniam nil a bono maius, nil a malo minus perficitur sacerdote, quia sacramentorum virtus non in merito consecrantis sed in virtute S. Spiritus et verbo perficiatur Creatoris.

988. *Error* **Wicleff.** (Constantiense *et* Martinus V, 1418) : 4. Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

989. *Hinc interrogantur eius asseclae (ibid.)* : 22. Item, utrum

credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta.

990. *Haec olim doctrina multum controversa est. Praeter ea quae infra dabuntur de rebaptisatione et reordinatione, en pauca, verum efficacia, RR. PP. documenta antiqua :* Felix III *ep.* Multa sunt *ad Flavitam, episc. CP., init. a. 490 :* 5. Nobis Deo inspirante provisuris rationabiliter, ut scripsimus, si cuncta convenerint, ut eorum quos ordinavit vel baptizavit *Acacius* (+ 489), salva confessione catholica, pro caritatis Ecclesiae redintegratione, nihil pereat.

991. *Iterum de iisdem* Gelasius I, *in ep.* Quod plena *ad Euphemium episc. CP., a. 492 :* 6. Igitur per litteras quas per Syncletium diaconem destinastis de his quos baptizavit, quos ordinavit *Acacius*, maiorum traditione confectam et vestrarum praecipue regionum sollicitudini congruam, praebemus sine difficultate medicinam.

992. Anastasii II *ad Anastasium Augustum, ep.* Exordium Pontificatus (*496*)[1]. 8. Secundum Ecclesiae catholicae consuetudinem sacratissimum serenitatis tuae pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes sive Levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur..... Nam et baptismum, quod procul sit (*vulg.* fit), ab Ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum : Quia vox illa quae per columbam sonuit, omnem maculam humanae pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur : *Hic est qui baptizat in Spiritu et igne* (Lc. III, 16). Nam si visibilis solis istius radii, cum per loca fetidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Nam et Iudas, cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipsum Domino, manifestissima voce : *Scribae*, inquit, *et Pharisaei super cathedram Moysis sedent : Quae dicunt facite, quae autem faciunt, nolite facere : dicunt enim et non faciunt* (Mt. XXIII 2-3). Quidquid ergo ad hominum profectum quilibet in Ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hoc totum contineri implendo divinitatis effectu, ita ille per quem Christus loquitur Paulus affirmat : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Itaque neque qui

1 Lege notam Thiel (p. 620, n. 3, de controversia circa valorem huius epistolae contra Gratianum, c. 8 D. 19).

plantat est aliquid, neque qui rigat sed qui incrementum dat Deus (1 Cor. III, 6-7).

9. Ideo ergo et hic cuius nomen dicimus esse reticendum male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suae virtutis obtinuit. Quod si est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio ut imaginetur, prolato a Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in sacramentis quae Acacius usurpavit egisse, ac perinde eos metuere qui vel in consecrationibus vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia divina videantur : meminerint in hac quoque parte similiter tractatum praevalere superiorem quia non sine usurpatione sacerdotii adiudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque, aliis rea sibi persona non nocuit... Quia non populus qui in mysteriis donum ipsius sitiebat exclusus est sed anima sola illa quae peccaverat iusto iudicio propriae culpae erat obnoxia.

993. *Eadem postea*, NICOLAUS I, *ad Bulgaros scribens* (*866*) *exposuit :* 71. Sciscitantibus vobis si a sacerdote qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere necne, respondemus : non potest aliquis, quan umcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere quae purgatoria cunctarum remedia contagionum exsistunt. Nec potest solis radius, per cloacas et latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde, qualiscunque sacerdos sit, quae sancta sunt coinquinare non potest; idcirco ab eo usquequo episcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda est ; quoniam mali bona ministrando se tantummodo laedunt et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat et unde aliis commodum exhibet inde sibi dispendium praebet. Sumite igitur intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim quae vincit hunc mundum et quia non dantis sed accipientis sit, docente sancto *Hieronymo*, ad credendum in omni anima baptismum esse perfectum et in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum.

994. *Item* Concilium Romae *habitum a. 898 sub* IOANNE IX, *in causa luctuosissima* Formosi *papae*[1], *haec statuit :* Cap. V. Reordinationes seu rebaptizationes et sedium mutationes sancti patres, in *Africano concilio* congregati, omnimodis interdixerunt. Quos secuti et nos interdicimus statuentes ecclesiae cui regulariter praepositi perpetuo consistant nec eis sine canonicae auctoritatis perpetua censura edictis alii ordinentur et ecclesia divisionem sustineat.

1 HL. § 510, t. IV, p. 716, SALTET, *Les réordinations*, c. VIII, 2-3

7. — De ritibus sacramentorum.

995. Can. 13. Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse : A. S.

996. *Hic error communis erat protestantibus cum variis haereticis saeculorum priorum, ut fraticelli, wicleffitae, etc. Hinc Wiclefitae interrogantur :* 15. Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiae, caerimonias exorcismi et catechismi, aquae baptismatis consecratae, peccet mortaliter.

997. *De modernistarum placitis sic enc.* Pascendi (1907) : Circa sacrorum cultum, minuendas inquiunt externas religiones prohibendasve ne crescant. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se praebeant.

998. CIC c. 733. In sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur. — § 2. Unusquisque autem ritum suum sequatur. *Cf. can. 731, § 1, supra n. 973.*

* * *

999. *Huius doctrinae de Sacramentis in genere quasi compendium quoddam ipsis verbis Tridentinae synodi exhibet* professio fidei Pii IV : Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria : scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre ; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse[1]. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto,

1. Hucusque etiam fides Orientalium omissis quibusdam verbis : *vere et proprie, Iesu, atque, quamvis* loco *licet, videlicet* loco *scilicet.*

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS

1000. CIC. *cc 1144-1153, ex quibus : c. 1144* : Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales ; — *c. 1145* : Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, in eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica ; — *c. 1146* : Legitimus Sacramentalium minister est clericus cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eadem exercere ; — *c. 1147* : § 1. Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur. § 2. Benedictiones autem impertire potest quilibet presbyter. § 4. Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt quae ipsis expresse a iure permittuntur ; — *c. 1148* : § 2. Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta, — *c. 1149* : Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, immo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo corporis sanitatem.

DE BAPTISMO

A) Documenta antiqua, praesertim symbola.

1001. a) *Fides* Cyrilli Hieros. (*c. med. s. IV*) : Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν — b) *Fides* Epiphanii *longior* (*375*) : Πιστεύομεν καὶ εἰς βάπτισμα μετανοίας. — c) CPnum (*s. IV*) : Ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. — d) Statuta Ecclesiae antiqua (*s. VI*) : *Interrogatur* si, in baptismo, omnia peccata, id est, tam illud originale contractum quam illa quae voluntarie admissa sunt, dimittantur. — e) Toletanum xi (*675*) : Intra cuius (Ecclesiae) gremium constituti, unum baptisma credimus et confitemur in remissionem omnium peccatorum — f) *Fides* Nicephori CP (*811*) : Ὁμολογῶ καὶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τὸ εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα τελούμενον κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν καὶ θείαν παράδοσιν. — g) *Fides* Leonis ix (*1053*) : In qua (Ecclesia) unus datur baptismus et vera omnium remissio peccatorum. *Cf. fidem* **Michaelis Palaeologi** (*1274*) : in qua unum datur sanctum baptisma et vera omnium remissio peccatorum. — h) Lateranense IV. *oec. XII* (*1215*) : Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad

---

1001. a) Et in unum baptismo paenitentiae, in remissionem peccatorum ; — b) Credimus et in unum baptisma paenitentiae ; — c) Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Apostolicum *habet tantum* : credo remissionem peccatorum ; — f) Confiteor etiam unum baptisma in remissionem peccatorum quod secundum evangelicam apostolicamque traditionem perficitur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti...

salutem. — I) *DArm.* (*1439*) : Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est; per ipsum membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, *nisi ex aqua et Spiritu renascamur, non possumus*, ut inquit veritas, *in regnum caelorum introire* (Io. III, 3).

B) Canones Tridentini[1]

(Sessio VII, 3 mart. 1547).

1. — De Baptismo Ioannis et baptismo Christi.

1002. Can. 1. Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi. A. S.

2. — De materia baptismi.

1003. Can 2. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (Io. III, 5), ad metaphoram aliquam detorserit : A. S.

1004. *DArm.* (*1439*) : Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis : nec refert frigida sit an calida.

1005. *Olim non semel abusus irrepserunt*[2] *de quibus* Innocentius III *ad Thoriam archiepisc. Nidrosiensem ep* : Non ut apponeres

1. Tridentinum, omissa doctrina, 14 canones de baptismo edidit de quibus cf. CT. V. 835 sq.; Bruu, *Baptême d'après le Concile de Trente*, in DTC II, 299-328, ubi, praeter sess. VII, locos ceteros colligit in quibus *Tridentinum* agit de baptismo, eiusdem postea doctrinam synthetice exponens. Vide supra p. VI *de iustificatione*, ubi saepe mentio fit de baptismo. — 2. Mirum ... Si profertur Stephani papae II, de vini usu in baptismo (*Responsa*, n° ...). Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribatur culpa (infantes sic permaneant in ipso baptismo) nam si aqua adfuit praesens ille presbyter excommunicetur. *Spurius habetur textus*; *cf. DTC. II*, *253*, *n. 1*.

1 mart. 1206 : Postulasti, utrum parvuli sint pro Christianis habendi, quos, in articulo mortis constitutos, propter aquae penuriam et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput et pectus ac inter scapulas pro baptismo salivae conspersione linivit. Respondemus, quod cum in baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum, necessario requirantur, iuxta quod de verbo Veritas ait : *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae et baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Mc. XVI, 15; Mt. XXVIII, 18), eademque dicat de elemento : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non intrabit in regnum caelorum* (Io. III, 5), dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque praedictorum, sed eorum alterum est omissum.

1006. Gregorius IX, *ad Sigurdum arch. Nidrosiensem ep.* Cum sicut, *8 iul. 1241* : Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquae penuriam infantes terrae tuae contingat in cerevisia baptizari : tibi tenore praesentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu Sancto renasci, non debent reputari rite baptizati qui in cerevisia baptizantur[1].

1007. CIC, *c. 737*. Baptismus Sacramentorum ianua ac fundamentum, omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem, valide non confertur nisi per ablutionem aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma. — *c. 758* : Licet baptismum conferri valide possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros.

3. – Doctrina Ecclesiae Romanae

1008. Can. 3. Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam : A. S.

1009. Toletanum I (*Libellus Pastoris*) (*s. V.*) : Si quis in his erroribus *Priscilliani* sectam sequitur vel profitetur aut aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat. A. S.

1010. *Huic doctrinae contradicunt* modernistae *negantes insti-*

1. Decisiones recentes hac de re lege in *Enchiridio morali* I. Bucceroni.

tutionem baptismi a Christo (Pii X, S, *1907*) *:* 42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes annectens. — 3. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et paenitentiam.

4. — De ministro et forma.

1011. Can. 4. Si quis dixerit baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum : A. S.

1012. Lateranense IV *oec. XII* (*1215*), *cap. 1* : Sacramentum vero baptismi quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, videlicet Patris et Filii et Spiritus Sancti, consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis, in forma Ecclesiae, a quocunque rite collatum, proficit ad salutem.

a) De forma.

1013. *DArm.* (*1439*) : Forma autem est : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Non tamen negamus, quin et per illa verba : *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* vel *Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, verum perficiatur baptisma : quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum[1].

1014. *Formam esse necessariam* docet Zacharias I, *ep.* Sacris liminibus, *ad S. Bonifatium, 1 maii 748 :* Interea scripsit reverenda fraternitas tua reperisse quendam presbyterum genere Scotum, nomine Samson, errantem a via veritatis, dicentem et affirmantem sine mystica invocatione aut lavacro regenerationis posse fieri catholicum christianum per episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit hoc

1. S. T. III, q. 66, a. 5.

vacuus est Spiritu Sancto et alienus a gratia Christi atque a consortio sacerdotali abiciendus. Quis enim nisi baptizetur iuxta praeceptum Domini *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* et sic per manus impositionem consecretur potest esse catholicus?

1015. *Quocumque tamen idiomate, etsi verbis male compositis, posse conferri idem ad eumdem, ep.* Virgilius et Sidonius, *1 iul. 746 :* Retulerunt quippe (*Virg. et Sid.*) quod fuerit in eadem provincia sacerdos qui latinam linguam penitus ignorabat et dum baptizaret nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret : *Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta;* ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit non errorem introducens aut haeresim sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptismus dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizentur, quia quicumque baptizatus fuerit ab haereticis *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* nullo modo debet rebaptizari sed per solam manus impositionem purgari.

1016. *Item* Stephanus I, *inter Dicta :* 14. De illo presbytero qui baptizavit isto modo sic rustice : *in nomine Patris mergo, Filii mergo et Spiritus Sancti mergo*... infantes illi quos baptizavit licet rustice quia in nomine sanctae Trinitatis sunt baptizati, in eo permaneant baptismo.

1017. *De necessitate invocationis uniuscuiusque personae Trinitatis, nomine Christi omisso ut insufficiente, scribit* Pelagius I *ad Gaudentium episcopum, fg a. 558-60 :* Si revera hi de haereticis, qui in locis dilectioni tuae vicinis commorari dicuntur, solummodo se *in nomine Domini* baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes Sanctae Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum qui converti volunt manifesta confessione claruerit quod *in nomine Trinitatis* fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa catholicae fidei sociare maturabis, ut tali dispensatione servata nihil aliter, quam quod evangelica iubet auctoritas, temeritatis cuiusquam spiritu videatur effectum.

1018. *Item,* Zacharias I *ad Bonifatium ep.* Sacris liminibus *1 maii 748 :* In illa (synodo anglorum) tale decretum et iudicium firmissime praeceptum et diligenter demonstratum esse dignoscitur ut quicumque sine *invocatione Trinitatis* lotus fuisset sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si mersus in fonte baptismatis quis fuit, sine *invocatione Trinitatis*, perfectus non

est, nisi fuerit in *nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* baptizatus.

Et paulo post in eadem epistola. Hoc quoque observasse in dicta synodo (anglorum) sacerdotes ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset. Quod pro certo verum est quia qui unum ex sancta Trinitate confessus non fuerit nomen perfectus christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit Spiritum Sanctum neque Patrem habet neque Filium, et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum Sanctum et Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet neque Spiritum Sanctum sed vacuus est a divina gratia.

1019. Nicolaus I *tamen ad Bulgaros, c. 104 (866), admittit sufficere* baptisma in nomine Christi, *etiam collatum a pagano* : A quodam Iudaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi sicut in Actibus apostolorum legimus (II 38 et XIX 5), baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius[1]), constat eos non esse denuo baptizandos.

1020. *Necessariam esse primam formulae partem, in qua actio baptizandi exprimitur,* Alexander III *asserit, in fg. anni incerti (1159-81)* : Si quis sane puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen; et non dixerit : *Ego baptizo te*, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, non est puer baptizatus.

1021. *Unde propositio damnata ab* Alexandro VIII, *a. 1690* : 27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : In nomine Patris etc., praetermissis illis : Ego te baptizo.

b) De mersione.

1022. *Huic de formula quaestioni affinis est illa de una vel trina mersione. Trinam mersionem esse adhibendam asserit* Pelagius I *in epistola ad Gaudentium, fg. a. 558-60* : Multi sunt, qui *in nomine Christi* solummodo, *una* etiam *mersione*, se asserunt baptizari. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo Domino et Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet *in nomine Trinitatis, trina* etiam *mersione*, sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino

1. *De Spiritu Sancto*, I. 3, n. 42; vide notam editoris in hunc locum. PL. 16 713.

nostro Iesu Christo discipulis suis : *Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Mt. XXVIII, 19).

1023. Gregorius I, *habita ratione variarum consuetudinum, pro variis Ecclesiis, utramque rite usurpari declaravit in ep.* Respondere *epistolis, ad Leandrum ep. Hispalensem, april. 591* : De trina vero mersione baptismatis, nil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus triduanae sepulturae sacramenta signamus ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione aestimet fieri neque ad hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant dumque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur[1].

1024. *Quare* Toletanum IV, *a. 633, post recitata Gregorii verba, utens libertate sua, antiquum usum unius mersionis, adversus arianorum haeresim, ad asserendam unitatem Trinitatis primo constitutum, retinendum esse his verbis decrevit* : Cap. VI. Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in sancto baptismo a tanto viro reddita est ratio quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos qui tertio mergunt haereticorum probare assertionem, dum sequuntur et morem. Et ne forte cuiquam sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem et resurrectionem Christi significari : nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est et rursus ab aquis emersio resurrectio est. Item videat in eo unitatem divinitatis et Trinitatem personarum ostendi, unitatem dum semel immergimus, Trinitatem dum nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizamus.

c) De ministro.

1025. *DArm. (1439)* : Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paga-

1. Lege notam f. edd. in h. l. apud PL. 77 497.

nus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.

Cf. *Fides Orientalium* (1743): Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum imminest, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque, et quandocunque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum.

CIC *c.* 738, § 1 : Minister ordinarius baptism. sollemnis est sacerdos; sed eius collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. — c. 741. Extraordinarius baptismi sollemnis minister est diaconus, qui tamen sua potestate ne utatur sine loci ordinarii vel parochi licentia iusta de causa concedenda quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur. — c. 742. § 1 · Baptismus non sollemnis... potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione.

1026. *Hinc damnata propositio* (ALEXANDER VIII, *1690*) : 28. Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendo quod facit Ecclesia.

1027. *Optime iam a* NICOLAO I, *responsione 15 ad Bulgaros, haec eadem doctrina catholica asserta fuerat* : Porro interrogatis utrum homines illi qui hoc ab illo (sacerdote graeco falso) baptisma receperunt, christiani sint an iterum baptizari debeant. Sed si in nomine summae ac individuae Trinitatis baptizati fuere, christiani profecto sunt et eos a quocunque christiano baptizati sunt, iterato baptizari non convenit [*hic laudat Anastasii ep. ad imp. Anastasium, de Acacio, supra n. 992*] ... quia secundum famosissimum apostolum, *neque qui plantat*, id est, catechizat, *neque qui irrigat*, id est, baptizat, *est aliquid : sed qui incrementum dat Deus*. Et ideo malus bona ministrando non aliis sed sibi detrimenti cumulum ingerit ac per hoc certum est quia quos ille graecus baptizavit, nulla portio laesionis attigit, propter illud *: hic est qui baptizat* id est Christus, et iterum *Deus incrementum dat*, subauditur et non homo (I Cor. III, 7).

1028 *Neque tamen quemquam se ipsam baptizare posse, le finit* INNOCENTIUS III, *in ep.* Debitum pastoralis *episc. Metensi 28 aug. 1206* : Intimasti, quod quidam Iudaeus in mortis articulo constitutus, cum inter Iudaeos tantum exsisteret, in aquam seipsum immersit dicendo : Ego baptizo me in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Nos autem fraternitati tuae respondemus, quod, cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur evidenter, dicentis Apostolis : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Mt xxviii, 29) memoratus Iudaeus est

denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur quod alius est qui baptizatur, et alius qui baptizat.

Ad quod etiam designandum ipse Christus non a seipso sed a Ioanne voluit baptizari. . In baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur de qua Veritas ait : *Oportet vos nasci denuo quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum caelorum* (Io. III, 5). Sicut ergo in carnali generatione qua proles ex viro et femina nascitur, alius est qui carnaliter gignit et alius est qui carnaliter gignitur, sic et in sacramentali generatione qua soboles ex aqua et Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse qui spiritualiter generat et alius qui spiritualiter generetur. Sane cum corpus exterius sive cum cor interius baptizatur, oportet ut utrobique paternitas et filiatio valeat inveniri quibus baptizans et baptizatus ad invicem referantur.

d) Contra reiterationem baptismi.

Canon tridentinus directe alludit ad valorem baptismi ab haeretico collati. Hinc commemoranda aliqua ex innumeris documentis quibus, a saeculo III, tum Pontifices tum Concilia doctrinam catholicam propugnarunt atque ideo baptismum reiterari non debere multoties decreverunt; adde can. 11 infra.

1029. *Saec. III, magna exstitit controversia[1] cum pars Ecclesiae Orientalis et Africanae Firmiliano episcopo Caesareae et Cypriano Carthaginis ducibus Stephano papae doctrinam genuinam fidei catholicae propugnanti acriter contradiceret. Hi enim dicebant :* Haeretico sicut ordinare non licet nec manum imponere, ita nec baptizare nec quicquam sancte spiritualiter gerere, quando alienus sit a spiritali et deifica sanctitate[2] *Stephanus contra asserebat, apostolorum vestigia premens :* quasi apostoli eos qui ab haeresi veniunt baptizari prohibuerint et hoc custodiendum posteris tradiderint[3] !

(18) Sed in multum, proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi[4].

Quare iubebat : (1) Si qui ergo a quacunque haeresi venient ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum[5].

1. *De hac controversia*, cf. A. D'ALÈS : DA, a. Baptême des hérétiques, t. I, 390-418, *index documentorum habetur* p. 391-5. — 2. *Firmiliani inter Cypriani ep.* 75, 7. — 3. *Firmiliani inter Cypriani ep.* 75, n. 5. — 4 *Ibid.* n. 18. — 5. *Cypriani ep.* 74 *ad Firmilianum.*

Idem Firmilianus haec de sententia Stephani tradit in ep. 75: 8. Stephanus et qui illi consentiunt contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in haereticorum baptisma posse procedere apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum Sanctum non esse. . 9. Non putant quaerendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti... sed dicunt eum qui quomodocunque foris baptizatur mente et fide sua Baptismi gratiam consequi posse... 12. Illud etiam quale est quod vult Stephanus his qui apud haereticos baptizantur adesse praesentiam et sanctimoniam Christi?... (17) Stephanus qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt... Stephanus qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur, concedens illis non modicam sed maximam gratiae potestatem, ut dicat eos et asseveret per baptismi sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione caelesti filios Dei facere, ad aeternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare... 22... Et non pudet Stephanum asserere ut per eos qui cum ipsi in hoc omnibus peccatis sint constituti dicat posse remissionem peccatorum dari, quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis.

1030. *Saec. IV, decernitur primum in* Arelatensi (314)[1]: Can 8 De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur'

1031. *Deinde in Nicaeno 325* η'. Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς Καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ· πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλη-

---

1031 [Versio Dionysii Exigui] Can. 8. De his, qui se nominant Catharos id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam placuit sancto et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod catholicae

1 *De controversia saec. IV, vide* I. Ernst *Die Ketzertaufangelegenheit in der altchr. Kirche nach Cyprian*, 1901, Hl. 9, 15, 42, 70, 93, ...

σίας δόγμασιν· τουτέστι καὶ διγάμοις κοινωνεῖν καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν...

ιθ'. Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος· εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου.

1032. *Tum in* Laodiceno *(post medium saeculum IV)*: **a) can. 7.** Περὶ τοῦ τοὺς ἐκ τῶν αἱρέσεων, τουτ' ἔστι Ναυατιανῶν ἤτοι Φωτεινιανῶν ἢ Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν, ἐπιστρεφομένους [εἴτε κατηχουμένους] εἴτε πιστοὺς παρ' ἐκείνοις μὴ προσδέχεσθαι, πρὶν ἀναθεματίσωσι πᾶσαν αἵρεσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν ᾗ κατείχοντο· καὶ τότε λοιπὸν τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς πιστοὺς ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ.

b) can 8. Περὶ τοῦ τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιστρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζομένῳ παρ' αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιστοι λέγοιντο, τοὺς τοιούτους μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων.

1033. *Canon 7* CP I, *oec. II, non a. 381 sed postea, medio fortasse saeculo V, tantum confectus est*: **VII.** Τοὺς προστιθεμένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ καὶ τῇ μερίδι τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν δεχόμεθα κατὰ τὴν ὑποτεταγμένην ἀκολουθίαν καὶ συνήθειαν. Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονια-

---

et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur; id est, et bigamis se communicare et his qui in persecutione prolapsi sunt.

Can. 19. De Paulianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis. Si qui autem de his praeterito tempore fuerint in clero si quidem immaculati et irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab episcopo Ecclesiae catholicae.

1032 Can 7 Eos qui ex haeresibus, hoc est Novatianis sive Photinianis vel Tessarsdecatitis convertuntur sive catechumenos sive qui apud illos fideles dicuntur non admitti priusquam omnem haeresim anathematizaverint et praecipue eam in qua detinebantur et tunc deinceps eos qui apud illos fideles dicebantur, fidei symbola discentes et sancto chrismate inunctos sic sancto mysterio communicare. — 8. Eos qui ab eorum haeresi qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in clero qui apud illos existimatur sive maximi dicantur, omnes eos cum omni studio catechizari seu initiari et baptizari ab ecclesiae episcopis et presbyteris.

1033. Eos qui rectae fidei adiciuntur et parti eorum qui ex haereticis servantur recipimus secundum subiectam hic consequentiam et consuetudinem Arianos quidem et Macedonianos et Sabbatianos et Novatianos qui dicunt seipsos Catharos et Aristeros (hoc est mundos vel sinistros) et Tessaradecatitas, sive Tetradi-

νούς, καὶ Σαββατιανούς, καὶ Ναυατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς καθαροὺς καὶ Ἀριστεροὺς, καὶ τοὺς Τεσσαρεσκαιδεκατίτας, εἴτουν Τετραδίτας, καὶ Ἀπολλιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, καὶ σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό τε μέτωπον καὶ τὸ στόμα καὶ τὰ ὦτα· καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν· Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου. Εὐνομιανοὺς μέντοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, καὶ Μοντανιστὰς τοὺς ἐνταῦθα λεγομένους Φρύγας, καὶ Σαβελλιανοὺς τοὺς υἱοπατορίαν διδάσκοντας, ἢ ἕτερά τινα χαλεπὰ ποιοῦντας, καὶ τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, ἐπειδὴ πολλοί εἰσιν ἐνταῦθα, μάλιστα οἱ ἀπὸ τῆς Γαλατῶν χώρας ἐρχόμενοι, πάντας τοὺς ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα· καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς Χριστιανούς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾶν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν· καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.

1034. *In Occidente* CARTHAGINIENSE I, *sub Grato (a. 348 vel 349)* :

Gratus episcopus dixit : 1. Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis; et sanctitatem vestram postulo ut mentis vestrae placita producatis, an descendentem in aquam, et interrogatum in Trinitate secundum evangelii fidem et apostolorum doctrinam et confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, liceat iterum interrogari in eadem fide et in aqua iterum tingi.

Universi episcopi dixerunt : Absit. Illicitam enim esse sancimus rebaptizationem et satis esse alienam a sincera fide et a catholica disciplina.

1035 SIRICIUS, *in ep.* Directa ad decessorem, *ad Himerium ep. Tarraconensem, 10 feb. 385 :* Prima itaque paginae tuae fronte signasti baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle : quod non

---

tas et Apollinaristas recipimus dantes quidem libellos et omnem haeresim anathematizantes quae non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia et signatos sive unctos primum sancto chrismate et frontem et oculos et nares et os et aures. Et eos signantes dicimus : signaculum doni Spiritus Sancti. Atqui Eunomianos qui in unam demersionem baptizantur et Montanistas qui hic dicuntur Phryges et Sabellianos qui eundem esse Patrem et Filium opinantur, utrumque simul confundentes et alia gravia et indigna faciunt; et alios omnes haereses, quoniam hic multi sunt haeretici; et maxime qui ex Galatarum regione veniunt, quicumque ex his rectae fidei adscribi volunt ut Graecos admittimus; et primo quidem die ipsos christianos facimus, secundo catechumenos, deinde tertio exorcizamus sive adiuramus ipsos ter simul in faciem eorum et aures insufflando. Et sic eos catechizamus sive initiamus et curamus ut longo tempore versentur in ecclesia et audiant Scripturas: et tunc eos baptizamus.

licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet (Eph. v, 5) et canones contradicant et post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo LIBERIO generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis aliisque haereticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit; a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.

1036. *Non semel hac de re* INNOCENTIUS I *scripsit : a) ep.* Etsi tibi *ad Victricium episc. Rotomagensem 15 feb. 404 :* VIII, 11. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.

b) *Ad* Rufum *ceterosque in Macedonia episcopos, ep.* Magna me gratulatio, *13 dec. 414, exponens quae de haereticis synodus Nicaena statuisset, Novatianos non rebaptizari, Paulianistas contra rebaptizari iubens :* 11 ...Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant, et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris et Filii et Spiritus Sancti quaestio aliquando commota est, et ideo omnibus segregatis haec sola electa est cui istud crederent concedendum quia nihil in Patris et Filii et Spiritus Sancti sacramento peccarent.

c) *Ad Alexandrum episcopum Antiochenum ep.* Et onus et honor, *c. a. 415 :* 4. Arianos praeterea ceterasque huiusmodi pestes quia eorum laicos conversos ad Dominum, sub imagine paenitentiae ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipi debere dignitate : quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus quod utique in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti perficitur, nec Sanctum Spiritum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur : quoniam cum a catholica fide eorum auctores descisserent perfectionem Spiritus quam acceperant amiserunt. Nec dare eius plenitudinem possunt, quae maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam potius quam fidem dixerim, perdiderunt. Qui fieri potest ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur quorum laicos imperfectos ut dixi ad Sancti Spiritus percipiendam gratiam cum paenitentiae imagine recipiamus[1]?

---

1. *Arelatensi II (443 vel 451) duo hac de re canones tribuebantur. cf.* Photi-

1037. Leo I a) *Cum, barbaris cogentibus, fideles aliqui se iterum baptizari sivissent, ipse ep.* Regressus ad nos, *21 mart. 458 ad Nicetam episcopum Aquileiensem, hanc regulam statuit* : 6. His vero de quibus dilectio tua similiter nos credidit consulendos qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt vel errore traducti et nunc se contra catholicae fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio qua in societatem nostram, non nisi per paenitentiae remedium et per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant unitatem .. 7. Nam hi qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis servandam in omnibus Ecclesiis praedicamus, ut lavacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente apostolo : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, cuius ab uno nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatione Spiritus Sancti invocanda est, ut quod ab haereticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur.

b) *Iterum in ep.* Frequenter quidem, *ad Neonem episcopum Ravennatem (458)* : 2. Quod si ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur : sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur ut per episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur.

1038. Gregorius I, *in ep.* Quia caritati, *ad Quiricum et episcopos Hiberniae, iun. vel iul. 601* : Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut, quilibet apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiae revocentur ; unde Arrianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum Ecclesiae catholicae Oriens reformat. Monophysitas vero et alios ex sola vera confessione recipit quia sanctum baptisma, quod sunt apud haereticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint vel isti per professionem verae fidei sanctae et universali ecclesiae visceribus fuerint uniti. — Hi vero

nianos sive Paulianistas secundum patrum statuta baptizari oportere ... Bonosiacos autem ex eodem errore venientes quos sicut Arianos baptizat in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint cum chrismate et manus impositione in ecclesiae recipi sufficit. *Qui tamen hodie ut ceteri huius collectionis, compilationis privatae ex veteribus canonibus esse agnoscuntur. Cf. HL § 164, t. 2, p. 461 n. 1 et 467 cum n. 3 de bonosiacis*

haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci et Catafrigae quia et illi Christum Dominum non credunt et isti Sanctum Spiritum perverso sensu esse quendam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt alii, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptismum non fuit quod in errore positi in sanctae Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum baptisma, dici iteratum quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum[1]. *Cf. supra n. 304, verba quibus* Lateranense IV (*Oec.* XII, *1215*) *vituperat* Graecos *rebaptizantes baptizatos a Latinis.*

e) De baptismo dubio.

1039 *Etsi cum quaestio erat de iteratione baptismi, agebatur praecertim de iis qui ab haereticis vel malis ministris baptizati erant, mox tamen necesse fuit de his etiam rationem habere de quibus utrum revera baptizati essent dubitabatur. Verendum enim erat ne reiteratione baptismi eius unitati officeretur. De quo* Carthaginiense V (*401*) *c. 5.* Item placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur neque ipsi sunt per aetatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere absque ullo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt quia multos tales a barbaris redimunt.

1040. *Idem semel et iterum* Leo I *etiam declaravit, in ep.* 166 ; Frequenter quidem *ad Neonem episc. Ravennatem* (*458*) : Nam quorundam fratrum suggestione comperimus aliquos captivorum ad sedes suas libere redeuntes qui scilicet in captivitatem illa aetate devenerint quae nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismatis sed utrum eiusdem mysterium baptismatis ac

1. *Laudatur etiam locus quidam* Zachariae *Papae in epistola ad Bonifatium* Sacris liminibus (*748*). *Verum obscurus est et in textu videtur tantum referre opinionem quorundam in synodo Anglorum, de qua interrogatus respondet postea locis supra relatis* (*n. 1018*). De illo autem quod per quosdam affirmari scripsisti ut si evangelicis quis verbis, invocata Trinitate, iuxta regulam a Domino positam quicumque mersus esset in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti quod sacramentum sine dubio haberet : et ita fortiter verbis evangelicis fuisset consecratum baptisma : ut, quamvis sceleratissimus quisque haereticus vel schismaticus, aut latro, aut fur, sive adulter, hoc homini petenti ministraret, tamen Christi esset baptisma verbis evangelicis consecratum : et e contra, licet minister iustus fuerit, si Trinitatem, iuxta regulam a Domino positam, in lavacro non dixisset, verum baptisma non esset quod dedit

sacramenta perceperint infantiae inscientia non posse reminisci et ideo sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quae ideo non impenditur quia putatur impensa. Cum itaque tribuere talibus dominici sacramenta mysterii non immerito quorundam fratrum formido dubitarit, in synodali ut diximus coetu, formam huiuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discutientes, pro uniuscuiusque sensu sollicita volumus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum certius pervenire possemus. Eadem ergo quae in sensum nostrum divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assensio. In primis itaque providere debemus ne, dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita sit suspicationibus suis deditus ut verum esse definiat quod, omni manifestatione cessante, ex opinione ambigua suspicatur? Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur qui regenerationis est cupidus nec alter attestari de eo possit qui nesciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit qui consecratur nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiabile esse facinus quoties, iuxta haereticorum damnata a sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est bis subire, apostolica reclamante doctrina quae nobis unam praedicat in Trinitate deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum (Eph. IV, 5). Sed in hoc nihil simile formidatur quoniam non potest in iterationis crimen venire quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate utrum nemo sit penitus qui testimonio suo iuvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam cuius in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis ianuam aperire quam numquam ante docetur ingressus.

1041. ***De variis casibus, idem, in ep. 167:*** **Epistolas fraternitatis** ***ad Rusticum*** (458-9) ***eadem statuit.***

Inquisitio 16. De his qui a parentibus Christianis parvuli derelicti sunt et utrum baptizati sint non potest inveniri, an debeant baptizari?

Resp. Si nulla exsistant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quaeritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne manifeste pereant in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.

Inq. 17. De his qui parvuli ab hostibus capti sunt et non se sciunt

baptizatos sed sciunt se aliquoties ad ecclesiam a parentibus ductos, utrum possint vel debeant cum ad Romanam venerint baptizari?

Resp. Qui possunt meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.

Inq. 18. De his qui ex Africa vel de Mauritania venerunt et nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat observari?

Resp. Non se isti baptizatos nesciunt sed cuius fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire profitentur: unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus Sancti quam ab haereticis accipere non potuerant, catholicis copulandi sunt.

1042. *Eadem* Gregorius II *ep.* Desiderabilem mihi *ad Bonifatium* (726)*:* 9. De parvulis vero qui a parentibus subtracti sunt et an baptizati sint annon ignorant quia interrogasti, hos ut baptizare debeas secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.

1043. *Quod commemorans* Zacharias *papa, ep.* Sacris liminibus (748), *eidem Bonifatio responsum simile dedit:* Illos autem viros qui ab haereticis baptizati sunt et dubietas tenet quod in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti non sint baptizati, inquisita rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sunt, hos sine dubio, iuxta praedecessoris nostri bonae memoriae Gregorii papae et sacrorum canonum traditum tibi mandatum implere non omittas, ne in aeternum pereant sed potius evangelica consecratione salventur.

1044. *Hinc* Alexander III *recise in quodam fg.* (1159-81)*:* De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo,* etc.

1045. *Quare damnatur propositio* **synodi Pistoriensis** *a* Pio VI (1794)*:* 27. Deliberatio Synodi, quae praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione; ***temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.***

1046. *Praxis hodierna de haereticis, ex decreto S. Off.* (1878)*:* *Dubium:* An baptismum sub conditione conferri debeat haereticis, qui convertuntur ad religionem catholicam, a quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant?

Negative. Sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in haeresi

suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tum sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei.

5. — De necessitate baptismi et eius effectu

a) De gratia iustificationis.

1047. Can. 5. Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem : A. S.

1048. *Fusius supra, sess. VI Tridentini, cap 4, n 876; adde DArm (1439) :* Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis; omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum caelorum et Dei visionem perveniunt.

1049. *Error* Lutheri (Leo X, *1520*) *:* 2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

1050. Gregorius I, *postquam assueverat in ep.* Dilectionis tuae, *ad Secundinum (m. maio 599) :* illud incertum non est quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta, — *hunc novatorum errorem quasi praevidens, refutavit in ep.* Magnus omnipotenti *ad Theoctistam patriciam (feb. 601) :* Si qui vero sunt qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad caelestis munditiae mysterium anima ligatur ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhaereat de quo Propheta ait : *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (Ps. LXXII, 28) Certe enim maris Rubri transitus figura sancti baptismatis fuit in quo hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi. Sic quippe omnes qui in sancto baptismate tinguntur eorum peccata praeterita omnia lavantur quia eis veluti Aegyptii hostes a tergo moriuntur... Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari Rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter

mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas quam umbra veritatis. In evangelio Dominus dicit : *Qui lotus est non indiget ut lavet sed est mundus totus* (Io. XIII, 10). Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis : *Qui lotus est mundus est totus.* Nihil ergo ei de peccati sui contagio remanet quam totum fatetur mundum ipse qui redemit.

1051. *Alterum errorem quem* Tridentinum *universe de sacramentis profligavit can. 7 (supra n. 978), de baptismo* Romanum, *n 863. damnavit :* C. 9. De his qui dicunt quia in baptismate originale peculum non omnibus dimittatur. — Omnibus enim qui dicunt quod hi qui sacrosancti fonte baptismatis, credentes in Patrem et Filium Sanctumque Spiritum renascuntur, non aequaliter originali abluantur delicto, A. S.

1052. *Canones 6-10* Tridentini *falsas quasdam consequentias de baptismo recepto respuunt, quas novatores asserebant et quae partim iam, in sessione de iustificatione, ab ipso Tridentino impugnata erant (supra p. VI, n. 885 sq.) :*

Can 6. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere : A. S.

Can 7. Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae : A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint : A. S.

Can. 9. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quae post baptismum fiunt vi promissionis in baptismo ipso iam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur et ipsi baptismo : A. S.

Can 10. Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri : A. S.

b) De charactere

1053. *Neque hic effectus omittendus est quem* Tridentinum, *can. 9 de sacramentis in genere, asseruit, quique implicite tum supra can. 4, tum sequenti etiam commemoratur :*

Can. 11. Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad paenitentiam convertitur : A. S.

De qua vide celebrem Innocentii III *decretalem ad Ymbertum episc. Arelatensem (sept. — oct. 1201)* [*supra* n. 983].

Praestat tandem recolere tres ex hac necessitate conclusiones quas tum Pontifices tum concilia praeceptis suis illustrarunt. Prima est de baptismo dubio iterando *de quo iam supra actum est, altera* de baptismo conferendo quovis tempore in casu necessitatis, *tertia* de baptismo eius voto supplendo :

c) De tempore baptismi conferendi proprio.

1054. *Id erat in Paschate et in Pentecoste tantum; de quo severissime antiqui post* Siricium, Leonem I, Gelasium I, *praeceperunt*[1], *at simul infantes aut eos qui essent in aliquo periculo propter animae necessitatem, ab hac lege eximere non dubitaverant. Sic* Siricius *ad Himerium ep.* Directam, *10 feb. 385* . II. 3. Sicut sacram ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus qui necdum loqui poterunt per aetatem vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri ne ad nostrarum perniciem tendat animarum si negato desiderantibus fonte salutari exiens unusquisque de saeculo et regnum perdat et vitam. Quicumque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum vel cuiuslibet corporalis aegritudinis desperationem inciderint et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis expetitae regenerationis praemia consequantur.

1055. Leo I, *eadem repetit, in ep. 16,* Divinis praeceptis, *21 oct. 447, ad episcopos Siciliae :* 5. Principalis tamen et maximi sacramenti (Incarnationis) custodienda nobis est mystica et rationalis exceptio, non interdicta licentia qua in baptismo tribuendo qualibet

1. *Textus praecipui :* De Consecratione *d. 4, c. 11-17.*

tempore periclitantibus subveniatur. Ita enim ad has duas festivitates connexas sibimet atque cognatas, incolumium et in pacis securitate degentium libere vota differimus ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare praesidium cuiquam denegemus.

In altera ep. 168 Magna indignatione, *ad episc. Campaniae (6 mart 459)* : 1. Admonemus igitur et non sine periculo status eorum qui hoc faciunt protestamur ut ab hac praesumptione cessetur et summam hanc potentissimamque Dei gratiam non nisi in Paschali et Pentecostes die desiderantibus et credentibus conferatis, manente quolibet tempore gravioris necessitatis ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur cum servata sicut praelocuti sumus duarum tantummodo festivitatum reverentia, propter multa pericula sit cavendum ne cuiquam aut in desperata aegritudine, aut in hostilitatis incursu aut in timore naufragii, per sacerdotem Domini regeneratio denegetur.

1056. Gelasius I: **a)** *In epistola, ad clerum et plebem Tarentinam* Concessa vobis *(a. 494 c. finem-495 aug) :* Venerabilis baptismi sacramentum nisi in festivitate Paschali et Pentecostes tradere non praesumat episcopus, exceptis aegritudine laborantibus quibus urgente mortis periculo talibus oportet, ne in aeternum pereant, remediis subveniri. — **b)** *In altera* Necessaria rerum, *11 mart. 494, ad episcopos Lucaniae, Brutii et Siciliae :* 10. Baptizandi sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, praeter Paschale festum et Pentecostes venerabile sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu in quo verendum est ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortasse aegrotans exitio praeventus abscedat.

1057. *Liber diurnus 6. (Synodale quod accipit episcopus) :* Sacrosancti autem baptismi sacramentum non nisi in Paschali festivitate et Pentecoste noverit esse praebendum, exceptis his quibus mortis urgente periculo, ne in aeternum pereant, talibus oportet remediis subveniri.

1058. CIC, c. 770, Infantes quamprimum baptizentur et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant. — c. 771 Baptismus privatus, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est. — c. 772. Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest ; decet tamen adultorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis.

d) De voto baptismi.

1059. *Hic est baptismus, ut aiunt, flaminis, de quo* Innocentius II *haec scribebat ad episcopum Cremonensem, ep.* Apostolicam sedem *(1130-43)*[1] : Inquisitioni tuae taliter respondemus : Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse litteris tuis significasti, quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et caelestis patriae gaudium esse adeptum ex auctoritate sanctorum Patrum Augustini atque Ambrosii asserimus incunctanter. Lege, frater, super octavo libro Augustini de civitate Dei, ubi inter cetera legitur : *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Librum etiam beati Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis revolve[2]. Sopitis igitur quaestionibus, doctorum Patrum sententias teneas, et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato.

1060 Innocentius III, *de Iudaeo qui se ipse baptizaverat in ep.* Debitum pastoralis *(supra n. 1028)* : Quamvis si talis decessisset, ad caelestem patriam protinus evolasset, propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum.

6. — De subiecto, praesertim de parvulis.

1061. Can. 12. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo : A. S.

1062. CIC. c. 745. § 1. Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus. § 2. Cum agitur de baptismo : 1° Parvulorum seu infantium nomine veniunt, ad normam can. 88, § 3, qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti; 2° adulti autem censentur qui rationis usu fruuntur, idque satis est ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur. — c. 747. Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute; si dubie, sub conditione. — c. 752, § 1. Adultus nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur, insuper admonendus ut de peccatis suis doleat. § 2. In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est, ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se eisdem assentire serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum. § 3. Quod si baptismum ne petere quidem queat sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione, si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus rursus conferatur.

1. In Decr. Greg., 3, 43, 2, tribuitur Innocentio III. — 2. PL. 16. 1368 sq.

1063. Can. 13. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae : A. S.

Can. 14. Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant : A. S.

1064. *De parvulis praeter documenta superius de necessitate et effectu baptismi et de baptismo dubio iam allata, haec addenda sunt :*

Innocentius III, *in ep.* Maiores Ecclesiae *ad Ymbertum archiepisc. Arelatensem, sub fin. 1201 :* Asserunt enim parvulis inutiliter baptisma conferri. Quod nituntur tam ratione quam auctoritate probare, illud primo et praecipue inducentes quod cum secundum verbum Iacobi Apostoli dicentis in epistola sua (v, 20): *Caritas operit multitudinem peccatorum* et iuxta illud testimonium veritatis in evangelio de peccatrice quae ipsius pedes laverat, perhibentis : *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum* (Lc vii, 48) non nisi per caritatem et in caritate peccata dimittantur, parvulis qui nec sentiunt nec consentiunt et caritatem non habent, quae sentientibus et consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in baptismo. Et sic eis baptisma non confert quia non est talibus conferendum. In evangelio quoque legitur : *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur;* unde parvuli sive fuerint sive non fuerint baptizati condemnabuntur, utpote non credentes.

Ad id autem taliter respondemus quod baptisma circumcisioni successit. Absit enim ut in illam damnatam haeresim incidamus quae perperam

affirmabat legem cum evangelio et circumcisionem cum baptismo servandam, quoniam secundum Apostolum dicentem ad Galatas : *Si circumcidimini, Christus vobis nihil prodest* (Gal. V, 2.). Cum ergo circumcisio tam adultis quam parvulis ex praecepto Domini conferretur ne baptismus, qui successit loco ipsius et generalior tamen exsistit, cum tam viri quam feminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam *adultis* quam *parvulis* est conferendus. Sicut enim olim sine distinctione qualibet mosaica lex clamabat (Gen. xvii, 4.) : *Anima cuius praeputii caro circumcisa non fuerit peribit de populo suo*, ita nunc indistincte vox intonat evangelica : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei;* ab hac generalitate nec aetatem nec sexum excludens. Unde sicut anima circumcisi de populo suo non peribat, sic qui ex aqua fuerit et Spiritu Sancto renatus, regni caelorum introitum obtinebit.

Caute tamen notandum est quantum plus baptismus hodie conferat christianis quam quondam Iudaeis circumcisio contulisset : dictum est in fine praedictae auctoritatis inductae de veteri lege : *peribit de populo suo*, in evangelica vero auctoritate subiunctum est : *non intrabit in regnum Dei*, quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum caelorum quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum et ad regnum caelorum etiam pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit. Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.

1065. Ceterum ex vi litterae satis patet praedictas auctoritates intelligendas esse tantummodo de adultis qui habent multitudinem peccatorum, cum de parvulis non possit intelligi qui peccato tantum originali tenentur. Similiter et alia auctoritas est solvenda : *Qui crediderit et baptizatus fuerit*, etc., cum non possint credere parvuli sed adulti. Et ob hoc tota auctoritas hic intelligenda est solummodo de adultis nec ad alios prima et ad alios secunda clausula referatur; quamvis nonnulli concedant quod parvuli credunt non per usum sed per habitum fidei quem suscipiunt in baptismo, sicut alia multa verba secundum communem usum loquendi non ad actum sed ad aptitudinem referuntur. Illud vero quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute, cum propter hoc inter doctores theologos quaestio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpa remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis vero dicentibus et dimitti

peccatum, et virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem adultam. Verum quidam ex hac solutione invenisse se credunt viam ad alias quaestiones, argumentantes ex eo quod dicimus parvulis in baptismate peccatum originale dimitti quod et adultis dormientibus vel amentibus peccatum si baptizentur ratione simili dimittatur. Cum enim neutri sentiant tunc vel consentiant dicunt idem in consimilibus iudicandum. Hic vero dicimus distinguendum, quod peccatum est duplex, originale scilicet et actuale : originale, quod absque consensu contrahitur et actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti, actuale vero, quod cum consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.

1066. Sed adhuc quaeritur quare non saltem originale peccatum amentibus et dormientibus in baptismo sicut parvulis dimittatur. Ad hoc est taliter respondendum quod Dominus, qui totum hominem salvum facit in sabbato, opus imperfectionis non novit et ob hoc peccata non ex parte sed ex toto dimittit. Praeterea poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus. Unde si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis : sed haec tanquam incompossibilia sese minime patiuntur, immo sibi mutuo adversantur.

1067. *Idem* Innocentius III, *in professione fidei pro Waldensibus* (1208), *de baptismo puerorum* : Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus.

1068. Clemens V in Viennensi, oec. *XV (1312), quinam essent effectus baptismi in pueris enucleatius definivit :* § 2. Ad hoc baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regenerans est, sicut *unus Deus, ac fides unica* (Eph. iv, 5), ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.

Verum quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis e contra asserentibus, quod et culpa iisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum (1065) : Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi,

quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.

1069. Disc. (*1442*) *urget obligationem quamprimum conferendi baptismum parvulis, ne in aeternum pereant :* Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus, iuxta quorundam observantiam, sacrum baptisma differendum; sed quamprimum commode fieri potest debere conferri : ita tamen quod, mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiae, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur (1025).

1069 bis. *De veritatibus ab adulto credendis sic respondit tempore* Clementis XI, 25 ian. 1703, *Sanctum Officium ad episc. Quebec. :* Utrum antequam adulto conferatur baptisma, minister ei teneatur explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret si moribundus promitteret fore ut ubi et morbo convalesceret instruendum se curet ut in praxim redigat quod ei praeceptum fuerit?

Resp. Non sufficere promissionem sed missionarium teneri adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.

Et iterum : 10 maii 1703 : An possit baptizari adultus rudis et stupidus ut contigit in barbaro, si ei detur sola Dei cognitio et aliquorum eius attributorum, praesertim iustitiae remunerativae et vindicativae, iuxta hunc Apostoli locum : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est et remunerator est* (Heb. II, 6), ex quo infertur adultum in certo casu urgentis necessitatis posse baptizari quamvis non credat explicite in Iesum Christum.

Resp. Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum Iesum Christum sed teneri illum instruere de omnibus iis quae sunt necessaria necessitate medii iuxta captum baptizandi.

III

DE CONFIRMATIONE

Cum pauca breviaque sint documenta atque plura simul tractent ordine chronologico tantum disponentur.

1070. Illiberitanum *(306)* :

c. 38. Ut in necessitate et fideles baptizent.

Loco peregre navigantes aut si ecclesia proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.

c. 77. De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.

Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quod si ante de saeculo recesserint, sub fide qua quis credidit poterit esse iustus.

1071. Laodicenum (s. IV.) : c. 48. Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ.

1072. Innocentius I, *in ep.* Si instituta *(416) ad Decentium episc. Eugubinum :* 6. De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum (Act. VIII, 14-17). Nam presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet sed quod ab episcopo

---

1071. Oportet eos qui illuminantur, post baptisma inungi supercaelesti chrismate et esse Christi [regni] participes.

fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.

1073. Cabilonense II (*a. 813*) c. 27. Dictum nobis est quod quidam de plebe bis et ter ab episcopis, ignorantibus eisdem episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est eandem confirmationem sicut nec baptismum iterari minime debere.

1074. Innocentius III : **a)** *ep.* Quanto *(1199) Vicario suo CP.* : Pervenit sane ad audientiam nostram quod quidam simplices sacerdotes apud CP. ea sacramenta praesumunt fidelibus exhibere quae ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre... Discretioni tuae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus omnibus latinis presbyteris apud CP. constitutis districte prohibeas ne talia de cetero sua temeritate praesumant.

b) *Idem, in ep.* Cum venisset *ad Basilium, arch. Trinovitanum (1204)* : 7. Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos, id est episcopus, debet conferre quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat (Act. viii, 14-17)... Cuius adventus per unctionis ministerium designatur, quia columba in qua Spiritus Sanctus in baptismo descendit ad vesperum in cataclysmo revertens, ramum retulit virentis olivae, cuius utique sacramentum David propheta praenoscens exhilarandum faciem in oleo praedicavit (Ps. ciii, 15).

c) *Idem, in* Fide pro Waldensibus *(1208)* : Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus.

1075. Innocentius IV, *ep.* Sub Catholicae *(1254)* : 4. Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia haec unctio non debet nisi per episcopos exhiberi, quoniam soli apostoli quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio representat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.

5. Singuli quoque episcopi in suis ecclesiis, in die cenae Domini, possunt secundum formam Ecclesiae chrisma conficere ex balsamo quidem et oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in chrismatis unctione confertur et columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Graeci potius servare voluerint videlicet quod patriarcha una cum archiepiscopis et episcopis eius suffraganeis et archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

1076. *Professio fidei* **Mich. Palaeologi** *(1274)* : Aliud est sacramentum confirmationis quod per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos.

1077. Clemens VI, *in ep.* Super quibusdam *ad Consolatorem catholicon Armeniae (1351)* : Responsiones dedisti, quae nos inducunt ut a te sequentia requiramus : *Primo* de consecratione chrismatis, si credis quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari. — *Secundo*, si credis quod sacramentum confirmationis per alium quam per episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. — *Tertio*, si credis quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi. — *Quarto*, si credis quod chrismati per quoscunque sacerdotes, qui non sunt episcopi neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi.

1078. *Error* **Wicleff** (Constantiense et Martinus V, *1418*) : 28. Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

1079. *Interrogantur WH (ibid.)* : 19. Item utrum credat quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis vel extremae unctionis aut solemnizationis matrimonii, peccat mortaliter.

1080. D. Arm. *(1439) (praesertim ex* Innocentio III, *supra n.* 1074) : Secundum sacramentum est confirmatio, cuius *materia* est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per episcopum benedicto. — *Forma* autem est : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Ordinarius *minister* est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre : quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. *Cum enim audissent*, inquit, *Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, ora-*

verunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum (Act. VIII, 14-17). Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. — *Effectus* autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae *Iudaeis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia* (I Cor. 1, 23) secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

1081. Tridentinum, *sess.* VII *(1547), praeter canones de sacramentis in genere et de baptismo, tres canones edidit :*

De Confirmatione.

Can. 1. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adulescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant : A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt : A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem : A. S[1].

1082. Clemens VIII, *In* Instructione ad Italo-Graecos *(1595), dicit de eorum presbyteris :* Chrisma autem, quod non nisi ab episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

1083. Benedictus XIV, *in const.* Etsi pastoralis (1742) *pro Italo-Graecis* : 3. Episcopi Latini infantes seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris Graecis absolute chrismate in fronte consignantes

1. Adde quae sess. 23, cap. 4 et can. 7, de ordine (*infra* n. 1308) decernuntur, post Hispalense IV (619) can. 7 et Meldense (845) can. 44. Cf. CT. V 838-4. Mangenot, Confirmation d'après le Concile de Trente, *in* DTC III 1088-93.

confirment, cum neque per praedecessores nostros neque per Nos Graecis presbyteris in Italia et insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur[1].

1084. *Error* modernistarum (Pii X. DL, 1907) : 44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis : formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

1085. CIC, *c. 780 :* Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

C. 781 § 1. Chrisma in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab episcopo consecratum etiamsi sacramentum a presbytero ex iure vel apostolico indulto ministretur. — § 2. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita.

C. 782, § 1. Ordinarius confirmationis minister est solus episcopus. — § 2. Extraordinarius minister est presbyter cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit. — § 3. Hac facultate ipso iure gaudent praeter S. R. E. Cardinales ad normam c. 239, § 1, n. 23, Abbas vel praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum. — § 4. Presbyter latini ritus, cui vi indulti haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi indulto aliud expresse cautum fuerit. — § 5. Nefas est presbyteris ritus orientalis qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus.

1. De differentia ritus confirmationis inter utramque Ecclesiam legenda est eiusdem ep. *Ex quo*, 1 mart. 1756, § 49-58.

IV

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA[1]

A) De sacrosancto Missae sacrificio.

1. — Tridentinum (sessio XXII, 17 sept. 1562).

Doctrina de sacrificio Missae.

1086. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem Apostolicae Sedis legatis, ut vetus, absoluta atque omni ex parte perfecta, de magno Eucharistiae mysterio, in sancta catholica Ecclesia, fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate, propulsatis erroribus atque haeresibus, conservetur; de ea, quatenus verum et singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, haec quae sequuntur docet, declarat, et fidelibus populis praedicanda decernit.

Cap. 1. *De institutione sacrosancti Missae sacrificii*[2].

1087. Quoniam sub priore Testamento teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, *sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere* (Heb. vii, 11), Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot *sanctificandi* essent, *consummare* (Heb. x, 14) et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum, in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat (Heb. vii, 24), in cena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret atque illius salutaris virtus

1. In hac materia disponenda ordinem sequimur CIC, l. III, tit. 3.
2. Tituli capitum sunt additicii.

in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur (can. 1), *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum* (Ps. cix, 4) constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba : *Hoc facite in meam commemorationem* (Lc. xxii, 19; I Cor. xi, 24), uti semper Ecclesia catholica intellexit et docuit (can. 2). — Nam celebrato vetere Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha seipsum, ab Ecclesia per sacerdotes, sub signis visibilibus, immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit *eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit* (Col. i, 13). [1097-1103].

Et haec quidem illa *munda oblatio* est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, *in omni loco mundam offerendam* praedixit (Mal. i, 11), et quam non obscure innuit apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit *non posse eos*, qui participatione *mensae daemoniorum* polluti sint *mensae Domini participes fieri* (I Cor. x, 21), per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Cap. 2. *Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis :*

1088 Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac paenitentes ad Deum accedamus, *misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (Heb. iv, 16). Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum paenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro

fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite iuxta Apostolorum traditionem offertur (can. 3 et 4). [1104-5].

Cap. 3. *De Missis in honorem Sanctorum.*

1089. Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed, Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam facimus in terris* (can. 5).

Cap. 4. *De canone Missae.*

1090. Et cum Sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus (can. 6).

Cap. 5. *De sollemnibus missae sacrificii caeremoniis*

1091. Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce (can. 9), alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit, caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur (can. 7).

Cap. 6. *De Missa in qua solus sacerdos communicat.*

1092. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo com-

mendat, si quidem illae quoque Missae vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur (can. 8). [1108].

Cap. 7. *De aqua in calice offerendo vino miscenda.*

1093. Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere eius *aqua* simul cum *sanguine* exierit (Io. xix, 34); quod sacramentum hac mixtione recolitur, et cum *aquae* in Apocalypsi beati Ioannis *populi dicantur* (Apoc. xvii, 15), ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur (can. 9).

Cap. 8. *De Missa vulgari lingua passim non celebranda et mysteriis eius populo explicandis.*

1094. Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur (can. 9). Quamobrem, retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta Romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve *parvuli panem petant et non sit qui frangat eis* (Th. iv, 4), mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter, inter Missarum celebrationem, vel per se vel per alios, ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis. [1108-10].

Cap. 9. *Prolegomenon canonum sequentium.*

1095. Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur atque disputantur, sancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu quae huic purissimae fidei sacraeque doctrinae adversantur damnare et a sancta Ecclesia eliminare per subiectos hos canones constituit.

De sacrificio Missae.

1096. Can. 1: Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: A. S. (Cap. 1.)

Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam*

commemorationem Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum : A. S. (Cap. 1).

Can. 3. Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, offerri debere : A. S. (Cap. 2).

Can. 4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari : A. S. (Cap. 2).

Can. 5. Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit : A. S. (Cap. 3).

Can. 6. Si quis dixerit, canonem Missae errores continere ideoque abrogandum esse : A. S. (Cap. 4.)

Can. 7. Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis : A. S. (Cap. 5).

Can. 8. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas : A. S. (Cap. 6).

Can. 9. Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem : A. S. (Cap. 5, 6, 7).

Fides Pii IV *Tridentina* (1564) : Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. *Fides pro* Orientalibus (1743) idem habet sed legit : offerri Deo in Missa.

2. — Documenta connexa.

a) Ad cap. 1 de materia.

1097. *DArm. (1439) :* Tertium est Eucharistiae sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. — *CIC*, c. 814. Sacrosanctum sacrificium offerri debet ex pane et vino cui modicissima aqua miscenda est.

1098. *DIac. (1442) :* Panis vero triticeus in quo sacramentum conficitur, an eo die an antea coctus sit, nihil omnino refert. — *CIC*, c. 815, § 1. Panis debet esse mere triticeus et recenter confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis.

1099. *DGr. (1439) :* Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem. — *CIC*, c. 816. In Missae celebratione sacerdos secundum proprium ritum debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque sacrum litat.

1100. *CIC*, 815, § 2 : Vinum debet esse naturale, de genimine vitis non corruptum.

1101. Honorius III, *in ep.* Perniciosus valde, *ad Olaum arch. Upsalensem, 13 dec. 1220* : Perniciosus valde, sicut audivimus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quod in maiore quantitate de aqua ponitur in sacrificio quam de vino : cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiae generalis plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum. Ideoque Fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus id non de cetero facias nec in tua provincia fieri patiaris.

1102. *CIC*, c. 817 : Nefas est, urgente etiam necessitate, alteram materiam sine altera aut etiam utramque, extra missae celebrationem, consecrare[1].

b) Ad cap. 1 et can. 2.

1103. *Error* Wicleff (Constantiense et Martinus V, *1418*) : 5. Non est fundatum in Evangelio quod Christus missam ordinaverit.

---

1. Consule documenta ad hos canones *CIC* allegata.

c) Ad cap. 2 et can. 3.

1104. *Error* **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, *1794*):

De applicatione fructus sacrificii.

30. Doctrina synodi, qua, dum profitetur *credere, sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*, dein continuo subicit : *non tamen, quod credamus, in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet*, unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;* sic intellecta ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit ceteris paribus illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum (sess. 23, c. 1 de reform.; Bened. XIV Constit. *Cum semper oblatas*, § 2) : — falsa temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

1105. *De fructu Eucharistiae, ut est sacrificium, quoad genus humanum*, Leo XIII, *in enc.* Mirae caritatis *(1902)* : Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium : ab Ecclesia propterea *pro totius mundi salute* assidue offerri solitum. Cuius sacrificii, communibus piorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione cultum addecet, hac aetate vel maxime oportet. Itaque multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus. — Principia lumine ipso naturae perspicua illa sunt : supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus, quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina largitate profectum : vicissimque a nobis Deo testandam et summam ut Domino, reverentiam, et maximam ut beneficentissimo, gratiam. Haec tamen officia quotusquisque hodie

invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus haec, si unquam alia, prae se fert aetas... Iamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil iucundius potest. Nam divina est, quae immolatur hostia, per ipsam igitur tantum augustae Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas eius immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati eius non modo agamus gratiam, sed plane referamus. — Duplicemque alium ex tanto sacrificio insignem fructum licet et necesse est colligere. Maeret animus reputando, quae flagitiorum colluvies, neglecto, ut diximus, contemptoque Dei numine, usquequaque inundaverit. Omnino humanum genus magnam partem videtur caelestem iram devocare : quanquam ipsa illa quae insidet, malarum rerum seges, continet iustae animadversionis maturitatem. Excitanda igitur in hoc etiam pia fidelium contentio, ut et vindicem scelerum placare Deum, et auxiliorum eius opportunitatem calamitoso saeculo conciliare studeant. Haec autem videant maxime huius ope Sacrificii esse quaerenda. Nam divinae tum iustitiae rationibus satis cumulateque facere, tum clementiae large impetrare munera possunt homines sola obitae a Christo mortis virtute. Sed hanc ipsam virtutem sive ad expiandum, sive ad exorandum voluit Christus integram permanere in Eucharistia, quae mortis ipsius non inanis quaedam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quanquam incruenta et mystica, renovatio est.

d) Ad cap. 6 et can. 8.

1106. *Error* **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, 1794) :

De participatione victimae in sacrificio Missae.

28. Propositio synodi, qua, postquam statuit, *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem*, subiungit *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant; ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;* quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet : — falsa, erronea, de haeresi suspecta eamque sapiens

e) Ad cap. 7 et can. 9 de aqua miscenda.

1107. Florentinum, *in DAmr. (1439)* :
Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae pridem in disputatione exhibita creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc convenit dominicae passionis repraesentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro : « In sacramentorum oblationibus, quae intra Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum : quia utrumque, id est, sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur. » Tum etiam, quod convenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis : *Aquae multae... populi multi* (Apoc. xvii, 15). Et Iulius Papa secundus post beatum Sylvestrum, ait : « Calix Domini cus iuxta canonum praeceptum vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur et iungitur[1]. » Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum Graecorumque ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment : eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae, prout dictum est, vino admisceant.

f) Ad cap. 8 et can. 9 de lingua liturgica.

1108. CIC. *c. 819* : Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati.

1109. — *Error* Quesnel (*Clemens XI, 1713*) : 86. Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei.

1. Haec testimonia sunt ex Pseudo-Isidoro, in Gratiano, De Consec. d. 2, c. 1 et 7, cf. S. T. III, q. 74, a. 6, a quo DAmr. mutuatur haec argumenta.

1110. *Error* Synodi Pistoriensis (Pius VI, *1794*) :

De modo iungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

66. Propositio asserens *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae ;* intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae : — falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

B) De Sanctissimo Eucharistiae sacramento.

1. — De ipso sacramento.

a) Tridentinum

(Sess. XIII, 11 oct. 1551)[1].

Decretum de sanctissimo Eucharistiae sacramento.

1111. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Sedis Apostolicae legato et nuntiis, etsi in eum finem, non absque peculiari Spiritus sancti ductu et gubernatione convenerit, ut veram et antiquam de fide et sacramentis doctrinam exponeret, et ut haeresibus omnibus, et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagitatur, et in multas et varias partes scinditur, remedium afferret ; hoc praesertim iam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania exsecrabilium errorum et schismatum, quae inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in *doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctae Eucharistiae* superseminavit ; quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis, et caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta Synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper

1. C T V ; cf. Godefroy, *Eucharistie, d'après le concile de Trente*, in D T C, V, 1326-56.

catholica Ecclesia, ab ipso Iesu Christo Domino nostro et eius Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit, et ad finem usque saeculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum atque definitum.

Cap. 1. *De reali praesentia D. N. I. X. in SS. Eucharistiae sacramento*

1112. Principio docet sancta Synodus et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae Eucharistiae sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium, contineri (can. 1). Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dextram Patris in caelis assideat, iuxta modum exsistendi naturalem, et ut, multis nihilominus aliis in locis, sacramentaliter praesens, sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus et constantissime credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum, in ultima cena, Redemptorem nostrum instituisse, cum, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis, testatus est, quae verba, a sanctis Evangelistis commemorata (Mt. xxvi, 26, sq; Mc. xiv, 22 sq; Lc. xxii, 19 sq), et a divo Paulo postea repetita (I Cor. xi, 23 sq), cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri, quae, *columna et firmamentum veritatis* (I Tim. iii, 15), haec ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica detestata est, grato semper et memori animo, praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens [1122-26].

Cap. 2. *De ratione institutionis sanctissimi huius sacramenti.*

1113 Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, *memoriam faciens mirabilium suorum* (Ps. cx, 4), et in illius sumptione colere nos *sui memoriam* (I Cor. xi, 24),

praecepit, suamque *annuntiare mortem, donec* ipse ad iudicandum mundum *veniat* (I Cor. xi, 26). Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Io. vi, 58), et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur (can. 5). Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius *corporis*, cuius ipse *caput* (I Cor. xi, 3; Eph. v, 23) exsistit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis conexione adstrictos esse voluit, ut *idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata* (I Cor. i, 10). [1127-34].

Cap. 3. *De excellentia SS. Eucharistiae super reliqua sacramenta.*

1114. Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod praebebat; et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere (can. 1 et 4) sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius conexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam *ex mortuis resurrexit non amplius moriturus* (Rom. vi, 9), inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus exsistit (can. 3). [1135-6].

Cap. 4. *De Transsubstantiatione.*

1115. Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae conversio convenienter

et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata (can. 2). [1137-48].

Cap. 5. De cultu et veneratione huic SS. Sacramento exhibendis.

1116 Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum. Nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei* (Hebr. 1, 6; ex Ps. XCVI, 7), quem Magi *procidentes adoraverunt* (Mt. II, 11), quem denique in Galilaea ab Apostolis *adoratum* fuisse Scriptura testatur (Mt. XXVIII, 17). Declarat praeterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant (can. 6).

Cap. 6. De asservando sacrae Eucharistiae sacramento et deferendo ad infirmos.

1117. Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam NICAENI concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo catholicae Ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit (can. 7).

Cap. 7. De praeparatione adhibenda ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat.

1118. Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe, quo magis sanctitas et divinitas caelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans Corpus Domini* (1 Cor. XI, 29). Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet autem seipsum homo* (1 Cor. XI, 28). Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur (can. 11).

Cap. 8. De usu admirabilis huius sacramenti.

1119. Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum caelestem panem edentes, *fide* viva, *quae per dilectionem operatur* (Gal. V, 6), fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter, hi autem sunt qui ita se prius probant et instruunt, ut *vestem nuptialem induti* (Mt. XXII, 11 sqq.) ad divinam hanc mensam accedant (can. 8). In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens iure ac merito retineri debet (can. 10).

Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et *carnem suam* nobis dedit ad *manducandum* (Io. VI, 48 sqq.), haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut *panem* illum *supersubstantialem* (Mt. VI, 11) frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, *cuius vigore confortati* (III Reg. XIX, 8) ex huius miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eundem

panem Angelorum (Ps. LXXVII, 25), quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. [1149-1167].

1120 Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur *errores* : placuit sanctae Synodo hos *canones* subiungere, ut omnes, iam agnita catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant.

De ss. Eucharistiae sacramento.

1121. Can. 1. Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo vel figura, aut virtute : anathema sit. (Cap. 1 et 3).

Can. 2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat : A. S. (Cap. 4).

Can. 3. Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri : A. S. (Cap. 3).

Can. 4. Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini : A. S. (Cap. 3).

Can. 5. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire : A. S. (Cap. 2).

Can. 6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem sollemni-

ter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras : A. S. (Cap. 5).

Can. 7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur : A. S. (Cap. 6).

Can. 8. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter : A. S. (Cap. 8).

Can. 9. Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae : A. S. (*infra* n. 1151, LATERANENSE IV).

Can. 10. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare : A. S. (Cap. 8).

Can. 11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum : A. S. Et, ne tantum Sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat. (Cap. 7).

Fides Pii IV *Tridentina* (1564) : (Profiteor) atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.

Fides pro **Orientalibus** (1743) *post* sacramento *addit* : iuxta fidem quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere; *post* Christi *addit* ac proinde totum Christum, *post* Ecclesia *addit* aptissime; *post* appellat *ac pergit* : et sub unaquaque specie, et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

b) Documenta conexa.

Ad cap. 1 et can. 1 **de praesentia reali.**

1122 *Iuramentum* **Berengarii** *in concilio* Romano VI, *a. 1079, coram* Gregorio VII, *post multiplices damnationes :* Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Iesu Christi Domini nostri et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae, sicut in hoc brevi continetur et ego legi et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

1123. *Errorem similem damnat* Innocentius III *in ep.* Cum Marthae *ad Ioannem olim arch. Lugdun., 29 nov. 1202 :* Ex eo autem verbo, de quo movit tua fraternitas quaestionem, videlicet *mysterium fidei*, munimentum erroris quidam trahere putaverunt, dicentes in sacramento altaris non esse corporis Christi et sanguinis veritatem, sed imaginem tantum et speciem et figuram, pro eo quod Scriptura interdum commemorat, id, quod in altari suscipitur, esse sacramentum et mysterium et exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec auctoritates Scripturae convenienter intelligunt, nec sacramenta Dei suscipiunt reverenter, Scripturas et virtutem Dei pariter nescientes. Si enim ideo quia figura est sacramentum altaris veritas esse negatur, ergo nec mors nec resurrectio Christi, cum figura sit, veritas est credenda.

1124. *Item* Clemens IV, *ep.* Quanto sincerius, *28 oct. 1267, ad arch. Narbonensem :* Sane familiariter tibi scribimus illo dumtaxat conscio, qui presentem exaravit scripturam, ad nostrum pervenisse nuper auditum quod tu, in nostra exsistens curia, cuidam magno viro tecum de sacramento altaris conferenti dixisti corpus Domini nostri Iesu Christi sanctissimi essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo, et hanc celebrem esse opinionem Parisius a [illegible]. Repsit autem hic sermo latenter inter aliquos divulgatus et ad nos postremo perveniens scandalizavit nos plurimum, nec facile nobis exstitit credere talia te dixisse quae haeresim continent manifestam et illius sacramenti derogant veritati, in quo fides eo negotiatur utilius, quo

sensum superat, intellectum captivat et suis legibus subicit rationem. Propter tuae fraternitati consulimus, ut non plus sapias quam oportet. Non imponas Parisiensibus quod non sentiunt, sed fatearis humiliter et firmiter teneas quod communiter tenet Ecclesia, quod sancti docent et predicant, sub speciebus scilicet panis et vini post sacra verba iuxta ritum Ecclesiae ore sacerdotis prolata, esse vere, realiter et essentialiter corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, licet localiter sit in caelo. Et si forsan habes memoriam qui vel quibus asserueris, id scripto vel verbo revoces, ne de te male sentiant qui male iudicant de tam insigni mysterio ita sentire[1].

1125. a) *Error* **Wicleff** (Martinus V, *1418) :* 3. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali.
b) *Error* **Zanini de Solcia** (Pius II, *1459*) : 7. Et in hostia consecrata non quoad humanitatem sed divinitatem dumtaxat exsistere

1126 *Error* **modernistarum** (DL Pii X, *1907) :* 45. Non omnia quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I Cor. xi, 23-25) historice sunt sumenda.

2. *Ad cap. 2 et 8 atque can. 5 : de* **effectibus.**

1127. *D Arm.* (*1439*) : Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur : omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem : in quo, ut inquit Urbanus Papa[2] gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

1128. Leo XIII, *in enc.* Mirae caritatis *(28 maii 1902) : Christus vita* . Beneficia porro ex Eucharistia manantia qui studiose religioseque consideret, illud sane praestare atque eminere intelliget quo cetera quaecumque sunt continentur; ex ipsa nempe vitam in homines, quae vere vita est, influere : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (Io. vi, 52). — Non uno modo, quod alias docuimus, Christus est *vita;* qui adventus sui inter homines causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitae plus quam humanae ubertatem : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (Io. x, 10). Statim namque

---

1. Respondet Archiepiscopus negans veritatem facti et respuens haeresim.
2. In bulla *Transiturus* (1264) de festo Corporis Christi.

ut in terris *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* (Tit. III, 4), nemo quidem ignorat vim quandam continuo erupisse ordinis rerum prorsus novi procreatricem, eamque in venas omnes societatis civilis et domesticae permanasse. Novae inde homini cum homine necessitudines; nova publice et privatim iura, nova officia; institutis, disciplinis, artibus novos cursus : quod autem praecipuum, hominum animos et studia ad veritatem religionis sanctitatemque morum traducta, atque adeo vitam homini communicatam, caelestem plane ac divinam. Huc nimirum ea spectant, quae crebro in sacris litteris commemorantur, *lignum vitae*, *verbum vitae*, *liber vitae*, *corona vitae*, nominatimque *panis vitae*.

1129 *Panis vitae frequenter sumendus* : At vero quoniam haec ipsa de qua dicimus vita expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur atque viget, ita alteram sustentari cibo suo et augeri oportet...

Absit igitur pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiae usum ad eos fere amandandum esse qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitae religiosioris proposito. Ea quippe res, qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet) divinae gratiae in se fovere vitam, cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae. Homines enim et civitates, ut necessario ex Deo sunt, ita in nullo vivere, moveri, efficere boni quidquam, nisi in Deo per Iesum Christum queunt; per quem late profluxerunt et profluunt optima quaeque et lectissima. Sed horum omnium fons et caput bonorum est potissimum augusta Eucharistia : quae cum eam alat sustentetque vitam cuius ex desiderio tam vehementer laboramus, tum dignitatem humanam, quae tanti nunc fieri videtur, immensum auget. Nam quid magis aut optabilius, quam effici, quoad ejus fieri possit, divinae participem consortemque naturae? At enim hoc nobis Christus praestat in Eucharistia maxime, qua evectum ad divina, gratiae munere, hominem arctius etiam sibi adiungit et copulat. Id enim interest inter corporis cibum et animi, quod ille in nos convertitur, hic nos in se convertit; qua de re Christum ipsum Augustinus loquentem inducit : *Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me*[1].

1130. *Effectus quoad fidem* . Ex hoc autem praecellentissimo Sacramento, in quo potissime apparet quemadmodum homines in divinam inseruntur naturam, idem habent in omni supernarum virtutum genere

1. *Conf.* l. VII, c. 10, PL. 32, 742.

incrementa maxima. Et primum in *fide*... Iamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum, proprie *mysterium fidei* appellatum : hoc nimirum uno, quaecumque supra naturam sunt singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* (Ps. cx, 45). Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit incarnationem, cuius beneficio restitueretur humani generis salus, secundum illud Apostoli : *Proposuit..... instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso.* (Eph. I, 9-10), Eucharistia, Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis hominibus copulatur; et supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur; id quod praesignificavit Malachias : *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (Mal. I, 11). Quod miraculum unum omnium in suo genere maximum, miracula comitantur innumerabilia; hic enim omnes naturae leges intermissae; tota substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertitur; panis et vini species, nulla re subiecta, divina virtute sustentatur; corpus Christi tam multa simul loca nanciscitur, quam multis simul in locis Sacramentum perficitur. Humanae autem rationis quo magis erga tantum mysterium intendatur obsequium, quasi adiumento suppetunt prodigia, in eiusdem gloriam veteri memoria et nostra patrata, quorum publica exstant non uno loco eaque insignia monumenta. Hoc igitur Sacramento videmus fidem ali, mentem enutriri, rationalistarum commenta dilui, ordinem rerum quae supra naturam sunt maxime illustrari.

1131. *Contra libidinem* : Sed ut divinarum rerum fides languescat, non modo superbia, quod supra attigimus, sed etiam depravatio facit animi. Verum teterrimi huius mali praeclarum in divina Eucharistia praesto est remedium. Nam, omnium primum, augendo caritatem, libidinem coercet; ait enim Augustinus : *Nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas*[1]. Praeterea castissima Iesu caro carnis nostrae insolentiam comprimit ut Cyrillus monuit Alexandrinus : *Christus enim existens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem*[2]. Quin etiam fructus Eucharistiae singularis et iucundissimus est quem significavit propheticum illud : *Quid bonum eius (Christi) est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines* (Zach. IX, 17),

1. *De diversis quaestionibus* 83, *quaest.* 36, PL. 40, 25. — 2. Lib. IV, c. 2, *in Joann.* VI, 57. PG. 73. 585 A.

videlicet sacrae virginitatis forte et constans propositum, quod, vel diffluente deliciis saeculo, latius in dies uberiusque in catholica Ecclesia florescit : quanto quidem ubique cum religionis ipsiusque humani convictus emolumento et ornamento est probe cognitum.

1132 *Quoad spem* Accedit quod huiusmodi Sacramento *spes* bonorum immortalium fiducia auxiliorum divinorum mirifice roboratur... Iam vero augustum Eucharistiae Sacramentum, beatitatis et gloriae causa idem et pignus est idque non animo tantum sed etiam corpori Cum enim animos caelestium bonorum copia locupletat, tum iis perfundit suavissimis gaudiis, quae quamlibet hominum aestimationem et spem longe superent, in adversis rebus sustentat, in virtutis certamine confirmat, in vitam custodit sempiternam, ad eamque tanquam instructo viatico perducit. Corpori autem caduco et fluxo Hostia illa divina futuram ingenerat resurrectionem, siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit, Christo obsecuta affirmanti : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Io. vi, 55).

Quoad paenitentiam. Cum re cohaeret magnique interest id considerare, ex Eucharistia, quippe quae a Christo instituta sit tanquam *passionis suae memoriale perenne*[1], christiano homini castigandi salutariter sui denuntiari necessitatem. Iesus enim primis illis sacerdotibus suis : *Hoc facite,* inquit, *in meam commemorationem* (Lc. xxii, 19), id est hoc facite ad commemorandos dolores, aegritudines, angores meos, meam in cruce mortem Quapropter huiusmodi sacramentum idem et sacrificium assidua est in omne tempus paenitentiae, ac maximi cuiusque laboris adhortatio, itemque voluptatum, quas homines impudentissimi tantopere laudant et efferunt, gravis et severa improbatio : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (I Cor. xi, 26).

1133. *Quoad caritatem.* Praeter haec, si in praesentium malorum causas diligenter inquiras, ea reperies inde fluxisse, quod hominum inter ipsos caritas, caritate adversus Deum frigescente, deferbuerit... Quanquam vero rectum est omnes iustitiae partes inter ordines civium convenienter tutari, praecipuo tamen caritatis praesidio et temperamento id demum assequi licebit ut in hominum societate salutaris ea quam Paulus suadebat, *fiat aequalitas* (II Cor. viii, 14), facta conservetur. Hoc igitur Christus voluit, cum augustum hoc Sacramentum

---

1. *S. Thomas Aquin., opusc. LVII : Offic. de festo Corp. Christi.*

instituerat, excitanda caritate in Deum, mutuam inter homines fovere caritatem. Haec enim ex illa, ut perspicuum est, suapte natura exsistit, et sua veluti sponte effunditur : neque vero fieri potest ut ulla ex parte desideretur, quin immo incendatur et vigeat oportet, si Christi erga ipsos caritatem perpendant in hoc Sacramento ; in quo, ut potentiam suam et sapientiam magnifice patefecit, sic *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit*[1]. Tam insigni ab exemplo Christi, omnia sua nobis largientis, sane quantum ipsi inter nos amare atque adiuvare debemus, fraternae necessitudine quotidie arctius devincti ! Adde quod vel signa ipsa, quibus huiusmodi constat Sacramentum, peropportuna coniunctionis incitamenta sunt *(Allegat* Cyprianum, Augustinum et Thomam, Tridentinum...).

Idque edixerat Paulus : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (I Cor. x, 17). Illud enimvero pulcherrimum ac periucundum est christianae fraternitatis aequalitatisque socialis specimen, promiscue ad sacra altaria circumfundi patritium et popularem, divitem et pauperem, doctum et indoctum, eiusdem aeque participes convivii caelestis. — Quod si merito in Ecclesiae fastis hoc primordiis eius vertitur propriae laudi quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (Act. iv, 32), sane eos tam eximium bonum debuisse consuetudini mensae divinae, obscurum non est; de ipsis enim commemoratum legimus : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et in communicatione fractionis panis* (Act. ii, 42). — Mutuae praeterea inter vivos caritatis gratia, cui a Sacramento eucharistico tantum accedit roboris et incrementi, Sacrificii praesertim virtute ad omnes permanat qui in sanctorum communione numerantur. Nihil est enim aliud sanctorum communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel caelesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terra peregrinantes, in unam coalescentes civitatem cuius caput Christus, cuius forma caritas. Hoc autem fide est ratum, etsi soli Deo Sacrificium augustum offerri liceat, tamen etiam honori Sanctorum in caelis cum Deo regnantium, *qui illos coronavit*, celebrari posse ad eorum patrocinium nobis conciliandum atque etiam, ut ab Apostolis traditum, ad labes fratrum abolendas, qui iam in Domino mortui, nondum plane sint expiati. — Sincera igitur caritas quae, in salutem utilitatesque omnium, omnia facere et pati assuevit, prosilit nempe ardetque actuosa ex sanctissima Eucharistia, ubi Christus adest ipse vivus, ubi suo erga nos amori vel maxime indulget divinaeque impulsus caritatis impetu suum perpetuo sacrificium instaurat. Ita facile apparet undenam homi-

---

1. *Trid., sess. 13, c. 2.* (n. 1113).

rum apostolicorum ardui labores, unde tam multae varineque apud catholicos institutae benemerendi de humana familia rationes sua ducant auspicia, vires constantiam felicesque exitus...

1134. *Summa et hortatio.* Ipsum (*Sacramentum*) sive pie mediteris, sive rite adores, sive eo magis, pure sancteque percipias, tanquam centrum existimandum est in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit; ceteri quicunque habentur pietatis modi demum in id ipsum conducunt et desinunt. Atque ea Christi benigna invitatio benignior que promissio: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mt., xi, 28), in hoc praecipue mysterio evenit et quotidie impletur. — Ipsum denique est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur. Ex eo itemque haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia; quae propterea summam curarum in eo collocat ut fidelium animos ad intimam cum Christo coniunctionem per Sacramentum Corporis et Sanguinis eius instruat et adducat: ob eamque rem caeremoniis sanctissimis ipsum ornando facit venerabilius. — Perpetuam hoc etiam in genere providentiam Ecclesiae matris ea praeclarius commendat hortatio, quae in sacro Tridentino Concilio edita est (n. 1119). — Porro testis historia est, christianae vitae cultum vulgo floruisse melius, quibus temporibus esset Eucharistiae perceptio frequentior. Contra non minus est exploratum consuevisse, ut, cum caelestem panem negligerent homines et veluti fastidirent, sensim elanguesceret christianae professionis vigor.

3. *Ad cap. 3 et 4 atque can. 2 et 3 : de* natura sacramenti *Eucharistiae*

1135. Innocentius III, *in ep.* Cum Marthae (*29 nov. 1202*) *ad Ioannem, quondam arch. Lugdunensem :* Dicitur tamen *mysterium fidei*, quoniam et aliud ibi creditur, quam cernatur, et aliud cernitur, quam credatur. Cernitur enim species panis et vini, et creditur veritas carnis et sanguinis Christi, ac virtus unitatis et charitatis. Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et caritatis. Primum est sacramentum et non res. Secundum est sacramentum et res. Tertium est res et non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminae rei. Secundum autem est sacramentum unius, et alterius res exsistit. Tertium vero est res gemini sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in canone reperitur, et a Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperint successores. Nam, sicut

superius est expressum, multa de verbis et factis dominicis ab evangelistis omissa et sermonibus suppleverunt apostoli et operibus expresserunt (n. 953).

De ministro *cf. infra* n. 1328.

De materia *cf. supra* n. 1097-1101.

1136. *De* forma, *DArm.* (*1439*) : Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.

Iterum in DIac. (*1442*) : Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum doctrina et auctoritate firmata, semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione corporis hac utitur forma verborum : *Hoc est enim corpus meum;* sanguinis vero : *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

4. *Ad cap. 3-4 et can. 2-3, de* transsubstantiatione.

1137. Innocentius III, *in ep.* Cum Marthae, *ad Ioannem, 29 nov. 1202 :* Quaesivisti etiam utrum aqua cum vino, in sanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur quod, cum de latere Christi duo praecipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum et aqua, quae commiscentur in calice, divina virtute mutantur, ut in hoc sacramento plenae sint veritas et figura. Alii vero tenent, quod aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino, licet physici contrarium asseverent, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Praeterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa ita quod saporem vini assumit... Sed nec inconveniens creditur aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsius latere processisse. Illud autem est nefarium opinari, quod quidam dicere praesumpserunt, aquam videlicet in phlegma converti. Nam et de latere Christi non aquam sed humorem aquaticum mentiuntur exisse, non attendentes quod de latere Christi duo fluxerunt sacramenta et quod non baptizamur in phlegmate sed in aqua (Io. iii, 5). Verum inter opiniones praedictas illa probabilior iudicatur, quae asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressius elluceat proprietas sacramenti. Nam cum aquae multae sint populi multi, iuxta quod alibi legitur : *Beati qui seminatis super aquas* (Is. xxxii, 20), ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur.

Cf. *ep.* In quadam nostra, *ad Ugonem ep. Ferrariensem, 5 mart.*

1209, in qua damnationem renovat et iterum sententiam suam explicat, occasione textus I Io. 1, 5.

1138. *Idem, in professione fidei pro Waldensibus (1208)*: Sacrificium id est panem et vinum [*al.* In sacrificio Eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum], post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fideliter affirmamus, in quo nihil a bono maius nec a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus Sancti.

1139. *Idem et* LATERANENSE IV, *occ. XII (1215) : (Ecclesia,)* in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina : ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Iesus Christus.

1140. *Error* **Wicleffi** (MARTINUS V, *1418*) : 1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris. — 2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.

1141. *Interrogantur WH (ib.)* : 16. Item, utrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in sacramento altaris sub velamento panis et vini non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus et sedet ad dexteram Patris. — 17. Item, utrum credat et asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, et praeter speciem vini, sit vera caro Christi et sanguis et anima et deitas et totus Christus, ac idem corpus absolute et sub unaqualibet illarum specierum singulariter.

1142. *Fides* **Mich. Palaeologi** *(1274)* : Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

1143. FLORENTINUM, *in DArm. (1439), de forma tractans* : Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur : ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini. Sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus

1144. *Iterum in DIac. (1442), loquens de materia* : Dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post praefata verba consecrationis corporis a sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transsubstantietur.

1145. *Error* **synodi Pistoriensis** (PIUS VI, *1794*) :

De ritus consecrationis efficacia.

29. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1) Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus ; 2) tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei TRIDENTINUM Concilium definivit, et quae in sollemni fidei professione continetur ; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica : — perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis.

1146. *Reiecta est explicatio sequens transsubstantiationis* (PIUS IX, *decr. S. Off.*, *7 iul. 1875*) :

Ad dubium : Utrum tolerari possit explicatio transsubstantiationis in ss. Eucharistiae sacramento, quae sequentibus propositionibus comprehenditur :

1. Sicut formalis ratio hypostaseos est per se esse seu per se subsistere, ita formalis ratio substantiae est in se esse, et actualiter non sustentari in alio tanquam primo subiecto, probe enim ista duo discernenda sunt ; esse per se (quae est formalis ratio hypostaseos), et esse in se (quae est formalis ratio substantiae).

2. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non per se subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiore divina, ita substantia finita ex. gr. substantia panis, desinit esse substantia, eo solum, et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut iam non in se sit, sed in alio ut in primo subiecto.

3. Hinc transsubstantiatio seu conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in Eucharistia,

sustentat naturam panis, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse substantia, quia iam non est in se, sed in alio sustentante; adeoque manet quidem natura panis, sed in ea cessat formalis ratio substantiae; et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi.

4. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum iam in alio supernaturaliter exsistentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem supernaturalis accidentis, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi modo, quo dictum est, sustentantur.

Responsum est : Doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse.

1147. *Propositiones* **rosminianae** *damnatae (1887) :* 29. A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc coniecturam : In eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat : eo ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis. — 31. In sacramento Eucharistiae *vi verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini quae transsubstantiantur : reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam.* — 30. Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.

1148. *De permanentia Christi sub speciebus :* **a)** *Error* **Abaelardi** (Innocentius II, 1141) : 9 Quod corpus Domini non cadit in terram; **b)** *error* **Petri de Bonageta** *et* **Ioannis de Latone** *(Gregorius XI, 1371) :* 1. Quod si hostia consecrata cadat seu proiciatur in cloacam, lutum seu aliquem turpem locum, quod, speciebus remanentibus, sub eis esse desinit corpus Christi et redit substantia panis. — 2. Quod si hostia consecrata a mure corrodatur seu a bruto sumatur, quod, remanentibus dictis speciebus, sub eis desinit esse corpus Christi et redit substantia panis. — 3. Quod si hostia consecrata a iusto vel a peccatore sumatur, quod dum species dentibus teritur, Christus ad caelum rapitur et in ventrem hominis non traicitur.

Ad cap 7-8 et can. 8-11, de **communione.**

1149 *De ministro : CIC, c. 845, § 1.* Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos § 2. Extraordinarius est diaconus, de

ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

1150. *De subiecto, CIC, c. 853 :* Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur admitti potest et debet ad sacram communionem.

1151. *De obligatione communicandi*, **a)** *in Paschate,* Lateranense IV, *sec. XII (1215) :*

Cap. 21. De confessione facienda, et non revelanda a sacerdote et saltem in Pascha communicando.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi paenitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab eius perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat.

1152. *Eadem in CIC, c. 859, § 1 : post* discretionis *addit :* idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte... abstinendum. — *§ 4.* Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit. — *c. 860.* Obligatio praecepti communionis sumendae quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum. — *c. 861.* Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem. *Eu negativa propositionis damnatae ab Innocentio XI (1679) :* 55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam communionem.

1153 **b)** *In periculo mortis : CIC, c. 864, § 1 :* In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur. — *§ 2.* Etiamsi eadem die sacra communione fuissent refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti, denuo communicent. — *§ 3.* Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet.

1154 *De ritu CIC, c. 866, § 1 :* Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas ut, pietatis causa, sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant. — *§ 2.* Suadendum tamen ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant. — *§ 3.* Sanc-

tum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est, sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere.

1155. *De obligatione confitendi, CIC, c. 856 :* Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.

1156. *Propositiones damnatae ab Alexandro VII (1666) :* 38. Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi *quamprimum*, est consilium, non praeceptum. — 39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

1157. *Propositiones damnatae ab* Alexandro VIII *(1690) :* 22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis paenitentiam egerint. — 23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.

1158. *De dispositionibus requisitis error* Lutheri (Leo X, *1520*) : 15. Magnus est error eorum, qui ad sacramenta Eucharistiae accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas et praeparatoria : omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos

1159. *De communione* frequenti et quotidiana, Nicolaus I, *ad Bulgaros, resp. 9 (866) :* Corpori et sanguini dominico quotidie in quadragesima maiori si debeatis communicare consuluistis, quod ut fiat Dominum omnipotentem suppliciter exoramus et vos omnes vehementissime exhortamur si tamen mens in affectu peccandi non sit vel si hanc non de criminalibus peccatis conscientia impaenitens vel non reconciliata penitus accuset vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus exsistat. Nam quem de horum aliquo conscientia mordet gravari tanto munere potius quam remedium consequi quodlibet arbitramur. *Iudicium enim sibi*, secundum apostolum, *manducat et bibit* (I Cor. xi, 29)... Interim tantum quadragesimam, quam mos ecclesiae maiorem appellat, omni est die servato superiori tenore communicandum[1].

---

1. Cf. epist. S. Gregorii VII, ad comitissam Mathildam (16 feb. 1074, ep. 47; J 4824, PL. 148, 327-8) in qua eam hortatur ad communionem quotidianam, auctoritate PP. Ambrosii, Gregorii Magni, Chrysostomi.

1160. *Propter abusus et controversias,* Innocentius XI *(12 feb. 1679) decretum ea de re Cg. Concilii edid.[1] :* Cum ad aures sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae communionis, etiam in feria sexta Parasceves, et simul affirmari eandem quotidianam communionem praeceptam esse a iure divino; quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet quod aliqui, non in Ecclesia sed in privatis oratoriis et domi, immo cubantes in lecto et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam quam argentea theca inclusam in crumena aut secreto illis deferunt sacerdotes saeculares seu regulares, aliique in communione accipiant plures formas ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario... S. Cg. [Card. Tridentini interpretum]... unanimi sententia ita censuit :

1161. Etsi frequens quotidianusque sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus : nunquam tamen aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed, quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit : *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent* [n. 1092]. Idque non immerito : multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes; multae e contra gratiae et Dei dona parvulis concessa; quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cuiusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiore aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui, et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In coniugatis autem hoc amplius animadvertant, cum beatus Apostolus nolit eos *invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi* (I Cor. vii, 5), eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorque mente ad caelestium epularum communionem esse conveniendum.

1162. In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provi-

deat ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet. — Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus earum ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint ut dignae frequentiore aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum habere ut cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive coniugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini iudicii formidine discant caelestem mensam, in qua Christus est, revereri; et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad maiorem praeparationem accingere. Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget huiusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae et iudicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati agni perceptione tollatur virtutesque ac dona in sumentibus augeantur : quod abunde continget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et caritate assueverint... — Porro episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de iure divino... *(Ceteri abusus damnantur.)*

1163. Leo XIII, *in enc.* Mirae caritatis *(28 maii 1902)*[1] · Sed in eo praecipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiae usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiae, quae supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni aetate virorum; ut enim corpus, ita animus cibo saepe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem praebet sacrosancta Eucharistia. Itaque praeiudicatae adversantium opiniones, inanes multorum timores, speciosae abstinendi causae penitus tollendae; ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum mortalium curis, tum ad chris-

1. *Cf.* ex eadem ep. supra n. 1129.

tianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento praestantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria.

Pius X. *Decr. S. Cg. Concilii (20 dec. 1905)*[1].

De quotidiana Eucharistiae sumptione.

1164. *Mens Ecclesiae.* Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias sanctissimam Eucharistiam sumentibus (sess. xxii, cap. 6), ait : *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent* [n. 1092]. Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo caelesti convivio quotidie reficiantur, et planiores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis : *Hic est panis de caelo descendens: non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt : qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Io. vi, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

1165. *Historia controversiae.* Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda ; non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum[2]. Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (Sess. xiii, cap. 2).

1. Cf. Dublanchy Communion eucharistique (fréquente), in DTC III, 515-552. — 2. S. August., *Serm.* LVII *in Matth. De Orat. Dom.*, 7. PL 38.389.

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (Act. II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt. — Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tanquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*. — Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeterirent a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve, Eucharistiam sumendam censebant et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI approbante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium [n. 1160-2]. Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit [n. 1157].

Virus tamen Iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint. — Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quoti-

diana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua. Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento.

A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dno Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

1166. *Solutio* : Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit :

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos : quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat ube-

riorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam, christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7° Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si qui sint Instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tanquam mere *directivae*, non tanquam *praeceptivae*, putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum, omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.

1167. CIC, *c. 863* : Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; atque missae adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent. — *c. 867, § 1.* Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere. — *§ 2.* Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.

c. 857. Nemini liceat sanctissimam Eucharistiam recipere qui eam eadem die iam receperit, nisi in casibus de quibus in can. 858 § 1.

2. — De communione sub utraque specie et parvulorum.

a) Tridentinum

(*Sessio XXI, 16 iulii 1562*[1]).

Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum.

1168. Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem Apostolicae Sedis legatis, cum de tremendo et sanctissimo Eucharistiae sacramento varia diversis in locis errorum monstra nequissimi daemonis artibus circumferantur, ob quae in nonnullis provinciis multi a catholicae Ecclesiae fide atque obedientia videantur discessisse : censuit ea quae ad communionem sub utraque specie et parvulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit ne posthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum.

Cap. 1. *Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie.*

1169. Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui *Spiritus est sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et pietatis* (Is. XI, 2), edocta, atque ipsius Ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto, laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultima cena venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit non tamen illa institutio et traditio eo tendunt ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem sexto recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse,

[1] Maioris utilitatis causa canones capitibus suis immediate subdimus, qui post doctrinam sub titulo : *De communione sub utraque specie et parvulorum*, quattuor eduntur. — Cf. Dublanchy, *Communion eucharistique* (sous les deux espèces) in DTC III, 552-72; Cavallera, *L'interprétation du chapitre VI de saint Jean, une controverse exégétique au concile de Trente* in *Revue d'Histoire Ecclésiastique*, 1909, t. X, 687-709. — *La communion des parvuli au concile de Trente*, in *Bull. litt. eccl.* 1935, t. XXXVI, 97-132.

utcunque iuxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Io. vi, 54), dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (Io. vi, 52). Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (Io. vi 55), dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (Io. vi, 52). Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (Io. vi, 57), dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (Io. vi, 59).

1170. Can. 1. Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere: anathema sit.

Cap. 2. *Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti Eucharistiae.*

1171 Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I Cor. iv, 1), atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa eius usum: *Cetera*, inquit, *cum venero, disponam* (I Cor. xi, 34). Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

1172. Can. 2. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: A. S.

Cap. 3. *Totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi:*

1173. Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa cena hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

1174. Can. 3. Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: A. S.

Cap. 4. *Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem*

1175. Denique eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem, siquidem per baptismi *lavacrum regenerati* (Tit. iii, 5) et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.

1176. Can. 4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: A. S.

b) Documenta conexa.

1. *Ad cap. et can. 1 et 3: De* communione sub utraque specie

1177. *Interrogantur* WH (Constantiense et Martinus V, *1418*):
18 Item, utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia universali observata, et per sacrum Concilium Constantiae approbata, sit servanda sic, quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum, tanquam haeretici vel sapientes haeresim, sint arcendi et puniendi.

1178. Constantiense (*sess. XIII, 15 iun. 1415*), *definitio*:

Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere praesumant, populum christianum debere sacrum Eucharistiae

sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post cenam vel alias non ieiunum, et communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiae consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quod hoc praesens Concilium sacrum generale Constantiense, in Spiritu Sancto legitime congregatum, adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium doctorum tam divini quam humani iuris deliberatione praehabita, declarat, decernit et diffinit, quod licet Christus post cenam instituerit et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post cenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso. Et sicut haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta: quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur [1]; cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito mutare [2]. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tanquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi.

1. *Alia lectio:* Et similiter, quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie: tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. — 2. *Al.* innovare, *vel* immutare.

1179. *Error* **Lutheri** (Leo X, *1520*): 16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

1180. CIC, *c. 852*: Sanctissima Eucharistia sub sola panis specie praebeatur.

1181. *Ex cap. VI Ioannis, falso quidam existimarunt necessariam esse manducationem sacramentalem ad vitam aeternam consequendam, hinc abusus quidam damnatus a conciliis africanis, ut habetur in Codice canonum Ecclesiae Africanae, can. 18. (Hipponense* (393), c. 4; *Carthaginiense* (397), c. 6). De communione mortuis non praebenda: Item placuit ut corporibus defunctorum eucharistia non detur; scriptum est enim: *accipite et edite:* cadavera autem nec accipere possunt nec edere; et ne iam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.

1182. *Similis error* **Rosminianus** *(1887)*. 31. Quoniam qui *non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non habet vitam in se* (Io. VI, 54), et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii, certo consequuntur vitam aeternam, dicendum est, his qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc caelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti. — Hinc etiam sanctis Veteris Testamenti potuit Christus descendens ad inferos se ipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.

2. *Ad cap. et can. 4.* De communione parvulorum.

Decretum S. C. Sacramentorum (8 aug. 1910): De aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam.

1183. *Historia communionis parvulorum.* Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosecutus, Evangelii paginae plane testantur. Haec memorans catholica Ecclesia, vel a sui primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam Communionem quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque saeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eicerent, ab initio mos invaluit Eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi. — Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarundam consuetudo fuit Eucha-

r etiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum Communionem residua fragmenta iisdem tradendi. Mos hic deinde in Ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et augusti Sacramenti notitiam quandam. Quae nova disciplina, ab aliquot Synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno 1215, promulgato celebri canone 21, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis Confessio praescribitur et Sacra Communio [1151]. Concilium Tridentinum (Sess. xxi, *de Communione*, c. iv), nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis Eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent [n. 1175-6]. Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi saltem semel in anno, ad Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta.

1184. *Controversiae et errores.* Verum in hac rationis seu discretionis aetate statuenda, haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento Paenitentiae, aliam Eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad Paenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad Eucharistiam vero seniorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel major etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica Communione pueris vel adulescentibus praescripta aetate minoribus. Huiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae Communioni diligentior instructio et accurata sacramentalis Confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis Eucharistia, poterat fortasse vitari. — Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis Confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant. Quod vero maxi-

mum est, quibusdam in locis, pueri nondum ad primam Communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, Sacro muniri Viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, Ecclesiae suffragiis non iuvantur.

1185. *Vera doctrina.* Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae Communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Iansenianis erroribus esse profectum, qui Sanctissimam Eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus cum docuit eam esse «antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur» (Sess. xiii, c. ii), quae doctrina nuper a Sacra Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die 26 mensis Decembris anni 1905 lato, quo ad Communionem quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis, patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito. — Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, cum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a pueris exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula, indigent maxime. — Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint quaenam sit aetas discretionis, qui aliam Paenitentiae, aliam Eucharistiae assignarunt. Unam tamen eandemque aetatem ad utrumque Sacramentum requirit Lateranense Concilium, cum coniunctum Confessionis et Communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad Confessionem aetas discretionis ea censetur in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur; sic ad Communionem ea esse dicenda est qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas in qua puer usum rationis est assecutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum... Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad Communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum fidei cognitio requiritur, cum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio;* neque plenus rationis usus, cum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis.* Quapropter Communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries... Hisce omnibus mature perpensis, Sacer hic Ordo de disciplina Sacramentorum, in-

generali Congregatione habita die 15 mensis iulii a. 1910, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum Communione, ubique servandam, statuere opportunum censuit.

1186. I. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipsa fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem [1152].

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorumdem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, cum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et

Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

1187. CIC. *c. 854* § *1*: Pueris qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur. § *2*. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. § *3*. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant. § *4*. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt. § *5*. Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

V

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

A) Tridentinum.

(Sess. XIV, 25 novemb. 1551)

Doctrina de sanctissimo paenitentiae sacramento.

1188 Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Sedis Apostolicae legato et nuntiis, quamvis in decreto de Iustificatione multus fuerit de Paenitentiae sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus : tanta nihilominus circa illud nostra hac aetate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo exactiorem et pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis et convulsis, Spiritus sancti praesidio, universis erroribus, catholica veritas perspicua et illustris fieret; quam nunc sancta haec Synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

Cap. 1 *De necessitate et institutione sacramenti paenitentiae.*

1189 Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. *Quoniam* autem *Deus, dives in misericordia* (Eph. II, 4), *cognovit figmentum nostrum* (Ps. CII, 14), illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet paenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem paenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait : *Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis in ruinam iniquitas* (Ez. XVIII, 30). Dominus

etiam dixit : *Nisi paenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* (Lc. XIII, 3). Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis paenitentiam commendans dicebat : *Paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (Act. II, 38). Porro nec ante adventum Christi paenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum paenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 22). Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent (Can. 1 et 3).

Cap. 2. *De differentia sacramenti paenitentiae et baptismi.*

1190. Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur. Nam praeterquam quod *materia* et *forma*, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet : constat certe, baptismi *ministrum* iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis, qui foris sunt, iudicare?* (I Cor. V, 12). Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro *baptismi* sui *corporis membra* (I Cor. XII, 13) semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum paenitentes confugerint, possent liberari. Alius praeterea est baptismi, et alius paenitentiae *fructus*. Per baptismum enim *Christum induentes* (Gal. III, 27) nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum paenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito paenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum paenitentiae lapsis

post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus (Can. 2).

Cap. 3. *De partibus et fructu huius sacramenti.*

1191. Docet praeterea sancta Synodus, sacramenti paenitentiae *formam*, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo* etc., quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt autem *quasi materia* huius sacramenti ipsius paenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in paenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione paenitentiae partes dicuntur.

Sane vero *res* et *effectus* huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.

Haec de *partibus* et *effectu* huius sacramenti sancta Synodus tradens simul eorum sententias damnat, qui paenitentiae partes incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt (Can. 4).

Cap. 4. *De contritione.*

1192. Contritio quae primum locum inter dictos paenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud: *Proicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum* (Ez. xviii, 31). Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (Ps. L, 6); *Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum* (Ps. vi, 7); *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae* (Is. xxxviii, 15), et alios huius generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam

esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo paenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus paenitentiam egerunt et misericordiam a Domino impetrarunt (Ion. III). Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum paenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit. Sed et falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam (Can. 5).

Cap. 5. *De confessione.*

1193. Ex institutione sacramenti paenitentiae iam explicata universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere, quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a paenitentibus *omnia peccata mortalia*, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis quae in manifesto admittuntur.

1194. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem prae-

sumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt.

Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines *irae filios* (Eph. II, 3) et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quaerere. Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat. Colligitur praeterea, etiam eas *circumstantias* in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a paenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint et poenam, quam oportet, pro illis paenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.

Sed et impium est, confessionem, quae hac ratione fieri praecipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim, nihil aliud in Ecclesia a paenitentibus exigi quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine* (Ps. XVIII, 13). Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.

1195. Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum huma-

num esse, atque a Patribus in concilio LATERANENSI congregatis initium habuisse, docere non verentur.

Neque enim per LATERANENSE concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde iam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec sancta Synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum (Can. 6-8).

Cap. 6. *De ministro huius sacramenti et absolutione.*

1196. Circa *ministrum* autem huius sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* (Mt. XVIII, 18), et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 23), ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur. Atque ideo non debet paenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine paenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem iocose absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret (Can. 9 et 10).

Cap. 7. *De casuum reservatione.*

1197. Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei

fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus, absolverentur, unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.

Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum paenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

Cap. 8. *De satisfactionis necessitate et fructu.*

1198. Demum quoad satisfactionem, quae ex omnibus paenitentiae partibus, quemadmodum a Patribus nostris christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra aetate summo pietatis praetextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt, sancta Synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus praeter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes *templum Dei violare* (I Cor. III, 17) et *Spiritum Sanctum contristare* (Eph. IV, 30) non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et *contumeliosi Spiritui Sancto* (Hebr. X, 29), in graviora labamur, *thesaurizantes nobis iram in die irae* (Rom. II, 5; Iac. V, 3). Procul dubio enim

magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum paenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec paenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, *ex quo omnis nostra sufficientia est* (II Cor. III, 5), conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes quod, *si compatimur, et conglorificabimur* (Rom. VIII, 17). Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, *eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus* (Phil. IV, 13). Ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis *gloriatio* nostra in Christo est, *in quo vivimus, in quo movemur* (Act. XVII, 28), in quo satisfacimus, *facientes fructus dignos paenitentiae* (Lc. III, 8), qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

1199. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et paenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum paenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent. Nec propterea existimarunt, sacramentum paenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex huiusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Iesu Christi vel obscurari vel aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere volunt, ita optimam paenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant (Can. 12-15).

Cap. 9. *De operibus satisfactionis.*

1200. Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis

et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus (can. 13; *sequuntur* n. 1175-79).

De paenitentiae sacramento.

1201. Can. 1. Si quis dixerit, in catholica Ecclesia paenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum : anathema sit (n. 1189).

Can. 2. Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum paenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo paenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari : A. S. (n. 1190).

Can. 3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx, 22 sq) non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento paenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium : A. S. (n. 1189).

Can. 4. Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in paenitente quasi materiam sacramenti paenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres paenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse paenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata : A. S. (n. 1191).

Can. 5. Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis *recogitat annos suos in amaritudine animae suae* (Is. xxxviii, 15), ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium : A. S. (n. 1192).

Can. 6. Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum : A. S. (n. 1193).

Can. 7. Si quis dixerit, in sacramento paenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum paenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia : A. S. (n. 1194).

Can. 8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae : A. S. (n. 1195).

Can. 9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem paenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit : A. S. (n. 1196).

Can. 10. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* (Mt. xviii, 18); et *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx. 23), quorum verborum virtute quilibet

absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem : A. S. (n. 1196).

Can. 11. Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat : A. S. (n. 1197).

Can. 12. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque paenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse : A. S. (n. 1198).

Can. 13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam paenitentiam esse tantum novam vitam : A. S. (n. 1200).

Can. 14. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus paenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes : A. S. (n. 1198-9).

Can. 15. Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat : A. S. (n. 1199).

B) Documenta conexa.

1. *Ad cap. 3 et can. 1-3 : De* exsistentia *s. paenitentiae.*

1202. *Statuta Ecclesiae antiqua* (*s. VI*) : *interrogatur si paenitentibus reconciliatis communicet.* — *Professio fidei* Innocentii III *pro* Waldensibus (*1208*) : Peccatoribus vere paenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. — Lateranense IV, *oec. XII*, (*1215*) : Et si post susceptionem baptismi quis

quam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper paenitentiam reparari. — *Fides Michaelis Palaeologi* (*1274*) : Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram paenitentiam suorum consequi veniam peccatorum.

1203. a) *Error* Petri de Osma[1] (Sixtus IV, *1479*) : (6). Sacramentum quoque paenitentiae, quantum ad collationem gratiae, naturae non autem institutionis Novi aut Veteris Testamenti exsistere.

b) Error modernistarum (Pius X, *DL*, *1907*) : 46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam paenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum. — 47. Verba Domini : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx, 22, 23), minime referuntur ad sacramentum paenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

2. *Ad cap. 3 et can. 4 : de* natura *s. paenitentiae.*

1204. *DArm.* (*1439*) : Quartum sacramentum est *Paenitentia*, cuius quasi materia sunt actus paenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio : ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo*, etc.

1205. CIC. c. 885 : Etsi preces ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae ad ipsam absolutionem obtinendam non sunt necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur.

1206. *Error* Lutheri (Leo X, *1520*) : 5. Tres esse partes paenitentiae : contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

---

1. *Textus vulgatus* : 9. Sacramentum paenitentiae, quantum ad collationem gratiae, sacramentum naturae est, non alicuius institutionis V. vel N. Testamenti.

3 : *Ad cap 3 : de* effectu *s. paenitentiae.*

1207. *DArm. (1439) :* Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis. — CIC. c. 870 . In paenitentiae sacramento, per iudicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito, remittuntur peccata post baptismum commissa.

4 : *Ad cap. 4 et can. 5 : de* contritione.

1208. *De necessitate correctionis*, Gelasius I. *in ep.* Ego quoque *ad Faustum, a. 493 c. fin.* - 3. Veniam sibi dari debere proponunt. Legatur ex quo est religio Christiana vel certe detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Salvatore veniam nisi corrigentibus se] fuisse concessam. Aud tum autem sub isto caelo nec legitur omnino nec dicitur, quod eorum voce depromitur : *Date nobis veniam ut tamen nos in errore duremus*... Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus[1].

1209. *Errores* Lutheri (Leo X, *1520)* 6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem. — 7. Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus huc usque data praestantius : de cetero non facere, summa paenitentia ; optima paenitentia, nova vita. — 11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi : *Quodcumque solveris*, etc. (Mt. xvi, 19 . Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione. — 14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

1210. *De* attritione *controversia sopita per* Alexandrum VII, *(decr. S. Off., 5 maii 1667) :* Ss. D. N. Alexander Papa VII, cum acceperit non sine gravi animi maerore, scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere *an illa attritio, quae concipitur ex metu gehennae, excludens voluntatem peccandi cum spe veniae, ad impetrandam gratiam in sacramento Paenitentiae, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei* asserentibus

1. *Hanc formulam vix immutavit Ioannes VIII* (*apud Iaffe n. 2983*) : Mortuos suscitasse Christum legimus, in scelerum obstinatione labefactos absolvisse non legimus.

quibusdam, negantibus aliis, et invicem adversam sententiam censurantibus ; Sanctitas Sua... hoc praesenti decreto in virtute sanctae oboedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae huic Sanctae Sedi reservatae, aliisque poenis eiusdem Sanctae Sedis arbitrio taxandis, praecipit cunctis et singulis fidelibus, quocunque gradu ac dignitate, etiam episcopali et maiori, immo et cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis praefatae scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel praedicabunt, vel alio quovis modo paenitentes aut scholares ceterosque erudient, non audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum

1211. *Propositio damnata ab* Innocentio XI *(1679) :* 57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. — *Aliae damnatae ab* Alexandro VIII *(1690) :* 14. Timor gehennae non est supernaturalis. — 15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

1212. *Errores* Quesnel, *de paenitentia praevia* (Clemens XI, *1713) :* 87. Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum paenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur. — 88. Ignoramus quid sit peccatum et vera paenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem. — 89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit iam reconciliatus, habet ius assistendi sacrificio Ecclesiae.

1213. *Similis error* Synodi Pistoriensis (Pius VI, *1794) :*

De praevia necessaria dispositione pro admittendis paenitentibus ad reconciliationem.

36. Doctrina synodi, quae, postquam praemisit, *quando habebantur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis,* subdit *suppositicias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles ;* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis caritatis dominantis, antequam admittat suos*

paenitentes ad sacramenta; quae signa, ut deinde tradit, *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis*; quem insuper *fervorem caritatis* perhibet velut dispositionem, quae *debet praecedere absolutionem*; sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta et speciatim paenitentes ad absolutionis beneficium admittantur : — falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.

1214. *De* **praeviis dispositionibus**, *propositiones damnatae ab* Innocentio XI *(1679)* :

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

60. Paenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio : dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.

5. *Ad cap. et can. 6-8 : de* Confessione

1215. CIC *c. 901* : Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent. — *c. 902*. Peccata post baptismum commissa sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti paenitentiae.

1216. *De confessione iterata peccatorum eiusque fructibus* Benedictus XI, *in const.* Inter cunctas, *17 febr. 1304, ad ff. Praedicatores et Minores* : Licet sicut praedicitur de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata : tamen, quia propter erubescentiam, quae magna est paenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio reputamus salubre, districte iniungimus, ut Fratres ipsi confitentes attente

moneant, et in suis praedicationibus exhortentur, quod suis sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere.

1217. *De venialium remissione per orationem dominicam*, Toletanum IV *(633), c. 10* : Ergo sicut Christus praecepit, sicut apostolus admonuit et quemadmodum doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus.

1218. *Error* **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, *1794*) :

De peccatorum venialium confessione.

39. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones : — temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatae contraria (n. 1194).

1219. *De necessitate confessionis* : **a)** *Error* **Wicleff** (Martinus V, *1418)* : 7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

b) *Errores* **Petri de Osma**[1] (Sixtus IV, *1479*) : (1) Confessionem peccatorum in specie ex universalis Ecclesiae statuto, non divino iure compertam fore. — (2) Et peccata mortalia, quoad culpam et poenam alterius saeculi, absque confessione sola cordis contritione, pravas vero cogitationes sola displicentia deleri.

1220. *Errores* **Lutheri** (Leo X, *1520*) : 8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. — 9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

1221. *De integritate confessionis, propositiones damnatae ab* Alexandro VII (*1665*) : 11. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. — 14. Qui facit confessionem voluntarie nullam,

1. **Textus vulgatus** : 2. Confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto universalis Ecclesiae, non de iure divino. — 1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves. — 3. Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

satisfacit praecepto Ecclesiae. *Cf.* CIC. *c. 907.* Praecepto confitendi peccata non satisfacit qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam.

1222. *Aliae (ab eodem)* : 24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae; ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem. — 25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

1223. *Ab* Innocentio XI *(1679)* : 58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem — 59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus paenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.

1224. *De confessione secreta* Leo I, *ep.* Magna indignatione *ad* episc. Campaniae *(6 mart. 459)* : (2) Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De paenitentia scilicet quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui paenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a paenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis sua facta reserari quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad paenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

1225. Lateranense IV, *oec. XII (1215), de sacerdote qui confessiones audit* : Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem : sed si prudentiore consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam qui peccatum in paenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam paenitentiam in arctum monasterium detrudendum.

1226. CIC. c. 889, § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est, quare caveat diligenter confessarius ne verbo, signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem. § 2. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpretes aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit.

1227. *Error* Petri de Osma[1] (Sixtus IV, *1479*). (3) Et quod confessio secreta sit necessario non exigi.

1228. *De usu scientiae in confessione acquisitae* (Innocentius XI, *decr. S. Off. 18 nov. 1682*) : *De propositione* : « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine paenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur », addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, seclusa quacunque revelatione, atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem paenitentis ex non usu sequeretur.

Statutum est, « dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine paenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione ». — CIC. *c. 890*, § 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.

1229. *De nomine complicis non exquirendo*, Benedictus XIV, *in brevi* Suprema omnium *(7 iul. 1745)*, *queritur*, § 1 : Perversam quandam et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus et in saluberrimo paenitentiae sacramento administrando invehere atque introducere coepisse : ut videlicet, si forte in paenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem paenitentibus socii huiusmodi seu complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione prorsus adigerent atque compellerent; immo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. — Quare, *ait* § 3, notum vobis esse volumus memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandemque a nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tanquam *scandalosam* et *perniciosam*, ac tam *famae proximorum* quam ipsi etiam *sacramento iniuriosam*, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem atque ab eiusdem paenitentiae sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.

Iterum in const. Ubi primum *(2 iun. 1746) et* Ad eradicandum *(17 sept. 1746)*. (*Cf.* CIC. c. 888, § 2).

1. Textus vulgatus : 4 Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

1230. *De confessione et absolutione per scriptum vel internuntium, absente confessario, propositio damnata* (CLEMENS VIII, *decr. S. Off., 20 iun. 1602*): Hanc propositionem, scilicet *licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur[1].

6. *Ad cap. 6 et can. 9-10: de* ministro.

1231. CIC, c. 871. Minister huius sacramenti est solus sacerdos. — *DArm.* (*1439*): Minister huius sacramenti est solus sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris.

1232. a) *Errores* **Ioannis de Polliaco** (IOANNES XXII, *1321*). ...Siquidem adstruens: 1. Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti.

2. Quod stante *Omnis utriusque sexus* edicto in concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem curatum. Imo nec Deus posset hoc facere; quia implicat contradictionem.

3. Quod papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem; immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse proprium curatum.

Omnes articulos et quemlibet eorum tanquam falsos et erroneos et a doctrina sacra devios, auctoritate apostolica condemnamus et reprobamus.

b) *Interrogationes WH* (MARTINUS V, *1418*): 20. Item, quod christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcunque bonis et devotis. — 21. Item, utrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere, et sibi poenitentiam iniungere.

1233. *Error* **Lutheri** (LEO X, *1520*): 13. In sacramento paenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos: immo, ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

1. Non intenditur casus, in quo moribundus sensibus destitutus, quem adstantes absolutionem antea petiisse testentur, absolvendus sit.

1234. GELASIUS I, *tomo de anathematis vinculo, c. a. 495, de universali potestate absolvendi*: Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel paenitentibus relaxare, cui dicitur: *Quaecunque dimiseritis super terram...* (Io. xx, 23); *quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* (Mt. xviii, 18). In *quibuscunque* omnia sunt, quantacunque sint, et qualiacunque sint, veraci nihilominus ea remanente sententia, qua nunquam solvendus esse denuntiatur in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens[1].

1235. *Haec sententia optime explicatur ex iis quae ante locum laudatum proxime disputavit* GELASIUS *de peccato ad mortem et peccato in Spiritum Sanctum*: (5) Dixit Dominus, quod *in Spiritum Sanctum peccantibus nec hic esset nec in futuro saeculo remittendum* (Mt. xii, 32). Quantos autem cognoscimus in Spiritum Sanctum delinquentes, sicut haereticos diversos... ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suae percepisse blasphemiae, et in futurum spem sumpsisse indulgentiae consequendae! Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse ullatenus resoluta, cum circa tales, si hoc esse permaneant, nunquam omnino solvenda persistat, effectu autem non talibus non irrogata. Sicut etiam est consequenter et illud beati Ioannis Apostoli: *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo; et est peccatum non ad mortem, dico ut oretur pro eo* (1 Io. v, 16-17). Est peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus; est peccatum non ad mortem ab eodem peccato recedentibus.

1236. *Errores* **Lutheri** (LEO X, *1520*): 10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti; immo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum. — 12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

1237. LATERANENSE II, *oec. X* (*1139*), *de falsa paenitentia*: *Can.* 22. Sane quia inter cetera unum est, quod sanctam maxime

1. *Textus* vulgatus *legit*: eorum manente: *sic PL ex M., Thiel* earum; *neutrum vero admittendum est, cum sensu careat; videtur legendum et posui*: remanente sententia qua.

perturbat Ecclesiam, falsa videlicet paenitentia, confratres nostros et presbyteros admonemus, ne falsis paenitentiis laicorum animas decipi et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem paenitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo paenitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est: *Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus* (Iac. 2, 10): scilicet quantum ad vitam aeternam. Sicut enim, si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, aeternae vitae ianuam non intrabit. Falsa etiam fit paenitentia, cum paenitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione praevalet; aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam gerat[1].

1238 CIC. c. 886. Si confessarius dubitare nequeat de paenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat absolutio nec deneganda, nec differenda est.

7. *Ad cap. 7 et can. 11: de* iurisdictione et reservatione.

1239. CIC. c. 872. Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem, requiritur in ministro potestas iurisdictionis sive ordinaria sive delegata, in paenitentem. — c. 873, § 1. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem potiuntur S. R. E. Cardinales, pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt. — c. 874, § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus, tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui superioris. — c. 878, § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus. — 879, § 1. Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripta vel verbis expresse concessa. — c. 881, § 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem possunt subditos absolvere ubique terrarum. — c. 882. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis aut censuris quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252. — c. 884. Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo et etiam in periculo

1. *Ex can. 16 conc.* Troiani *sub* Urbano II (1093).

mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Paenitentiae* (1 iun. 1741). — c. 892, § 2. Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi et in mortis periculo omnes sacerdotes. — c. 905. Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri.

1240. *De approbatione*, Tridentinum, *sess. XXIII de Ref. cap. 15 (15 iul. 1563)* : Nullus confessiones audiat nisi ab Ordinario approbatus. Quamvis presbyteri, in sua ordinatione, a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam regularem posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

1241. *Propositiones damnatae ab* Alexandro VII *(1665)* : 13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato. — 16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

1242. Innocentius XI *(decr. S. Cg. Concilii,* Etsi frequens, *12 feb. 1679) admonet episcopos, parochos, confessarios* : Non permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario.

1243. *Propositiones damnatae ab* Alexandro VII *(1665)* : 4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscunque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa. — 12. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.

1244. *Errores* Synodi Pistoriensis (Pius VI, *1794)* :

De auctoritate absolvendi.

37. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem dioecesium et parochiarum convenient esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive iure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;* quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo

conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; sic intellecta, tanquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam : falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.

De reservatione casuum

44. Propositio synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro paenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem* : falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

45. Item, de spe, quam ostendit, fore *ut reformato rituali et ordine paenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;* prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis paenitentiae factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare : propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.

De reservatione cf. CIC. c. 893-900.

1245. *Celebris est controversia de edicto Rom. Pont.* (Callisti), *vehementer ab Hippolyto et Tertulliano impugnato, quorum alter in* De pudicitia *c. 1. scribit :* « Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : *Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto.* »

1246. *Est etiam altera, celebrior, de lapsis tempore persecutionis Decii, de qua S. Cypriani scripta abunde tradunt documenta.*

De his reconciliandis Carthaginiensis *sententia :*

Cyprianus *et collegae ad* Cornelium *Papam (251) :* 1. Statueramus quidem pridem, frater carissime, participato nobiscum invicem consilio ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu paenitentiam plenam et si periculum infirmitatis urgeret pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas et divina clementia Ecclesiam pulsantibus cludi et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari ut de saeculo decidentes sine communi-

catione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse et legem dederit ut ligata in terris et in caelis ligata essent; solvi autem possent illic quae prius in Ecclesia solverentur... — 5. Ne igitur ore nostro quo pacem negamus quo duritiam magis humanae crudelitatis quam divinae et paternae pietatis opponimus oves nobis commissae a Domino reposcantur; placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente, ut quia hostis nobis imminere praenuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi et examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere, quod credimus vobis quoque paternae misericordiae contemplatione placiturum... Nos quod fidei et caritati et sollicitudini congruebat quae erant in conscientia nostra protulimus.

1247. *De* Cornelii *agendi ratione, idem* Cyprianus, *ep. 67, 6 (256) :* Maxime cum iampridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster decreverit eiusmodi homines [*Basilidem et Martialem*] ad paenitentiam quidem posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. — *Ep. 68, 5 (254) :* Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes qui vicarius et successor eorum factus es. Illi enim, pleni spiritu Domini et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt et paenitentia acta fructum communicationis et pacis negandum non esse litteris suis signaverunt, quam rem omnes omnino ubique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diversus in quibus unus esset Spiritus et ideo manifestum est eum Spiritus Sancti veritatem cum ceteris non tenere quem videmus diversa sentire.

1248. *Ergo paenitentes in articulo mortis constitutos magna semper Ecclesiam usam esse misericordia, ne ob nimiam severitatem ulla ex ovibus a Christo redemptis sibique commissis periret in aeternum, non pauca testantur documenta, dicente quidem Nicolao I in responsis ad Bulgaros, c. 78 (866):* Non suscipere paenitentes non est catholicorum sed novatianorum.

Sic Nicaenum I, *c. 13 (325) :* ιγ'. Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι... καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς

1248. [Dionys.] Can. 13. De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur... Generaliter autem omni cuilibet

οὕτινας ἐξοδεύοντας, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω¹.

1249. Innocentius I, *in ep.* Consulenti tibi *ad Exsuperium episc. Tolosanum, 20 feb. 405* : 5. Quaesitum est quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae paenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt... 6. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur paenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est, concessa paenitentia, ne totum penitus negaretur : et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum paenitentia extrema communio : ut homines huiusmodi vel in extremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.

1250 *Idem in ep.* Si instituta *ad Decentium ep. Eugubinum, 19 mart 416* : 10 De paenitentibus vero qui sive gravioribus commissis, sive ex levioribus paenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanae Ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum, sacerdotis est iudicare ut attendat ad confessionem paenitentis et ad fletus atque lacrimas corrigentis ac tum iubere dimitti cum viderit congruam satisfactionem suam. Sane vel si quis aegritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de saeculo absque communione discedat.

1251. Caelestinus I *in ep.* Cuperemus quidem *ad episc. provinciae Viennensis et Narbonensis, 26 iulii 428* 3 Agnovimus paenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem

in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

1. Al. μεταδιδόσθω τῆς προσφορᾶς. Cf. HL § 42 in c. 13, I, 593-6.

addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus, ad subveniendum paratissimus, invitans ad paenitentiam, sic promittat : *Peccator*, inquit, *quacunque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei* (Ez. xxxiii, 16) et iterum : *Nolo mortem peccatoris sed tantum convertatur et vivat* (ib. xviii, 23). Salutem ergo homini adimit quisquis mortis praeteriti tempore paenitentiam denegarit. Et desperavit de clementia Dei qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro praemium in cruce ad Christi dexteram pendens si illum unius horae paenitentia non iuvisset. Cum esset in poena paenituit et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est aestimanda non tempore, propheta hoc taliter asserente *Cum conversus ingemueris tunc salvus eris* (Ez. xviii, 35). Cum ergo sit Dominus cordis inspector quovis tempore non est deneganda paenitentia postulanti, cum illi se obliget iudici cui occulta omnia noverit revelari.

1252. Leo I *in ep.* Sollicitudinis *ad Theodorum ep. Foroiuliensem, 11 iun. 452* : 5 Oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitae suae constituat : quia periculose hac se conditione fragilitas et ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio paenitentis vel reconciliatio sacerdotis. Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis paenitentiae et communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati ut quod paulo ante poscebant sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt ut simul et paenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas qui in Deum a fide discedendo peccarunt.

Idem in ep. Regressus ad nos *ad Nicetam episc. Aquileiensem, 21 mart. 458, de his qui metu vel errore rebaptizati sunt* : Tempora paenitudinis habita moderatione tuo constituenti iudicio prout conversorum animos perspexeris esse devotos : pariter etiam habens senilis aetatis intuitum et periculorum quorumque aut aegritudinis respiciens necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur ut dum adhuc paenitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri.

1253. *Idem in ep. ad Rusticum ep. Narbonensem, a. 458-9*, Inquisitione 8, *de his qui iam deficientes paenitentiam accipiunt et ante*

communionem mererentur, *respondet* : Horum causa Dei iudicio reservanda est in cuius manu fuit ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

1254. *Error* **synodi Pistoriensis** (Pius VI, *1794*) : 38. Item, doctrina, qua postquam synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae* ut ad *paenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subiungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent* : — contraria can. 13 Concilii Nicaeni I, decretali Innocentii I ad Exsuperium Tolos., tum et decretali Caelestini I ad episcopos Vienn. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

8. *Ad cap. 8-9 et can. 12-15 : de* **satisfactione**.

1255. *Error* **Petri de Osma**[1] (Sixtus IV, 1479) : (4) Et non peracta paenitentia paenitentes absolvi non debere.

1256. *Propositiones damnatae ab* Alexandro VII (*1665*) : 15. Paenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius paenitentiam adimpleat.

— *Ab* Alexandro VIII (*1690*) . 16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante. — 17. Per illam praxim mox absolvendi ordo paenitentiae est inversus. — 18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti paenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu. — 19. Homo debet agere tota vita paenitentiam pro peccato originali.

1257 *Error* **Quesnel** (Clemens XI, *1713*) : 70. Nunquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem.

1258. *Errores* **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, *1794*) :

De ordine paenitentiae.

34. Declaratio synodi, qua, postquam praemisit, ordinem paenitentiae

1. Textus vulgatus : 5. Non sunt absolvendi paenitentes, nisi peracta prius paenitentia eis iniuncta.

canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt*, quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae paenitentiae cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta : — temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi iniuriosa.

35. Propositio his verbis concepta . *Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius caritatis oportet, ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et paenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati : redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen paenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem. longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi paenitentias etiam post absolutionem adimplendas : si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis;* quatenus innuit, paenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis; quam ut paenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et paenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem : — falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum (1255).

1259. *Discretionem in ratione agendi sacerdotis erga paenitentem praecepit* Alexander II *in ep.* Quae in canonibus, *ad Stephanum episc. Alvernensem (1066-7)* : Quae in canonibus determinata est paenitentia est omnino observanda. Sed misericordiae gratia quae nulla lege concluditur, nullo temporis spatio coercetur, non est pie paenitentibus deneganda. Pastoralis itaque discretionis est uniuscuiusque contritionem cordis et doloris affectum magis quam temporis spatium attendere et pro meritis operum fructuque paenitentiae misericordiae oleum adhibere.

1260. *Item* LATERANENSE IV *(oec. XII) (1215), c. 21 :* Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici *superinfundat vinum et oleum* (Lc. x, 34) vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei praebere consilium et cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum.

1261. CIC *c. 887 :* Pro qualitate et numero peccatorum et conditione paenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat, quas paenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere. — *c. 888, § 1 :* Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animorum saluti consulat.

De tota hac materia praesertim de decreto Tridentini, vide F. CAVALLERA : Le *Décret* du Concile de Trente sur la Pénitence (XIVe session), *in Bulletin de Litt. eccl.,* 1923-1935.

APPENDIX

DE INDULGENTIIS[1]

1. — Ante Tridentinum.

a) DOCTRINA ECCLESIAE.

1262. BONIFACIUS VIII *in bulla Iubilaei* Antiquorum habet, *22 febr. 1300 :* Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de Urbe, concessae sunt magnae remissiones et indulgentiae peccatorum. Nos... huiusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus et approbamus et etiam innovamus et praesentis scripti patrocinio communimus.

1263 CLEMENS VI *in bulla Iubilaei* Unigenitus Dei Filius, *25 ian. 1343, quam repetit Urbanus VI, in bulla* Salvator noster, *13 april. 1389 :* Unigenitus Dei Filius... in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse ita ut *a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas* (Is. 1, 6) inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti.

Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum sed per beatum Petrum caeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere paenitentibus et confessis misericorditer applicandum.

---

1. Cf. GAUTIER, art. *Indulgences* in DA. col. 718-52.

Ad cuius quidem thesauri cumulum beatae Dei Genitricis omniumque electorum, a primo iusto usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut praed.) merita, quam pro eo quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

1264. Sixtus IV, *in bulla 3 aug. 1476, pro Ecclesia Xanctonensi*[1]. Et ut animarum salus eo tempore potius procuretur quo magis aliorum egent suffragiis et quo minus sibi ipsis proficere valent, auctoritate apostolica, de thesauro ecclesiae, animabus in Purgatorio existentibus succurrere volentes, quae per caritatem ab hac luce Christo unitae decesserunt et quae dum viverent sibi ut huiusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt, paterno cupientes affectu, quantum cum Deo possumus, de divina misericordia confisi ac de plenitudine potestatis, concedimus pariter ac indulgemus ut si qui parentes, amici aut ceteri christifideles pietate commoti, pro ipsis animabus purgatorio igni pro expiatione poenarum eisdem, secundum divinam iustitiam, debitarum expositis, durante dicto decennio, pro reparatione ecclesiae Xanctonensis certam pecuniarum quotam aut valorem, iuxta decani et capituli dictae ecclesiae aut nostri collectoris ordinationem, dictam ecclesiam visitando dederint aut per nuntios ab eisdem deputandos durante dicto decennio miserint, volumus ipsam plenariam remissionem per modum suffragii ipsis animabus purgatorii pro quibus dictam quotam pecuniarum aut valorem persolverint, pro relaxatione poenarum valere ac suffragari.

1265. *Idem interpretationem authenticam huius bullae dedit in altera* Romani Pontificis, *27 nov. 1477, in qua, commemoratis abusibus et erroribus occasione superioris ortis, ait:* nonnulli ex praemissis litteris nostra male interpretantes publice asseruisse atque asserere non esse ultra opus pro animabus ipsis orare aut pia suffragia facere. Ex quo iam plurimi a bene agendo retrahebantur. [*Quare*] per brevia, ad diversos illarum partium praelatos scripsimus ut Christi fidelibus declararent ipsam plenam indulgentiam pro animabus existentibus in Purgatorio, per modum suffragii per nos fuisse concessam, non ut per indulgentiam praedictam Christi fideles ipsi a piis et bonis operibus revocarentur, sed ut illa in modum suffragii animarum saluti prodesset, perindeque ea indulgentia proficeret ac si devotae orationes piaeque eleemosynae pro earundem animarum salute dicerentur et offerrentur. [*Tum vehementer questus de malitia aut socordia prave detorquentium verba sua aut id ne fieret non prohibentium*], non enim nos... ad supradictos praelatos scripsimus et declaravimus supradictam indulgentiam plena-

1. Cf. DPA I, 2, 306-7, de propositione quadam circa hanc Bullam.

riam animabus in Purgatorio existentibus ac si fierent pro eisdem devotae orationes, piaeque eleemosynae efficerentur, videre prodesse, non quod intenderemus, prout nec intendimus neque etiam inferre vellemus indulgentiam non plus proficere aut valere quam eleemosynae et orationes, aut eleemosynas et orationes tantum proficere tantumque valere quantum indulgentia per modum suffragii, cum sciamus orationes et eleemosynas et indulgentiam per modum suffragii longe distare, sed eam perinde valere diximus, id est per eum modum, *per ac si*, id est, per quem orationes et eleemosynae valent. Et quoniam orationes et eleemosynae valent tanquam suffragia animabus impensa nos, quibus plenitudo potestatis ex alto est attributa, de thesauro universalis Ecclesiae qui ex Christi sanctorumque eius meritis constat, nobis commisso, auxilium et suffragium animabus Purgatorii afferre cupientes supradictam concessimus indulgentiam, ita tamen ut fideles ipsi pro eisdem animabus suffragium darent, quod ipsae defunctorum animae per se nequeant adimplere. Ut igitur sanctum et laudabile desiderium hoc nostrum a nullo potest iure damnari, etiam intentio et sana mens quae non nisi ad apertum bonum intendit, impugnari per ambiguitatis medium non debet, cum, secundum theologicae disciplinae rationem, quaecumque propositio dubium intellectum in se continens semper in eo sensu sit accipienda in quo vera redditur locutio.

1266. Leo X *in bulla* Cum postquam *ad card. Caietanum, 9 nov. 1518:* Ne de cetero quisquam ignorantiam doctrinae Romanae Ecclesiae circa huiusmodi indulgentias et illarum efficaciam allegare aut ignorantiae huiusmodi pretextu se excusare aut protestatione conficta se iuvare sed ut ipsi de notorio mendacio ut culpabiles convinci et merito damnari possint per praesentes tibi significandum duximus Romanam Ecclesiam, quam reliquae tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem, Petri clavigeri successorem et Iesu Christi in terris vicarium, potestate clavium (quarum est aperire tollendo illius in Christo fidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam, mediante ecclesiastica indulgentia) posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus qui caritate iungente membra sunt Christi sive in hac vita sint, sive in purgatorio indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum, ac tam pro vivis quam pro defunctis apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Iesu Christi et sanctorum dispensare, per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse. Ac propterea omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint a tanta temporali poena secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari quanta concessae et acquisitae indulgentiae

aequivalet. Et ita ab omnibus teneri et praedicari debere sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua illam incurrentes ab alio quam Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, auctoritate apostolica earundem tenore praesentium decrevimus.

b) Errores.

1267. *Error* **Wicleff** (Martinus V, *1418*). 42. Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum.

1268. *Interrogationes WH (ib.).* 26. Item, utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. — 27. Et utrum credat, quod ex tali concessione visitantes ecclesias ipsas et manus adiutrices eis porrigentes huiusmodi indulgentias consequi possint. — 28. Item, utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum huiusmodi indulgentias concedere possint.

1269 *Error* **Petri de Osma**[1] (Sixtus IV, *1479*): (5). Et Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere et super his quae universalis Ecclesia statuit dispensare non posse.

1270. *Errores* **Lutheri** (Leo X, *1520*): 17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum. — 18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt. — 19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam. — 20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructum spiritus utiles. — 21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus. — 22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

---

1. *Vulg.*: 6. Papa non potest indulgere alicui vivo (*al.* viro) poenam purgatorii.

2. — Tridentinum (*Sess. xxv, 4 dec. 1563*).

Decretum de indulgentiis.

1271. Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

Professio fidei Pii IV (*1564*): Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. *Eadem habet fides* **Orientalium** (*1743*), *sed legit* Ecclesiae.

3. — Post Tridentinum.

1272. *Errores* **Synodi Pistoriensis**[1] (Pius VI, *1794*):

De indulgentiis:

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam*

---

1. Errores Baii (60) et Molinos (16), *supra* n. 901 et 930.

notionem aliud non esse quam remissionem partis eius paenitentiae, quae per canones statuta erant peccanti, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam : — falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata. — 41. Item in eo, quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;* quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum : — falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata. — 42. Item in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esse, quod chimaerea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos* : — falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haeretical nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri. — 43. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc. : — temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

1273 *De indulgentia altaris privilegiati*, Gregorius XVI *(decr. S. C. Indulg. 28 iul. 1840)*: Per indulgentiam altari privilegiato adnexam si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptioni respondet.

1274 CIC. *c. 911* : Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii. — *c. 912*. Praeter Romanum Pontificem cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri quibus id expresse a iure concessum est — *c. 913* : Inferiores Romano Pontifice nequeunt... 2° indulgentias concedere defunctis applicabiles. — *c. 925, § 1* : Ut quis capax sit lucrandi indulgentias debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis. — *§ 2* : Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem. — *c. 926* : Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet. — *c. 928, § 1* : Indulgentia plenaria, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur. — *c. 930* : Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt.

VI

DE EXTREMA UNCTIONE

A) Tridentinum.

(*Sessio XIV, 25 novemb. 1551*)[1].

Doctrina de sacramento extremae unctionis.

1275. Visum est autem sanctae Synodo, praecedenti doctrinae de paenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo paenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua paenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.

Primum itaque circa illius *institutionem* declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint : ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi *adversarius noster* occasiones per omnem vitam *quaerat* et captet ut *devorare* (I Petr., v, 8) animas nostras quoquo modo possit : nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.

Cap. 1. De institutione sacramenti extremae unctionis.

1276 Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum (Mc. vi, 13), per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum : *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et*

1. Godefroy, Extrême-Onction d'après le Concile de Trente, in DTC, V, 1927-2014.

orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei (Iac. v, 14-15). Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet *materiam, formam, proprium ministrum* et *effectum* huius salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, *materiam* esse oleum ab episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; *formam* deinde esse illa verba : *Per istam unctionem*, etc. (Can. 1, 3.)

Cap. 2. De effectu huius sacramenti.

1277. *Res* porro et *effectus* huius sacramenti illis verbis explicatur : *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei* (Iac. v, 15). Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis *calcaneo insidiantis* (Gen., III, 15) facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. (Can. 2.)

Cap. 3. *De ministro huius sacramenti, et tempore quo dari debeat.*

1278. Iam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum; nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti *ministros* esse Ecclesiae presbyteros; quo nomine, eo loco, non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes, ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum presbyterii.

Declaratur etiam, esse hanc unctionem *infirmis* adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.

Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei nec promissionem gratiae habentem; et qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in

huius sacramenti administratione observat, Iacobi Apostoli sententiae repugnare atque ideo in alium commutandum esse, et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quae huius sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Iacobus praescripsit. Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset. (Can. 3 et 4.)

1279. Haec sunt, quae de paenitentiae et extremae unctionis sacramentis haec sancta oecumenica Synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

(*Sequuntur can. de Paenitentia, n. 1201.*)

De sacramento extremae unctionis.

1280 Can. 1. Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Iacobo Apostolo promulgatum sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum : anathema sit. (Cap. 1.)

Can. 2. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum : A. S. (Cap. 2.)

Can. 3. Si quis dixerit, extremae ritum unctionis et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni : A. S. (Cap. 3.)

Can. 4. Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem : A. S. (Cap. 3.)

B) Documenta conexa[1].

1. *Ad cap. 1 et can. 1,* de institutione :

1281. Innocentius I, *ep.* Si instituta *ad Decentium, episc. Eugubinum, 19 mart. 411* : VIII, 11. Sane quoniam de hoc sicut de ceteris consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Caelestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est : *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum Dominus, et si peccatum fecit, remittet ei* (Iac. V, 14-15). Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum.

1282 Cabilonense II *(813) c. 48 :* Secundum apostoli B. Iacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait : *Infirmatur* etc. Non est itaque parvipendenda huiuscemodi medicina quae animae corporisque medetur languoribus.

1283. Ticinense *(850) c. 8 :* Illud quoque salutare sacramentum, quod commendat Iacobus Apostolus dicens : *Infirmatur quis... remittetur ei*, solerti praedicatione populis innotescendum est.

1284. *DArm. (1439) :* De hoc sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus : *Infirmatur... dimittentur ei.*

1285. *Error* **modernistarum** (Pius X, *DL, 1907*) : 48. Iacobus in sua epistola non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium ad quod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

2. *Ad cap. 1 de* materia et forma :

1286. *Fides pro Waldensibus* (Innocentius III, *1208*) : Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur.

1287 *DArm. (1439)* : Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per episcopum benedictum. Hoc sacra-

1. *Cf. praeterea* Kern, *De sacramento E. U., Ratisbonae, 1907.*

mentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet : qui in his locis ungendus est : in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Forma huius sacramenti est haec : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* etc. Et similiter in aliis membris[1].

1288. Clemens VIII, *in instr. de ritibus italo-graecorum (30 aug. 1595), renovata a* Benedicto XIV, Etsi pastoralis *27 maii 1742)* : Circa oleum sanctum infirmorum non sunt cogendi presbyteri graeci olea sancta praeter chrisma ab episcopis dioecesanis latinis accipere, cum eiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ac benedicantur.

1289. *De materia extremae unctionis* : 1. *Propositionem* : quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit, — *S. Off. 18 ian. 1611 declaravit* : esse temerariam et errori proximam.

2. *Similiter ad dubium* : an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto, — *S. Off. 14 sept. 1842 respondit* : negative ad formam decreti feriae V coram SS. diei 13 ian. 1611, *quam resolutionem* Gregorius XVI *eadem die approbavit.*

1290. *De forma brevissima extremae unctionis, Decr. S. Off. 25 apr. 1906)* : In casu verae necessitatis sufficere formam : *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

1291. *Ex* CIC. *c. 937* : Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones adhibito oleo olivarum rite benedicto et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

c. 945 : Oleum olivarum in sacramento E. U. adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit.

c. 947, § *1*. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori salva obligatione singulas unctiones supplendi cessante periculo — § *2*. Unctio renum semper omittatur. — § *3*. Unctio pedum ex quilibet

1. *Varias formulas lege in* Kern, *De sacramento E. U. p. 145 sq.*

rationabili causa omitti potest. — § *4*. Extra casum gravis necessitatis unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.

3. *Ad cap. 2 et can. 2, de* **effectibus :**

1292. Ticinense *(850) c. 8* : Magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et peccata remittuntur, et consequenter corporalis salus restituitur.

1293. *DArm. (1439)* : Effectus vero eius est mentis sanatio et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.

4. *Ad cap. 3 et can. 4, de* **ministro :**

1294. Innocentius I *ad Decentium, a. 411 (supra, n. 1281)* : Ceterum illud superfluum esse videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest cuius est chrisma conficere.

1295. Ticinense *(850) c. 8* : Si autem infirmi qualitas talis est ut per seipsum visitandum et ungendum dignum existimet episcopus ab ipso quam plurimum competenter fieri valet a quo ipsum chrisma conficitur et cui peccata remittendi officio privilegii potestas concessa est.

1296. *DArm. (1439)* : Minister huius sacramenti est sacerdos.

1297. CIC. *c. 938*, § *1* : Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos. § 2 Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci in quo degit infirmus, in casu autem necessitatis vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest. — *c. 939* : Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos.

5. *Ad cap. 3 et can. 4, de* **subiecto :**

1298. Innocentius *l. l. (411)* : Nam paenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

1299. Ticinense *(850) c. 8* : Hoc tamen sciendum, quia, si is, qui infirmatur, publicae paenitentiae mancipatus est, non potest huius mysterii consequi medicinam, nisi prius reconciliatione percepta, commu-

nionem corporis et sanguinis Christi meruerit. Cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur.

1300. *DArm. (1439)* : Hoc sacramentum, nisi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet.

1301. CIC. *c. 940 § 1* : Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur. § 2. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit. — *c. 941* : Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione. — *c. 942* : Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impaenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione. — *c. 943* : Infirmis autem qui cum suae mentis compotes essent illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur.

6. ***Ad cap. 3 et can. 3, de* reverentia *sacramenti* :**

1302 Ticinense *(850) c. 8* : Sed quia frequenter contingit ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat aut minus periculosam reputans infirmitatem salutem suam operari dissimulet aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci presbyter congruenter admonere quatenus ad hanc spiritalem curam secundum propriae possibilitatis vires vicinos quoque presbyteros invitet.

1303 CIC. *c. 944* : Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi dum sui plene compotes sunt illud recipiant.

VII

DE SACRAMENTO ORDINIS

A) Tridentinum.

(Sess. XXIII, 15 iul. 1563).

Vera et catholica doctrina de sacramento ordinis

Ad condemnandos errores nostri temporis, a sancta Synodo Tridentina decreta, et publicata sessione septima [1].

Caput I [2].

1304. Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit (can. 1 et 3).

Caput II [3].

1305. Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiore cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent *ministrorum ordines*, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per *minores* ad *maiores* ascenderent. Nam non solum de *sacerdotibus*, sed et de *diaconis* sacrae litterae apertam mentionem faciunt (Act. vi, 5; xxi, 8; I Tim. iii, 8), et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiae initio sequentium *ordinum nomina*, atque uniuscuiusque eorum *propria ministeria*,

---

1. Tituli capitum sunt additicii.
2. De institutione sacerdotii Novae Legis.
3. De septem ordinibus.

subdiaconi scilicet, *acolythi*, *exorcistae*, *lectoris* et *ostiarii* in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus (can. 2).

Caput III[1].

1306. Cum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae Ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.* (II Tim. I, 6-7; cf. I Tim. IV, 16; — can. 3).

Caput IV[2].

1307. Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, *character* imprimitur qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.

Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam *hierarchiam*, quae est *ut castrorum acies ordinata* (Cant. VI, 3), confundere; perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores (I Cor. XII, 29).

Proinde sacrosancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus *episcopos*, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et *positos*, sicut idem Apostolus ait, *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28); eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et cetarorum ordinum nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac magistratu vocati et

1. Ordinem vere et proprie esse sacramentum.
2. De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.

instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed *fures et latrones per ostium non ingressos* (Io. X, 1) habendos esse.

Hae sunt quae generatim sacrae Synodo visum est Christi fideles de sacramento ordinis docere.

1308. His autem contraria certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes adiuvante Christo fidei regula utentes in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

De sacramento ordinis.

Can. 1. Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes : A. S. (Cap. 1.)

Can. 2. Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur : A. S. (Cap. 2.)

Can. 3. Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum : A. S. (Cap. 3.)

Can. 4. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere : *Accipe Spiritum Sanctum;* aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse : A. S. (Cap. 3 et 4.)

Can. 5. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias : A. S. (Cap. 4.)

Can. 6. Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris : A. S. (Cap. 4.)

Can. 7. Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris supe-

riores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: A. S. (Cap. 4.)

Can. 8. Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum: A. S. (Cap. 4.)

B) Documenta conexa

1. *Ad cap. 1 et can. 1 et 3.*

1309. a) *Error* Abaelardi (Senonense, 1141): 12. Quod potestas ligandi atque solvendi apostolis tantum data sit, non successoribus.

b) *Error* modernistarum (*DL.* Pii X, 1907): 49. Cena christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente hi, qui cenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt. — 50. Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

2. *Ad cap. 2 et can. 2.*

1310. Siricius, *ep.* Directa *ad Himerium Tarraconensem, 10 feb. 385: IX, 13.* Quicumque itaque se Ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari et *lectorum* debet ministerio sociari. Qui accessu adulescentiae usque ad tricesimum aetatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum et ea quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, *acolythus* et *subdiaconus* esse debebit; postque ad *diaconii* gradum, si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probarit, accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue *presbyterium* consequatur. Exinde, post decennium, *episcopalem* cathedram poterit adipisci, si tamen, per haec tempora, integritas vitae ac fidei eius fuerit approbata.

X. 14. Qui vero iam aetate grandaevus, melioris propositi conversione

provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim *lectorum* aut *exorcistarum* numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud *acolythus* et *subdiaconus* fiat et sic ad *diaconium*, si per haec tempora dignus iudicatus fuerit, provehatur. Exinde iam accessu temporum, *presbyterium* vel *episcopatum*, si eum cleri ac plebis edecumarit electio, non immerito sortietur.

1311. *De clericorum ordinationibus seu septem ordinibus, haec traduntur in* Statutis Ecclesiae antiquis *(s. VI)*:

Can. 2 (90). *Episcopus* cum ordinatur, duo episcopi exponant et teneant Evangeliorum codicem super caput eius, et uno super eum fundente benedictionem reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

Can. 3 (91). *Presbyter* cum ordinatur, episcopo benedicente et manus super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant.

Can. 4 (92). *Diaconus* cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manus suas super caput eius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Can. 5 (93). *Subdiaconus* cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et vacuum calicem. De manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua et manile, et manutergium.

Can. 6 (94). *Acolythus* cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat; ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereis, ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipandum. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistia sanguinis Christi.

Can. 7 (95). *Exorcista* cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: « Accipe et commenda memoriae, et habeto potestatem imponendi manum super energumenum sive baptizatum sive catechumenum. »

Can. 8 (96). *Lector* cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam atque ingenium. Post haec spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: « Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei ministraverunt. »

Can. 9 (97). *Ostiarius* cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves ecclesiae de altario, dicens:

« Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae istis clavibus recluduntur. »

Can. 10 (98). *Psalmista*, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola iussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero : « Vide ut quod ore cantas, corde credas ; et quod corde credis, operibus comprobes. »

1312. *De ordinibus haec* Beneventanum *a. 1091* (*sub* Urbano II)

Can. 1. Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus Apostoli.

1313. CIC. *c. 948* : Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium.

c. 949 : In canonibus qui sequuntur nomine *ordinum maiorum* vel *sacrorum*, intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, *minorum* vero acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus.

c. 950 : In iure verba : *ordinari, ordo, ordinatio, sacra ordinatio*, comprehendunt praeter consecrationem episcopalem ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur.

3. *Ad cap. 3 et can. 3-5.*

1314. Gregorius IX *in ep. ad Olaum episc. Lundensem, 9 decembr. 1232*. Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiunt. Quod si omissum fuerit non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos caute supplendum quod per errorem exstitit praetermissum. Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.

1315. *DArm.* (*1439*) : Sextum sacramentum est Ordinis, cuius *materia* est illud, per cuius traditionem confertur ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. *Forma* sacerdotii talis est : « Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continentur. Ordinarius *minister* huius sacramenti est episcopus. *Effectus* augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister.

1316. CIC. *c. 951*. Sacrae ordinationis minister ordinarius est episcopus consecratus, extraordinarius qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi. — *c. 968*, § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus iudicio proprii Ordinarii praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento. — § 2. Qui irregularitate aliove impedimento detineatur, licet post ordinationem etiam sine propria culpa exorto, prohibentur receptos ordines exercere. — *c. 971*. Nefas est quemquam quovis modo ob quamlibet rationem ad statum clericalem cogere vel canonice idoneum ab eodem avertere. — *c. 973*, § 3. Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis. — *c. 976*, § 1. Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. — *c. 977*. Ordines gradatim conferendi sunt ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur.

1317. *De ordinatione monachorum*, Siricius I *in ep.* Directa, *ad Himerium, 10 feb. 385* : 17. Monachos quoque, quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus. *Cf. CIC c. 964 sq.*

1318. *De necessitate tituli*, Chalcedonense (*451*) : VI. Μηδένα δὲ ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον μήτε διάκονον μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. Τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος.

4. *Ad cap. 4 et can. 4 : de* charactere *et de* iteratione *s. ordinis*[1].

1319. Gregorius I, *ep.* Quia caritati *ad episc. Hiberniae, 22 iun. 601*. Quicunque ergo a perverso errore Nestorii revertuntur,... absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis ordinibus, in

---

1318. *Can. 6.* Nullum absolute ordinari nec presbyterum nec diaconum nec omnino aliquem eorum qui sunt in ordine ecclesiastico nisi specialiter in ecclesia civitatis vel pagi vel martyrio vel monasterio is qui ordinatur designetur. Eos autem qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam ac invalidam habere eiusmodi manuum impositionem et nusquam exercere ac operari posse ad eius qui ordinavit iniuriam

1. Occasione characteris tractandum esset de nullitate et iteratione ordinum, quae valde implexa quaestio saepissime in Ecclesia agitata est atque non sem-

sub coetu recipiat, ut, dum... per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis.

1320. Sergius *papa (687-701)* : 160. *Si ordinetur non baptizatus.* Sergii papae. Qui presbyter dicitur si se quidem scivit non baptizatum et tanquam baptizatus sacerdotii consecrationem accipit, sub longa et distincta debet paenitentia poni et ecclesiastico baptismo baptizari, nullo modo autem presbyter aestimari ultra quia obscenis manibus et polluta conscientia mysteria faciebat. — 161. *Qui destinationem habet baptismatis.* Si vero aestimationem de se talem habuit quod esset apud ecclesiam parvulus baptizatus, postea tamen cognovit ac demonstratum est quod non fuerit baptizatus, indicta ei temporali paenitentia tunc debet baptizari et nequaquam ab officio presbyterii privandus est sed iterum ordinetur. Hi vero qui ab eo baptizati sunt sic in ecclesia permaneant.

1321 Romanum *sub* Stephano III *(769) : Post haec vero sanctissimi episcopi dixerunt :* Quoniam haec omnia, Deo annuente, quae ad salutem omnium errantium pertinent, tractata noscuntur atque decreta, nunc restat ut de ordinatione episcoporum, presbyterorum vel diaconorum quam praedictus Constantinus Apostolicae Sedis invasor peregit, id quod communi consensu tractavimus, coram omnibus declaremus : Primum omnium decernimus ut episcopi quos consecravit, siquidem presbyteri prius fuerant aut diaconi, in eodem pristino honore revertantur et postmodum facto, more solito, decreto electionis eorum, ad Sedem Apostolicam cum plebe atque decreto ad consecrandum eveniant et consecrationem a nostro Apostolico suscipiant ac si prius fuissent minime ordinati. Sed et quae alia in sacris officiis isdem Constantinus peregit praeter tantummodo baptismum omnia iterentur. At vero presbyteri illi vel diaconi quos in hac sancta Romana ecclesia ordinavit in pristino subdiaconatus ordine vel alio quo fungebantur officio revertantur, cum et postmodum in vestrae sanctissimae almitatis potestate sit sive eos ordinandi sive ut vobis placuerit disponendi, laici vero illi qui ab eo tonsorati sunt, atque consecrati, decernentes statuimus ut aut in monasterio retrudantur aut in propriis domibus residentes spiritalem atque religiosam vitam degant.

1322. Nicolaus II *et* Romanum *(1059 vel 1061) : Dominus Papa* Nicolaus *synodo in basilica Constantiniana praesidens dixit :* Erga

per eadem ratione soluta, ut notum est in controversia de validitate [illegible] ab haereticis vel a schismaticis vel a simoniacis collatorum. De qua consule librum L. Saltet *Les Réordinations*. Pauca tantum documenta damus.

simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed iuxta canonum sanctiones et decreta sanctorum Patrum eos omnino damnamus, ac deponendos esse apostolica auctoritate sancimus. De iis autem, qui non per pecuniam, sed gratis sunt a simoniacis ordinati, quia quaestio a longo tempore est diutius ventilata, omnem modum [*al.* nodum] dubietatis absolvimus, ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo haec venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix quaelibet ecclesia valeat reperiri, quae hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta, eos qui usque modo sunt a simoniacis consecrati, non tam censura iustitiae quam intuitu misericordiae in acceptis ordinibus manere permittimus . Ita tamen auctoritate sanctorum Apostolorum Petri et Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi vel alicui assumat, vel praefigat : quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum iubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum a nobis extorsit.

1323. Guastallense *(1106) :* Per multos iam annos regni Theutonici latitudo ab Apostolicae Sedis unitate divisa est. In quo nimirum schismate tantum periculum factum est, ut, quod cum dolore dicimus, vix pauci sacerdotes aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot ergo filiis in hac strage iacentibus, christianae pacis necessitas exigit, ut super hoc materna Ecclesiae viscera aperiantur. Patrum ergo nostrorum exemplis et scripturis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas et alios haereticos in suis ordinibus susceperunt, praefati regni episcopos *in schismate ordinatos*, nisi aut invasores aut simoniaci aut criminosi comprobentur, in officio episcopali suscipimus Id ipsum de clericis cuiuscunque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat.

1324. Lateranense I *(oec. IX, 1123) :* Can. 1. Sanctorum Patrum exempla sequentes et officii nostri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri, auctoritate Sedis Apostolicae modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, prorsus careat dignitate.

1325. Lateranense II *(oec. X, 1139)* . Can. 2. Si quis praebendam, vel prioratum, seu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, utpote chrisma vel oleum sanctum, consecrationes altarium vel ecclesiarum, interveniente execrabili ardore avari-

tiae per pecuniam acquisivit : honore male acquisito careat, et emptor atque venditor et interventor nota infamiae percellantur. Et nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare praesumat : quoniam simoniacum est; sed libere et absque imminutione aliqua, collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.

1326. Clemens VIII, *in Instructione de ritibus italo-graecorum (1595)* : § 4. Ordinati ab episcopis schismaticis, alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

1327. *De nullitate ordinationum anglicarum*, Leo XIII, *in ep.* Apostolicae curae, *13 sept. 1896* : Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tanquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam, et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini*[1], eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti*[2]. Forma huiusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri* : sed hoc potius convincit, Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adiectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum Ordinale eduardianum; cum propterea, hierarchia extincta, potestas ordinandi iam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causae novissime arcessitum est ab aliis eiusdem Ordinalis precibus. Nam, ut cetera praetereantur quae eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare.

De consecratione episcopali similiter est. Nam formulae, *Accipe Spiritum Sanctum*, non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi*, sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, iudicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse praefationis precem, *Omnipotens Deus;* cum ea pariter deminuta sit verbis quae *summum sacerdotium* declarent. Sane, nihil huc attinet

1. Trid. Sess., XXIII *de Sacr. Ord., can. 1.* — 2. Trid. Sess., XXII *de Sacrif. Missae, can. 2.*

explorare, utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus, aut collatus, ut aiunt, *per saltum*, scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne. At ipse procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum Ordinis verissime pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium; quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali nostra consuetudine *summum sacerdotium, sacri ministerii summa* nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum Ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali eiusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac iure possit conferri : eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam Eucharistiam et sacrificium. Cum hoc igitur intimo formae defectu coniunctus est defectus intentionis quam aeque necessario postulat ut sit sacramentum... Itaque omnibus Pontificum decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia pronuntiamus et declaramus ordinationes ritu anglicano actas irritas prorsus fuisse et esse omninoque nullas.

5. *Ad cap. 4 et can. 5-7.*

1328. *Fides pro Waldensibus* (Innocentius III, *1208*) : Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcumque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria : scilicet certa persona, id est, presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa sollemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis ; ideoque firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit, se posse sacrificium Eucharistiae facere, haereticus est et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus.

De hierarchia cf. supra p. II, 281 sq; 311 sq et 1072.

1329. *De electione canonica praevia pro episcopo*, Lateranense I, oec. IX *(1123)* : Can. 10. Nullus in episcopum nisi canonice electum ad consecrandum manus mittat. Quodsi praesumpserit, et consecratus et consecrator absque recuperationis spe deponatur.

1330. CIC. *c. 953* : Consecratio episcopalis reservatur Romano

Pontifici ita ut nulli episcopo liceat quemquam consecrare in episcopum nisi prius constet de pontificio mandato.

6. *Ad cap. 4 et can. 6.*

1331. *De immixtione laicorum in ordinationibus*, Nicaenum II, oec. VII *Act. 8 (787)*. Πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ ἀρχόντων ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ἢ διακόνου ἄκυρον μένειν κατὰ τὸν κανόνα τὸν λέγοντα· Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. Δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα προβιβάζεσθαι εἰς ἐπισκοπὴν ὑπὸ ἐπισκόπων ψηφίζεσθαι, καθὼς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ ὥρισται ἐν τῷ κανόνι τῷ λέγοντι· Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. Εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτον, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι, τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.

1332. *Errores* **Synodi Pistoriensis** (Pius VI, *1794*) :

De ordine.

51. **Doctrina Synodi**, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, ***ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.***

52. **Item**, quae innuit, non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in

---

1331. Can. 3. Omnis electio a principibus facta episcopi aut presbyteri aut diaconi irrita maneat secundum regulam (Can. apost. 30), quae dicit : Si quis episcopus saecularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur, et segregentur omnes, qui illi communicant. Oportet enim, ut, qui provehendus est in episcopum, ab episcopis eligatur, quemadmodum a sanctis Patribus, qui apud Nicaeam convenerunt, in regula (can. 4) definitum est, quae dicit : Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et aliis per litteras consentientibus, tunc consecratio fiat. Firmitas autem eorum, quae geruntur, per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur antistiti.

Concilio Chalcedonensi; subiungens, quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

53. Item, quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait, Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem : quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta :

1) sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt;

2) sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut specialim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii, salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3) Sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent : — doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam iniuriosa.

54. Item, quae velut turpem abusum notat, unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae* et generatim quodcunque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offerretur; quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur : — falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.

55. Item, qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis velut acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant; quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones*

per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (Conc. prov. IV Mediol.), idque ad mentem TRIDENTINI (sess. 23, c. 17), *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae et in pluribus locis aliquamdiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur* : — suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per TRIDENTINUM probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.

56. Doctrina, quae statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniant ex delictis in iure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem : — aequitatis et moderationis canonicae a sacro Concilio TRIDENTINO probatae laesiva, auctoritati et iuribus Ecclesiae derogans.

57. Praescriptio synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reicit quamcunque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; item, in eo quod subiungit, certum sibi esse iuxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse : — pro sua generalitate, derogans moderationi TRIDENTINI (sess. 7, c. 5 et sess. 24, c. 17).

. *De dignitate, muneribus et officiis sacerdotii catholici uberrime tractat encyclica* PII XI, Ad catholici sacerdotii fastigium, *20 decembris 1935.*

VIII

DE SACRAMENTO MATRIMONII

A) Leo XIII, enc. Arcanum

(10 feb. 1880).

De matrimonio christiano.

1333. *Habito primum sermone de instauratione ordinis supernaturalis a Christo, quae multa bona attulit ipsi ordini naturali tam pro singulis hominibus tum pro tota societate, Pontifex pergit :* Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare, volumus autem de convictu domestico eloqui, cuius est in *matrimonio* principium et fundamentum.

Matrimonium divinitus institutum, unum et indissolubile. Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae *vera* sit *matrimonii origo.* — Quamvis enim fidei christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium saeculorum delere iamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec exstinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus : posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, sociam illi voluit adiungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium ex quo scilicet propagari humanum genus, et, nunquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore *duas* potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit *proprietates*, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem.* — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate; qui Iudaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum,

ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* (homo) *uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet* (Mt. xix, 5-6).

1334. *Primitivam matrimonii formam apud Hebraeos obscuratam polygamia et divortio, apud ethnicos corruptam turpissime, Christus revocavit ad primitivam puritatem:* Sed tot vitiis tantisque ignominiis, quibus erant inquinata coniugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector Iesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galileae Ipse praesentia nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles (Io., ii); quibus causis vel ex eo die in hominum coniugia novae cuiusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo coniunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de coniugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit moechatur* (Mt. xix, 9).

Ad dignitatem evexit sacramenti. Verum quae auctoritate Dei de coniugiis decreta et constituta sunt ea nuntii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt. Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt*[1] nimirum Christum Dominum ad Sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut coniuges, caelesti gratia quam merita eius pepererunt saepti ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse[2], et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse. *Viri*, Paulus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras... Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Eph. v, 25-32).

Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem perpetuamque firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et

1. Trid. sess. XXIV, in pr. — 2. Trid. sess. XXIV, cap. 1, *de reform. matr.*

nullo tempore violabilem Christum iussisse (1 Cor. vii, 10-11; v, 39). Hisce igitur causis matrimonium exstitit *sacramentum magnum* (Eph., v, 32), *honorabile in omnibus* (Hebr. xiii, 4), pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

1335. *Inde finis excelsior et utrique coniugum iura et officia definita.* Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, christiana eius perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives sanctorum et domesticos Dei* (Eph. ii, 19); *ut nimirum populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur*[1]. — Secundo loco sua utrique coniugum sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus* (Eph. v, 23-24). — Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres... educate illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini* (Eph. vi, 4). Ex quo intelligitur, nec pauca esse coniugum officia, neque levia, ea tamen coniugibus bonis, ob virtutem quae Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iucunda.

1336. *Christus disciplinam matrimonii Ecclesiae commisit quae legibus suis ei optime consuluit.* Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in coniugia christianorum, omni cum tempore, tum loco, exercuit atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. Quot vero et quam vigilis

1. Catech. Rom., cap. viii.

curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. Et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos (Act. xv, 29); civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate (I Cor. v, 5); propulsatos ac reiectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei christianae primordia; nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum.

Simili modo ius matrimonii aequabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine[1]; exaequata viri et uxoris iura; etenim, ut aiebat Hieronymus[2], *apud nos quod non licet feminis aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur:* atque illa eadem iura ob remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adultera sumere[3] iuratamque fidem libidinose atque impudice violare.

Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus coniugii cupidis quidquam de iusta libertate minueretur[4], quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit[5], ut nimirum supernaturalis coniugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit[6]; quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum[7], quod coniugiorum decus[8], quod religionis incolumitatem[9], sarta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad coniugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cuius sapientia et fugam temporum, et iniurias hominum et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

1337. *Ecclesiae id subtrahere rationalistae nituntur.* Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque

1. Cap. 1 *de coniug. serv.* — 2. Ep. 77, 3, PL 22, 691. — 3. Can., *Interfectores* et Can. *Admonere*, quaest. 2. — 4. Cap. 30, quaest. 3, cap. 11, *de cognat. spirit.* — 5. Cap. 8, *de consang. et affin.*; cap. 1, *de cognat. legali.* — 6. Cap. 26, *de sponsal.*; cap. 13, 15, 29 *de sponsal. et matrim.*; et alibi. — 7. Cap. 1, *de convers. infid.*; cap. 5, 6, *de eo qui duxit in matr.* — 8. Cap. 3, 5, 8, *de sponsal. et matr.*, Trid. sess. XXIV, cap. *de reform. matr.* — 9. Cap. 7, *de divort.*

matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt... Cum vero et familiae totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum iurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur; imo deiicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et iure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae ius in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem eius generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut iniuria factum. Sed iam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua iura fortiter vindicent, atque omnem coniugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de causis, quae coniugiis impedimento sint; hinc iudiciales sententiae de contractibus coniugalibus, iurene initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere iuris constituendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla iam ratio habeatur nec divinae potestatis eius, nec providarum legum quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset.

1338. *Iurium Ecclesiae demonstratio ex indole sacra matrimonii.* Attamen *Naturalistae* iique omnes, qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III[1] et Honorius III[2] decessores Nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles exsistere sacramentum coniugii.* Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est ut regatur ac

1. Cap. 8, *de divort.* — 2. Cap. 11, *de transact.*

temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium.

1339. *Ex dignitate sacramentali.* Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.

1340. *Ex usu Ecclesiae perpetuo.* Postremo magnum pondus est, magna vis historiae qua luculenter docemur, potestatem legiferam et iudicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem, delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe iudaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone[1]. Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine coniugii[1], de nuptiis servos inter et ingenuas[2], tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini Christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem; praesertim cum ius illud, ab Ecclesia profectum, a civili iure interdum adeo dissideret, ut Ignatius martyr[3], Iustinus[4], Athenagoras[5] et Tertullianus[6], tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. — Postea vero quam ad Christianos imperatores potentatus omnis reciderat Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque iuris sui, de matrimoniis iubere, vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano[7], Arelatensi[8], Chalcedonensi[9], Milevitano II[10], aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe dista-

1. Can. Ap. 16, 17, 18. — 2. Philosophumena l. IX, c. 12, PG 16, 3386-87. — 3. Epist. ad Polycarp., cap. 5. PG. 5, 340. 8. — 4. Apolog. mai., n. 15. — 5. Legat. pro Christian., nn. 32, 33. PG. 6, 964-68. — 6. De coron. milit., cap. XIII. PL. 2, 95-97. — 7. Can. 13, 15, 16, 17. — 8. Can. 11. — 9. Can. 16. — 10. Can. 17.

rent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus[1] fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de conubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate[2]; cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium[3], de divortiis[4], denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquomodo habentibus[5]. — Igitur iure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiae potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere*[6] *et causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare*[7].

1341. *Contractus a sacramento disiungi nequit.* Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse iure traductam. Quod si hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et inius-

1. Novell. 137. — 2. Fejer, *Matrim. ex instit. Christ.*, Pest., 1835. — 3. Cap. 3, *de ordin. cognit.* — 4. Cap. 3, *de divort.* — 5. Cap. 13, *qui filii sint legit.* — 6. Trid., sess. XXIV, can. 4. — 7. *Ibid.*, can. 12.

titiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum! Sed facile est pervidere quantam profanata coniugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universae hominum communitati ..

1342. *Fructus matrimonii christiani.* — Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti, et fideli, communione omnium bonorum, gratia caelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obsequentes Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem.

Hos fructus tantos ac tam praeclaros, tamdiu matrimonium revera genuit quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem: neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum ius in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum coniugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata et magnorum bonorum procreatrix. — Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio iubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi atque excelsi! Illa igitur semota ac reiecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae hominum naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione Christiana maior, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod iure humano et sponte nexum

putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliaeve causae liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum iure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

1343 *De divortii damnis.* — Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorundem iuris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiam si maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse coniugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate coniunctionis humanae; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelae remedium ab eiusmodi legibus esse quaerendum.

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans. Haec certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora...

1344. *Ecclesia sese divortio opponens bene meruit de populorum bono*: Igitur confitendum est de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati coniugio-

rum tuendae semper intentam, nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum iam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit[1]; quod haeresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit[2]; quod usitatam Graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit[3]; quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur[4]; quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent[5]. — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis sed etiam pro humanitatis gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Caelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum, a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII, denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem.

1345. *Concordia cum potestate civili optata ab Ecclesia.* Quae cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiae adiumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati iuris civilis insimulationem.

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum, nec semel suarum ipsa legum praescripta quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret causae iustae et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat

1. Pius VI, epist. ad. episc. Lucion., 20 Maii 1793; Pius VII, litter. encycl. die 17 Febr. 1809, et Const. dat. die 19 Iul. 1817; Pius VIII, litt. encycl. die 29 Maii 1829; Gregorius XVI, Const. dat. die 15 Augusti 1832; Pius IX, alloc. habit. die 22 Sept. 1852. — 2. Trid. sess. XXIV, can. 5, 7. — 3. Concil. Florent. et Instr. Eug. IV ad Armenos; Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 6 Maii 1742. — 4. Cap. 7 *de condit. appos.* — 5. Hieron., epist. 69 ad Ocean.; Ambros. libr. 8 in cap. 16 Lucae, n. 5; August., l. 1 de nuptiis cap. x: PL 22, 633 sq.; 15, 1767 A.; 44, 420.

neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt...

1346. *Summa verae doctrinae:* Praecipuas curas in id insumite, ut populi abundent praeceptis sapientiae christianae, semperque memoria teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Christum vero novi Foederis auctorem illud ipsum ex officio naturae in Sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae attribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem ademptam Ecclesiae vellent. Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, exsistat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur. — In tanta autem confusione sententiarum, quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum coniugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse, ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte coniuges, quaecumque demum causa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda; nec unquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum haec extrema sunt; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupiditate acti, sed praesumptis cogitatione tum officiis coniugum tum causis coniugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo.

Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quie-

tamque constantiam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis quae forti invictoque animo esse tribuit, quae efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

1347. *Vitanda matrimonia mixta.* Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine; animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin immo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine...

Haec de matrimonio christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere.

B) Tridentinum et documenta conexa[1]

(Sessio 24, 11 nov. 1563).

Doctrina de sacramento matrimonii.

1348 Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* (Gen. II, 23-4).

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit : *Itaque iam non sunt duo, sed una caro* (Mt. XIX, 6), statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tantum ante pronuntiatam his verbis confirmavit : *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (Mt. XIX, 6).

Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit, dicens : *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea* (Eph. V, 25), mox subiungens : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Eph. V, 32).

1. Cum brevissima sit doctrina, documenta subduntur ipsis singulis canonibus.

1349. Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter Novae Legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt, adversus quam impii homines huius saeculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt sed de more suo praetextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa, ab Ecclesiae catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium iactura ; quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos.

1. — De institutione sacramento matrimonii.

1350. Can. 1. Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre : anathema sit.

a) Errores eorum qui damnant nuptias.

1351. Toletanum I (*libellus* Pastoris) [*s. V.*] : 16. Si quis dixerit vel crediderit, coniugia hominum, quae secundum legem divinam licet habere, exsecrabilia esse, A. S.

1352. *Statuta Ecclesiae antiqua* (*s. VI*) *interrogant :* Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnat, si carnium perceptionem non culpet, si paenitentibus reconciliatis communicet.

1353. Bracarense (*563*) : 11. Si quis coniugia humana damnat et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. — 12. Si quis plasmationem humani corporis diaboli

dicit esse figmentum et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S.

1354. *Fides pro* **Waldensibus** (Innocentius III, *1208*) : Coniugia carnalia esse contrahenda, secundum Apostolum (II Cor. vii) non negamus ordinarie vero contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus.

Lateranense IV *(oec. XII, 1215)* : Non solum autem virgines et continentes, verum etiam coniugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.

1355. Florentinum *Dlac.* (*1442*) : Declaramus non solum secundas sed tertias et quartas atque ulteriores (nuptias) si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendabiliores tamen dicimus si ulterius a coniugio abstinentes in castitate permanserint : quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptias castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.

b) Errores de matrimonio ut sacramentum est.

1356. Pii IX S. (*1864*) :

§ VIII. Errores de matrimonio christiano.

65 **Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.** (Litt. apost. *Ad apostolicae*, 22 aug. 1851.) — 66. **Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.** (Litt. apost. *Ad apostolicae*, 22 aug 1851.) — 73. **Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur** (Litt. apost. *Ad apostolicae*, 22 aug 1851 ; litterae ad Regem Sardiniae, 9 sept. 1852; alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860.)

1357. *Idem, alloc.* Acerbissimum vobiscum, *27 sept. 1852, de matrimonio civili*. Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores atque adversus catholicae Ecclesiae

doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia et ab illis iudicarentur : cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.

1358 Pii X, *DL* (*1907*). — 51. **Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem, ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat, ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio.**

c) Documenta quaedam de matrimonio christiano.

1359. Leo I, *ep. 167 (a 458 vel 459) inquis. 4* : Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum (Eph. v, 32) dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit non ita accipiendum est quasi eam coniugato dederit.

1360. Nicolaus I : *Decreta*, 3. Ubi non est consensus utriusque ibi non est coniugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis et e converso nihil faciunt nisi uterque puerorum postquam venerit ad annos discretionis consentiat. — *Idem* ad Bulgaros, *resp. 3 (nov. 866)* : Peccatum autem esse si haec cuncta (caeremoniae vanae) in nuptiali foedere non interveniant non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis... cum sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur : qui consensus, si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.

1361. Innocentii III, *ep.* Cum apud sedem *ad Ymbertum arch. Arelatensem, 15 iul 1198* : Consuluisti nos, utrum mutus et surdus alicui possint matrimonialiter copulari. Ad quod fraternitati tuae taliter

respondemus, quod, cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, et sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum de quorum quarumque coniunctionibus agitur : videtur, quod, si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari, cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare.

1362 ALEXANDER III, *ep. ad ep. Salernitanum (1159-81)*. Si inter virum et mulierem legitimus consensus sub ea solemnitate quae fieri solet, praesente scilicet sacerdote aut etiam notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus, interveniat de praesenti, ita quidem, ut unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat utroque dicente : *ego te accipio in meam* et *ego te accipio in meum*, sive sit iuramentum interpositum sive non, non licet mulieri alii nubere. Et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli quamvis alii aliter sentiant et aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.

Casus propositus erat : utrum si inter virum et mulierem praestito vel non praestito sacramento, legitimus consensus intervenerit de praesenti, carnali copula non secuta, liceat mulieri alii nubere vel si nupserit alii et carnalis fuerit copula subsecuta an ab ipso debeat separari?

1363. *De matrimonio invalido ob conditionem appositam*. GREGORIUS IX, *in fg. decretalis :* Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta, si alter dicat alteri : *contraho tecum, si generationem prolis evites*, vel : *donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem*, aut : *si pro quaestu adulterandam te tradas :* matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.

1364. *DArm. (1439)* : Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Eph. v, 32). *Causa efficiens* matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem *triplex bonum* matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

1365. CIC. c. 1012, § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. § 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere quin sit eo ipso sacramentum.

1366. CIC c. 1013, § 1. Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis, secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae. — § 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti. — c. 1110 : Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum ; matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert.

1367. CIC. c. 1081, § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet. — § 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. — c. 1082, § 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

1368. CIC. c. 1084. Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem. — c. 1085. Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

1369. CIC. c. 1067, § 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt. — c. 1068, § 1. Impotentia antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit. — § 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. — § 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit.

2. — De Polygamia.

1370. Can. 2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum : A. S. (n. 1348).

1371. Nicolai I *ad Bulgaros resp. 51 (866):* Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis; quod si non licet, scire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit et unam feminam tantum, cui potuit utique, si vellet, duas uxores tribuere sed noluit. Scriptum quippe est: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae*, non dixit *uxoribus:* et iterum *erunt duo in carne una* (Gen. II, 24), masculus scilicet et femina in carne una et non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempore duae uxores inveniuntur, interim priore retenta, posteriorem cogatur amittere, insuper et paenitentiam quam loci sacerdos praeviderit (*var.* praeceperit) compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit, adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima et septuagesima generatione, secundum Evangelium, luxerit in mundum.

1372. Innocentius III *ep.* Gaudemus *ad episc. Tiberiadensem (in. 1201):* Et quoniam pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt coniugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitatur. Quia vero tam patriarchae quam alii viri iusti, ante legem pariter et post legem, multas uxores insimul habuisse leguntur, nec contrarium apparet in Evangelio vel lege praeceptum, neque pagani subiciuntur institutis canonicis post inventis, quemadmodum est praemissum, videtur quod et nunc iuxta ritum suum licite contrahant cum diversis quorum coniunctiones legitimas unda sacri baptismatis non dissolvit et ita patriarcharum exemplo ad fidem Christi pagani conversi coniugiorum pluralitate gaudebunt. Verum absonum hoc videtur et inimicum fidei christianae, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa: et Scriptura divina testetur, quod *propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (Gen. II, 24); non

dixit *tres* vel *plures*, sed *duo*; nec dixit, *adhaerebit uxoribus*, sed *uxori.* Unde Lamech qui plures simul uxores legitur habuisse reprehenditur in scripturis eo quod ipse primus reprobandam bigamiae speciem introduxit... Sine dubitatione quilibet protestamur quod nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, quae mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob a mendacio, Israelitae a furto, et Samson ab homicidio, sic et isti ab adulterio excusantur. Sane iuridica *(Decr.* veridica) haec sententia probatur etiam de testimonio Veritatis testantis in Evangelio : *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* (Mt. XIX, 9). Sic ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest. Fortius etiam ipsa retenta : per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur, circa matrimonium reprobandam.

1373. *Notandum tamen polygamiam successivam seu secundas et tertias nuptias licitas esse semper Ecclesiam romanam asseruisse. Hinc in professione fidei* **Michaelis Palaeologi** *(1274), de utraque polygamia diverso modo :* De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit: si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

3. — De impedimentis.

1374. Can. 3. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant : A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse: A. S.

1375. *Errores synodi* **Pistoriensis** (Pius VI, 1794) : 59. Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia*, quod *ius originarium* praeterea dicitur cum *iure dispensandi essentialiter conexum ;* subiungens, *supposito assensu vel conniventia principum,*

potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare : canonum 3 4 9 12 sessionis 24 Concilii Tridentini eversiva, haeretica.

60. Item rogatio synodi, ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani*; tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacunque licita aut illicita coniunctione provenientis, ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae*, quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis : — libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

1376. Pii IX S (*1864*) : 68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt (Litt. Apost *Multiplices inter* 10 iun. 1851). — 69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 aug. 1851). — 70. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt (Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 aug 1851).

1377. *Infideles tamen non teneri impedimentis ecclesiasticis docet* Innocentius III, *ep.* Gaudemus in Domino, *ad episc. Tiberiadensem (in. 1201)* : Quoniam utrum (pagani) uxores acceperant in secundo tertio vel ulteriore gradu sibi convinctas (*Decr.* : coniunctas sic coniuncti debeant post conversionem suam insimul remanere vel ab invicem separari, edoceri per rescriptum apostolicum postulasti. Super quo fraternitati tuae taliter respondemus, quod, cum sacramentum coniugii apud fideles et infideles exsistat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens : *Si quis frater infidelem habet uxorem, et haec consentit habitare cum eo, non illam dimittat* (I Cor. vii, 12); et in praemissis gradibus a paganis quoad eos licite sit contractum, qui

constitutionibus canonicis non arctantur : *Quid enim ad nos*, secundum Apostolum eundem, *de his quae foris sunt, iudicare?* (I Cor v, 12) in favorem presertim christianae religionis et fidei, a cuius perceptione per uxores deseri se timentes viri possunt facile revocari : fideles huiusmodi matrimonialiter copulati libere possunt et licite remanere coniuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur.

1378 CIC, c. 1035. Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur. — c. 1036, § 1. Impedimentum impediens continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahitur — § 2. Impedimentum dirimens et graviter prohibet matrimonium et impedit quominus valide contrahatur. — § 3. Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

1379. CIC, c 1038, § 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat. — § 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis. — c. 1040. Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, sive illis derogare : item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit.

1380. *De hac potestate Ecclesiae in sacramentum matrimonii*, CIC, c. 1133, § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia § 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit. — c. 1134. Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse. — c. 1136. § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret. § 2. Si defectus consensus fuerit mere internus satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat. § 3. Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta si defectus fuerit publicus vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus. — c. 1137. Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma.

1381. CIC, c. 1139, § 1. Quodlibet matrimonium initum cum utrius-

quae partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret. — § 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini etiamsi postea impedimentum cessaverit Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti. — c. 1141. Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede. — c. 1138. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos ad praeteritum.

1382. CIC, c. 1160. Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur. — c. 1062. Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.

4. — De matrimonii indissolubilitate.

1383. Can. 5. Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: A. S.

1384. CIC, c. 1118: Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa praeterquam morte dissolvi potest.

1385. *Error damnatus in* Pii IX S *(1864)*: 67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. (Litt. apost, *Ad apostolicae* 22 aug. 1851, alloc. *Acerbissimum* 27 sept. 1852.)

1386. Innocentius I *ep.* Consulenti tibi *ad Exsuperium episc. Tolosanum (20 feb. 405)*. — 12. De his etiam requisivit dilectio tua qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videtur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hae personae quibus tales coniunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, moechatur, similiter et qui dimissam duxerit moechatur* (Mt. xix, 9). Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut de propinquis eorum nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

a) De privilegio Paulino.

1387. *De matrimonio cum infideli dirempto*. Gregorius I *(ex Gratiano 28 q. 2 c. 2)*: Si infidelis discedit odio christianae fidei, discedat. Non est enim frater aut soror subiectus servituti in huiusmodi (1 Cor. vii, 15). Non est enim peccatum dimisso propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit ius matrimonii circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens et in Deum peccat et in matrimonium, nec est ei fides servanda coniugii qui propterea discessit ne audiret Christum esse Deum christianorum coniugiorum.

1388. *De quo etiam* Innocentius III *in ep.* Quanto te *ad Ugonem episc. Ferrariensem, 1 maii 1199*: Tua fraternitas intimavit, quod altero coniugum ad haeresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare et filios procreare, quod utrum possit fieri de iure, per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultationi tuae de communi fratrum nostrorum consilio respondentes distinguimus, licet quidem praedecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in haeresim vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel saltem non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servitati subiectus in huiusmodi* (1 Cor. vii, 15); et canonem etiam, in quo dicitur quod contumelia creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur.

Si vero alter fidelium coniugum vel labatur in haeresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum quidem inter infideles exsistat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum quidem et ratum exsistit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret.

1389. *Iterum in epist.* Gaudemus *ad episc. Tiberiadensem in. 1201*: Qui vero, secundum ritum suum, legitimam repudiavit uxo-

rem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente aliam licite poterit, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum; in quo casu restitutionem petenti, quamvis de iniusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundum Apostolum *frater aut soror non est in huiusmodi subiectus servituti* (I Cor. VII, 15). Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Et quamvis, secundum evangelicam veritatem, *qui duxerit dimissam moechetur* (Mt. XIX, 9), non tamen dimissor poterit opponere fornicationem dimissae, pro eo quod nupserit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata.

1390. CIC, c. 1120 § 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino. — § 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio, inter partem baptizatam et partem non baptizatam, inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. — c. 1121, § 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare: 1° an velit et ipsa converti ac baptismum suscipere; 2° an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. — § 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit. — c. 1124. Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris. — c. 1126. Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur cum pars fidelis reapse novas nuptias valide inierit.

b) De professione religiosa.

1391. Can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: A. S.

1392. Alexander III *in fg. ad arch. Salernitanum*[1] *(1159-81)*:

1. Cf. Gregorius I, *ep. XI, 45, PL 77, 1161-2, n. 6.*

Post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere.

1393. Innocentius III *in ep.* Ex parte *ad Andream arch. Lundensem, 12 ian. 1206:* Nos, nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis in hoc articulo subito declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum, reliquo etiam inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus extunc legitime poterit alteri copulari (n. 1392), hoc ipsum tibi consulimus observandum.

1394. CIC, c. 1119: Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante, vel alterutra, etsi altera sit invita.

c) Contra divortium.

1395. Can. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam (Mt. XIX, I Cor. VII) propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: A. S.

1396. Carthaginiense *(407) c. 8 (in Codice canonum Ecclesiae Africanae, 102)*: Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad paenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendum est promulgari.

1397. Alexander III *ep.* Publico, *ad episc. Brixiensem (1159-81)*. Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est, secundum

interpretationem sacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua matrimonium consummari non potest.

d) De licita separatione coniugum.

1398. Can 8. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: A. S.

Has causas enumerat CIC, *c. 1131* § 1 : Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certe constet, et periculum sit in mora. — § 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.

Fides Orientalium *(1743)* : Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

8. — De clericorum et religiosorum caelibatu.

1399. Can 9. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem sollemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: A. S., cum Deus id recte petentibus non deneget, *nec patiatur nos supra id quod possumus tentari* (I Cor. x, 13)

1400. CIC, *c. 1072* : Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti. — c. 1073 : Item invalide matrimonium attentant

religiosi qui vota sollemnia professi sint aut vota simplicia quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi.

1401. *Propositio damnata in* Pii IX S. *(1864)* : 72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit (Litt. apost. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851).

De matrimonio et caelibatu.

1402. Can. 10. Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio : A. S.

1403 Pius IX *in Syllabo (1864) post prop. 65-74* de matrimonio christiano, *addit* : NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

1404. **Modernistarum** *error, ex enc.* Pascendi *(1907)* : Clerum sic comparatum petunt, ut veterem referat demissionem animi et paupertatem, cogitatione insuper et facto cum modernismi praeceptis consentiat. — Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio caelibatum sublatum desiderent.

1405. *Ex multis documentis de caelibatu clericorum*, Siricius *in ep.* Directa, *ad Himerium (385)* : 8. Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suae tempora, tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. — 9 Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum... cur eos quibus committebantur sancta sanctorum praemonet (Dominus) dicens : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester* (Lev. xx, 7), cur etiam procul a suis domibus, anno vicis suae, in templo habitare iussi sunt sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiae integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent... — 10. Unde et Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia *Legem venerit implere, non solvere* (Mt. v, 17). Et ideo Ecclesiae, cuius sponsus est, formam castitatis voluit splendore radiare, ut in die iudicii, cum rursus advenerit, *sine macula et ruga*

(Eph. v, 27) eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reportare. — Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae, sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. *Qui autem in carne sunt*, dicente electionis vase, *Deo placere non possunt* (Rom. viii, 8)...

11. Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicae Sedis auctoritate deiectos nec umquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum, quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum : quia ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam.

1406. *Idem, in ep.* Optarem semper, *Ecclesiae Mediolanensi (a. 390)* de **Ioviniano**. 3. Isti non habentes vestem nuptialem, sauciantes catholicos, continentiam pervertentes et spiritu diabolico interpretantes. Nos sane, nuptiarum vota non aspernantes accipimus quibus velamine intersumus, sed virgines, quas nuptiae creant, Deo devotas maiore honorificentia numeramus.

1407. Lateranense I, *oec. IX, sub* Callisto II *(1123)* : Can. 3. Presbyteris, diaconibus vel subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia penitus interdicimus et aliarum mulierum cohabitationem, praeter quas synodus Nicaena propter solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias huiusmodi, de quibus nulla valeat iuste suspicio oriri.

Cf. *nunc enc.* Pii XI, Ad catholici sacerdotii fastigium, *20 dec. 1935*, §. Praeclarissimum aliud.

6. — De tempore nuptiarum.

1408. Can. 11. Si quis dixerit, prohibitionem sollemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit : A. S.

1409. CIC, c. 1108. §. 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. — § 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. —

§ 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

7. — De iure Ecclesiae in matrimonium.

1410. Can. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos : A. S.

1411. *Error* **Synodi Pistoriensis** *de sponsalibus* (Pius VI *1794*) : 58. Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae : falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

1412. *Propositio damnata in* Pii IX S. *(1864)* · 74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. (Litt. apost. *Ad apostolicae*, 22 aug. 1851 ; alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.)

1413. Pius VII *in Brevi ad Carolum de Dalberg arch. Moguntinum, 8 oct. 1803 affirmat* sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse.

1414. CIC *c. 1960*. Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant. — *c. 1961*. Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum, ad normam can. 1016, sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice eclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri. — *c. 1016*. Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

8. — De forma celebrationis matrimonii.

a) Tridentinum.

(*Synodus sess. XXIV, 11 nov. 1563*).

Decretum de reformatione matrimonii, c. 1.

1415. Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum, cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inoboedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore cum qua clam contraxerant, relicta cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis Concilii IV sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta Synodus relinquit.

Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero et testes qui sine parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecepit.

1416. Praeterea eadem sancta Synodus hortatur ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstante. Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit; ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat parochus librum in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat.

Postremo sancta Synodus coniuges hortatur ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem; sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pie accedant.

Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat.

Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint.

Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia

suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.

1417-24. *Propositio damnata in* Pii IX S. (*1864*) · 71 Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere (all. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851).

b) Pius X

Decr. S. Cong. Concilii, Ne temere (*2 aug. 1907*).

1425. Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium (cap. 1, Sess. XXIV, *de reform. matrim.*) edicens : « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. » — Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum, accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant. — Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare certone constet de quasi domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent ; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt. — Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur.

1426. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt. — Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, id est mutuis promis-

sionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia : primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur ; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SSmus D. N. Pius PP. X, pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, necnon Emorum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt : a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SSmus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur :

De sponsalibus (n. 1434).

1427. 1. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. — Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur ; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

2. — Nomine *parochi* hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae ; sed in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur ; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio (n. 1435).

1428. 3. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. 7 et 8 ponuntur.

1429. 4. — Parochus et loci Ordinarius *valide* matrimonio adsis-

tunt : § 1. A die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi ; — § 2. Intra limites dumtaxat sui territorii in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt, — § 3. Dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum.

5. — *Licite* autem adsistunt : § 1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis ; — § 2. Constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commemoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii ; — § 3. Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset ; — § 4. Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit ; — § 5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

6. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat. — Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. 4 et 5 superius statutas.

1430. 7. — Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

1431. 8. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

1432. 9. — § 1. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit. — § 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur. — § 3. Quoties matrimonium ad normam n. 7 aut 8 contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

10. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2 et 3 num. 5, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

1433 11. — § 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant. — § 2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt ; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum. — § 3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios : et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

e) Codex iuris canonici.

1434. *De Sponsalibus*, c. 1017 : § 1. Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario vel a duobus saltem testibus. — § 2. Si utraque vel altera pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus de quibus in § 1, scripturam subsignet. — § 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem explenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

1435. *De ipso matrimonio*, c. 1094. Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel

sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas in canonibus qui sequuntur et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.

C. 1095, § 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt : 1° a die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati; 2° intra fines dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum sed etiam non subditorum valide assistunt; 3° dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. — § 2 ...Possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat.

C. 1097, § 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.

C. 1098. Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096 : 1° in mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam; 2° in utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

C. 1099, § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur : 1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt; — 2° idem de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant, — 3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis. § 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

C) Pius XI, enc. Casti Connubii

(*31 déc. 1930*).

1435[bis]. a) Vos igitur, Venerabiles Fratres, et per vos universam Ecclesiam Christi, atque adeo humanum genus universum, de christiani matrimonii natura, dignitate, commodis beneficiisque inde in familiam atque humanam ipsam societatem emanantibus, de erroribus gravissimo huic evangelicae doctrinae capiti contrariis, de vitiis eidem coniugali vitae adversis, de praecipuis denique remediis adhibendis, alloqui statuimus, vestigiis inhaerentes fel. rec. Leonis XIII, decessoris Nostri, cuius de matrimonio christiano Encyclicas Litteras *Arcanum* (Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*, 10 Febr. 1880), ante quinquaginta annos datas, hisce Nostris et Nostras facimus et confirmamus et, dum non- nulla pro aetatis nostrae condicionibus ac necessitatibus paulo fusius exponimus, non modo non obsolevisse sed plenam suam vim retinere declaramus.

Matrimonium divina simul et humana voluntate constituitur.

b) Atque ut ab his ipsis Litteris initium faciamus, quae totae fere sunt in vindicanda divina matrimonii institutione eiusque sacramentali dignitate et perpetua firmitate, primum quidem id maneat immotum et inviolabile fundamentum : Matrimonium non humanitus institutum neque instauratum esse, sed divinitus; non ab hominibus, sed ab ipso auctore naturae Deo atque eiusdem naturae restitutore Christo Domino legibus esse communitum, confirmatum, elevatum; quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli neipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint. Haec Sacrarum Litterarum est doctrina (*Gen.* I, 27-28; II, 22-23, *Matth.* XIX, 3 sq.; *Ephes.* V, 23 sq.), haec constans atque universa Ecclesiae traditio, haec sollemnis Sacrae Tridentinae Synodi definitio, quae perpetuum indissolubilemque matrimonii nexum eiusdemque unitatem ac firmitatem a Deo auctore manare ipsis Sacrae Scripturae verbis praedicat atque confirmat. (*Conc. Trident.*, sess. XXIV.)

At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu : qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium (Cf. *Cod. iur. can.*, c. 1081, § 2), ad verum matrimonium constituendum tam necessarius

est ut nulla humana potestate suppleri valeat. (*Cf. Cod. iur. can.*, c. 1081, § 1.) Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet, utrum contrahentes re vera matrimonium inire et cum hac persona in re velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur, ita, ut, si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiciatur...

Itaque germani conubii sacrum consortium divina simul et humana voluntate constituitur : ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona; Deo autem dante atque adiuvante, ex hominibus est, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum...

c) « Haec omnia — inquit S. Augustinus, — bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt : *proles, fides, sacramentum.* » (S. August., *De bono coniug.*, c. xxiv, n. 32.) Quae tria capita qua ratione luculentissimam totius de christiano connubio doctrinae summam continere iure dicantur, ipse Sanctus Doctor diserte declarat, cum ait : « *In fide* attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur; *in prole*, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur; *in sacramento* autem, ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Haec est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur fecunditas vel incontinentiae regitur pravitas. » (S. August., *De Gen. ad litt.*, l. IX, c. vii, n. 12.)

Primum matrimonii bonum : proles.

Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet *proles*. Et sane ipse humani generis Creator, qui pro sua benignitate hominibus in vita propaganda administris uti voluit, id docuit cum in paradiso, matrimonium instituens, protoparentibus et per eos omnibus futuris coniugibus dixit : *Crescite et multiplicamini et replete terram* (*Gen.* i, 28)...

Quantum vero hoc Dei beneficium sit et matrimonii bonum ex hominis dignitate et altissimo fine apparet. Homo enim vel solius rationalis naturae praestantia omnes alias creaturas visibiles superat. Accedit, quod Deus homines generari vult, non ut solum sint et impleant terram, sed multo magis, ut Dei cultores sint, ipsum cognoscant et ament eoque tandem perenniter fruantur in caelis; qui finis ex mirabili hominis per Deum in supernaturalem ordinem elevatione, omne superat quod oculus vidit, et auris audivit et in cor hominis ascendit (Cf. *I Cor.* ii, 9). Ex quo facile apparet proles, omnipotenti Dei virtute,

coniugibus cooperantibus, orta, quantum divinae bonitatis sit donum, quam egregius matrimonii fructus.

Christiani vero parentes intelligant praeterea se non iam solum ad genus humanum in terra propagandum et conservandum, immo vero, non ad quoslibet veri Dei cultores educandos destinari, sed ad pariendam Ecclesiae Christi subolem, ad cives Sanctorum et domesticos Dei (Cf. *Ephes.* ii, 19) procreandos, ut populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur. Etsi enim christiani coniuges, quamvis ipsi sanctificati, sanctificationem in prolem transfundere non valent, immo naturalis generatio vitae facta est mortis via, qua originale peccatum transeat in prolem; aliquid tamen quodammodo participant de primaevo illo paradisi coniugio, cum eorum sit propriam subolem Ecclesiae offerre, ut ab illa matre filiorum Dei fecundissima per lavacrum baptismatis ad supernaturalem iustitiam regeneretur, et vivum Christi membrum, immortalis vitae particeps, atque aeternae gloriae, quam omnes toto pectore concupiscimus, heres tandem fiat...

d) Procreationis autem beneficio bonum prolis haud sane absolvitur, sed alterum accedat oportet, quod debita prolis educatione continetur. Compertum autem est, natura Deoque iubentibus, hoc educandae prolis ius et officium illorum in primis esse, qui opus naturae generando coeperunt, inchoatumque, imperfectum relinquentes, certae ruinae exponere omnino vetantur. Iamvero huic tam necessariae liberorum educationi optima qua fieri potuit ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo conectantur, utriusque opera mutuumque auxilium semper praesto est.....

e) Neque id denique silendum quod, cum tantae dignitatis tantique momenti sit utrumque hoc munus parentibus in bonum prolis commissum, facultatis a Deo ad novam vitam procreandam datae honestus quilibet usus, ipso Creatore ipsaque naturae lege iubentibus, solius matrimonii ius est ac privilegium et intra sacros conubii limites est omnino continendus.

Alterum matrimonii bonum : fides.

f) Alterum matrimonii bonum, quod diximus ab Augustino commemoratum, est bonum *fidei*, quae est mutua coniugum in contractu coniugali implendo fidelitas, ut quod ex hoc contractu divina lege sancito alteri coniugi unice debetur, id neque ei denegetur neque cuivis permittatur; neque ipsi coniugi concedatur quod, utpote divinis iuribus ac legibus contrarium et a fide coniugali maxime alienum, concedi nunquam potest.

Quapropter haec fides in primis postulat absolutam coniugii unita-

tem, quam in protoparentum matrimonio Creator ipse praestituit, cum illud noluerit esse nisi inter unum virum et mulierem unam. Et quamquam deinde hanc primaevam legem supremus Legislator Deus ad tempus aliquantum relaxavit, nullum tamen dubium est quin illam pristinam perfectamque unitatem ex integro restituerit omnemque dispensationem abrogaverit Evangelica Lex, ut Christi verba et constans Ecclesiae sive docendi sive agendi modus palam ostendunt. Iure igitur Sacra Tridentina Synodus sollemniter professa est : « Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum... dixit : *Itaque iam non sunt duo, sed una caro.* » (*Conc. Tridenl.*, sess. XXIV.)

g) Nec vero tantum damnatam voluit Christus Dominus quamlibet, sive successivam sive simultaneam, quae dicitur, polygamiae et polyandriae formam, externumve aliud quodvis inhonestum opus, sed, ut sacra conubii septa inviolata prorsus custodiantur, ipsas quoque de his omnibus cogitationes voluntarias atque desideria prohibuit : *Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* (*Matth.* v, 28.) Quae Christi Domini verba ne alterutrius quidem coniugis consensu irrita fieri possunt; Dei enim et naturae exhibent legem, quam nulla unquam hominum voluntas infringere aut flectere valet. (Cf. Decr. S. Officii, 2 Mart. 1679, propos. 50 [1].)

Quin et mutua inter ipsos coniuges familiaris consuetudo ut bonum fidei debito splendeat nitore, nota castitatis insigniri debet, ita ut coniuges ad Dei naturaeque legis normam sese in omnibus gerant, et sapientissimi sanctissimique Creatoris voluntatem cum magna erga Dei opus reverentia semper sequi studeant.

Caritas inter coniuges.

h) Haec autem, quae a Sancto Augustino aptissime appellatur *castitatis fides*, et facilior et multo etiam iucundior ac nobilior efflorescet ex altero capite praestantissimo : ex coniugali scilicet amore, qui omnia coniugalis vitae officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis... Caritatem igitur dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo animi affectu positam atque — siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis (Cf. S. Greg. M. *Homil. XXX in Evang.* [*Ioan.* xiv, 23-31], n. 1), — opere externo comprobatam

1. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

Hoc autem opus in domestica societate non modo mutuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, immo hoc in primis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque; ita ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant, in qua denique *universa Lex pendet et Prophetae* (*Matth.* xxii, 40). Scilicet absolutissimum totius sanctitatis exemplar hominibus a Deo propositum, quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur pervenire.

Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus (Cf. *Catech. Rom.* p. II, c. viii, q. xiii), etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur.

Cum hac eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli : *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.* (*I Cor.* vii, 3.)

i) Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur *ordo amoris*. Qui quidem ordo et viri primatum in uxorem et liberos, et uxoris promptam nec invitam subiectionem obtemperationemque complectitur, quam commendat Apostolus his verbis : *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae* (*Ephes.* v, 22-23.)

Haec autem obtemperatio non libertatem negat neque aufert, quae ad mulierem tam pro humanae personae praestantia quam pro nobilissimis uxoris, matris, sociae muneribus pleno iure pertinet; neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus; nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet; sed vetat exaggeratam illam licentiam, quae familiae bonum non curat, vetat in hoc familiae corpore cor separari a capite, cum maximo totius corporis detrimento et proximo ruinae periculo. Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet.

Haec dein uxoris viro suo obtemperatio, ad gradum et modum quod attinet, varia esse potest pro variis personarum, locorum, temporum condicionibus; immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere. At ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere numquam et nusquam licet,..

Haec sunt igitur, quae bono fidei comprehenduntur: unitas, castitas, caritas, honesta nobilisque oboedientia; quae, quot sunt nomina, tot sunt coniugum atque coniugii emolumenta, quibus pax, dignitas, felicitas matrimonii in tuto collocentur atque promoveantur. Quare mirum profecto non est, hanc fidem inter eximia et matrimonii propria bona semper fuisse numeratam atque habitam.

Tertium matrimonii bonum: sacramentum.

k) Attamen tantorum beneficiorum summa completur et quasi cumulatur illo christiani coniugii bono, quod Augustini verbo nuncupavimus *sacramentum*, quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio.

Et primo quidem, indissolubilem foederis nuptialis firmitatem ipse Christus urget dicendo: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6); et: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* (*Luc.* XVI, 18.)...

Atque haec inviolabilis firmitas, quamquam non eadem perfectissimaque mensura ad singula, ad omnia tamen vera coniugia pertinet: nam illud Domini: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, cum de protoparentum conubio, cuiusvis futuri coniugii prototypo, dictum sit, ad omnia prorsus vera matrimonia spectare necesse est. Quamquam igitur ante Christum illa primaevae legis sublimitas et severitas adeo temperata est, ut Moyses ipsius populi Dei civibus ad duritiam cordis eorum libellum repudii certis de causis dare permiserit; Christus tamen pro sua supremi legislatoris potestate hanc maioris licentiae permissionem revocavit et primaevam in integrum restituit legem per illa verba nunquam oblivioni danda: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quare sapientissime fel. rec. Pius VI decessor Noster ad Agriensem Episcopum rescribens: « Quo manifesto patet, inquit, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet Sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio,

siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur ut reapse sit verum matrimonium, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque matrimonium non est, sed illicita coniunctio divinae legi ex obiecto repugnans; quae proinde nec iniri potest nec retineri. » (Pius VI, *Rescript. ad Episc. Agriens.*, 11 Iul. 1789.)

l) Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut in quibusdam coniugiis naturalibus solum inter infideles initis vel, si inter christifideles, ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed ex iure divino, cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in matrimonium christianum ratum atque consummatum. In eo enim, quemadmodum maritale foedus plene perficitur, ita maxima quoque ex Dei voluntate firmitas atque indissolubilitas, nulla hominum auctoritate relaxanda, elucet.

m) Huius autem divinae voluntatis intimam rationem si reverenter investigare velimus, Venerabiles Fratres, facile eam inveniemus in mystica christiani conubii significatione, quae in consummato inter fideles matrimonio plene perfecteque habetur. Teste enim Apostolo, in sua (quam ab initio innuimus) ad Ephesios epistola (*Ephes.* v. 32), christianorum conubium perfectissimam illam refert coniunctionem, quae Christum inter et Ecclesiam intercedit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*: quae quidem coniunctio, quamdiu Christus vivet et Ecclesia per ipsum, nulla profecto separatione unquam dissolvi poterit ..

n) Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, eum fugere non potest qui vel obiter cogitet sive de coniugum prolisque bono sive de humanae societatis salute. Et primum quidem coniuges in hac firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere exigit, cum vera caritas finem nesciat. (*I Cor.* XIII, 8.) Firmum praeterea adstruitur fidae castitati propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiciantur; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec

cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale inisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora toti humanae consortioni oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris. Quapropter, cum de privato coniugum et prolis, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt.

o) Verum hoc sacramenti bono, praeter indissolubilem firmitatem, multo etiam celsiora emolumenta continentur, per ipsam *Sacramenti* vocem aptissime designata; christianis enim hoc non inane et vacuum est nomen, cum Christus Dominus « Sacramentorum institutor atque perfector » (*Conc. Trident.* sess. XXIV), suorum fidelium matrimonium ad verum et proprium Novae Legis Sacramentum provehendo, illud re vera effecerit peculiaris illius interioris gratiae signum et fontem, qua eius « naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret » (*Conc. Trident.* sess. XXIV).

Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum signum gratiae constituit, ratio Sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, « quin sit eo ipso Sacramentum » (*Cod. iur. can.* c. 1012).

Cum igitur sincero animo fideles talem consensum praestant, aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda.

Hoc enim Sacramentum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique iis concedit ad actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigent...

p) Si autem, faciendo quod in se est, ad gratiam se dociles praebeant, sui status onera ferre atque officia implere poterunt eruntque tanto

Sacramento roborati et sanctificati et quasi consecrati. Nam, ut Sanctus Augustinus docet, sicut per Baptismum et Ordinem homo deputatur et iuvatur sive ad vitam christiano more degendam sive ad sacerdotale munus gerendum, eorumque sacramentali auxilio nunquam destituitur, eodem fere modo (quamquam non per characterem sacramentalem), fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius sacramentali adiutorio ac ligamine privari nunquam possunt. Quin immo, ut addit idem Sanctus Doctor, vinculum illud sacrum, etiam adulteri facti, secum trahunt, quamquam non iam ad gratiae gloriam, sed ad noxam criminis...

De erroribus circa matrimonium ipsum.

q) Ut igitur ab horum malorum fontibus incipiamus, praecipua eorum radix in eo est quod matrimonium non ab Auctore naturae institutum neque a Christo Domino in veri Sacramenti dignitatem evectum, sed ab hominibus inventum vocitent. In natura ipsa eiusque legibus alii se nihil matrimonii invenisse asseverant, sed deprehendisse tantum procreandae vitae facultatem ad eamque quoquo pacto satiandam impulsum vehementem; alii tamen initia quaedam ac veluti germina veri conubii in hominis natura inveniri agnoscunt, quatenus, nisi stabili quodam vinculo consocientur homines, dignitati coniugum et naturali prolis propagandae et educandae fini bene provisum non esset. Nihilominus hi quoque docent matrimonium ipsum, quippe quod illa germina excedat, variis concurrentibus causis, sola hominum mente inventum, sola hominum voluntate esse institutum.

Quanto opere autem hi omnes errent quamque turpiter ab honestate deflectant, iam ex his constat quae de origine ac natura coniugii, de finibus bonisque in eo insitis Nostris his Litteris exposuimus. Perniciosissima vero haec commenta esse, ex consectariis etiam elucet, quae ipsi illorum defensores inde deducunt: leges, instituta ac mores quibus conubium regatur, cum sola hominum voluntate sint parta, ei soli subesse, ideoque pro humano lubitu et humanarum rerum vicissitudinibus condi, immutari, abrogari et posse et debere; generativam autem vim, quippe quae in ipsa natura nitatur, et sacratiorem esse et latius patere quam matrimonium: exerceri igitur posse tam extra quam intra conubii claustra, etiam neglectis matrimonii finibus, quasi scilicet impudicae mulieris licentia eisdem fere gaudeat iuribus, quibus legitimae uxoris casta maternitas.

Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt: aliud *ad tempus*, aliud *ad experimentum*, aliud *amicale*

quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint.

Immo non desunt qui velint et instent ut etiam legibus huiusmodi portenta probentur aut saltem publicis populorum usibus institutisque excusentur, et ne suspicari quidem videntur talia nihil sane habere recentioris *culturae* de qua tantopere gloriantur, sed nefandas esse corruptelas, quae ad barbaros quarumdam ferarum gentium usus etiam cultas nationes procul dubio redigerent.

Errores circa prolem vitandam.

r) Sed, ut ad singula iam, Venerabiles Fratres, tractanda, accedamus, quae singulis matrimonii bonis opponuntur, primum de prole sit sermo, quam multi molestum conubii onus vocare audent, quamque a coniugibus, non per honestam continentiam (etiam in matrimonio, utroque consentiente coniuge, permissam) sed vitiando naturae actum, studiose arcendam praecipiunt. Quam quidem facinorosam licentiam alii sibi vindicant, quod prolis pertaesi solam sine onere voluptatem explere cupiunt, alii quod dicunt se neque continentiam servare, neque ob suas vel matris vel rei familiaris difficultates prolem admittere posse.

At nulla profecto ratio, ne gravissima quidem, efficere potest, ut quod intrinsece est contra naturam, id cum natura congruens et honestum fiat. Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur.

Quare mirum non est, ipsas quoque Sacras Litteras testari Divinam Maiestatem summo prosequi odio hoc nefandum facinus illudque interdum morte puniisse, ut memorat Sanctus Augustinus : « Illicite namque et turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onan, filius Iudae, et occidit illum propter hoc Deus. » (S. August., *De coniug. adult.* l. II, n. 12; cf. *Gen.* xxxviii, 8-10; S. Poenitent., 3 April., 3 Iun. 1916.)

Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque umquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum extollit vocem

atque denuo promulgat : quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari...

s) Optime etiam novit Sancta Ecclesia, non raro alterum ex coniugibus pati potius quam patrare peccatum, cum ob gravem omnino causam perversionem recti ordinis permittit, quam ipse non vult, eumque ideo sine culpa esse, modo etiam tunc caritatis legem meminerit et alterum a peccando arcere et removere ne negligat. Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorundam defectuum causas nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio.

Vehementer item Nos percellunt illorum coniugum gemitus, qui, dura egestate oppressi, gravissimam in alendis liberis difficultatem patiuntur.

At cavendum omnino est ne funestae externarum rerum conditiones multo funestiori errori occasionem praebeant. Nullae enim exsurgere possunt difficultates quae mandatorum Dei, actus ex interiore natura sua malos, vetantium, obligationi derogare queant; in omnibus vero rerum adiunctis semper possunt coniuges, gratia Dei roborati, suo munere fideliter fungi et castitatem a turpi hac macula illibatam in coniugio conservare...

Errores circa prolem in sinu matris necandam.

t) Sed aliud, etiam, Venerabiles Fratres, gravissimum commemorandum est facinus, quo vita prolis, in sinu materno reconditae, attentatur. Id autem permissum volunt alii et matris patrisve beneplacito relictum; alii tamen illicitum dicunt, nisi pergraves accedant causae, quas medicae, socialis, eugenicae *indicationis* nomine appellant. Hi omnes quod ad poenales reipublicae leges attinet, quibus genitae necdum natae prolis peremptio prohibetur, exigunt, ut quam singuli, alii aliam, defendant *indicationem*, eandem etiam leges publicae agnoscant et ab omni poena liberam declarent. Immo nec desunt qui postulent, ut ad has letiferas sectiones magistratus publici praebeant auxiliatrices manus; id quod, proh dolor! alicubi quam frequentissime fieri omnibus notum est.

Quod vero attinet ad « indicationem medicam et therapeuticam » — ut eorum verbis utamur — iam diximus, Venerabiles Fratres, quantopere Nos misereat matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitatis, immo ipsius vitae pericula : at quae possit umquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae : *Non occides!* (*Exod.* xx, 13; cf. Decr. S. Offic. 4 Maii 1898, 24 Iulii 1895, 31 Maii 1884.) Res enim neque sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse unquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet; neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet ?) ; neque ullum adest « extremae necessitatis ius » quod vocant, quodque usque ad innocentis directam occisionem pervenire possit. In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi exportique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur...

u) Quae autem afferuntur pro sociali et eugenica *indicatione*, licitis honestisque modis et intra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus, quibus eae innituntur, per occisionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato : *Non esse facienda mala ut eveniant bona.* (*Cf. Rom.* III, 8.)

Iis denique, qui apud nationes principatum tenent feruntve leges, oblivioni dare non licet auctoritatis publicae esse, congruis legibus poenisque, innocentium vitam defendere, idque eo magis, quo minus ii, quorum vita periclitatur et impugnatur, se ipsi defendere valent, inter quos primum sane locum tenent infantes in visceribus maternis abditi. Quod si publici magistratus parvulos illos non solum non tueantur, sed, legibus suisque ordinationibus, permittant atque adeo tradant medicorum aliorumve manibus occidendos, meminerint Deum iudicem esse et vindicem sanguinis innocentis, qui de terra clamat ad caelum. (*Cf. Gen.* IV, 10.)

Reprobatur denique oportet perniciosus ille usus qui proxime quidem naturale hominis ius ad matrimonium ineundum spectat, sed ad prolis quoque bonum vera quadam ratione pertinet. Sunt enim qui, de finibus *eugenicis* nimium solliciti, non solum salubria quaedam dent consilia ad futurae prolis valetudinem ac robur tutius procurandum — quod rectae rationi utique contrarium non est — sed cuilibet alii etiam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponant, et coniugio auctoritate

publica prohiberi velint eos omnes ex quibus, secundum disciplinae suae normas et coniecturas, propter hereditariam transmissionem, mancam vitiosamque prolem generatum iri censent, etiamsi iidem sint ad matrimonium ineundum per se apti. Quin immo naturali illa facultate, ex lege, eos, vel invitos, medicorum opera privari volunt; neque id ad cruentam sceleris commissi poenam publica auctoritate repetendam, vel ad futura reorum crimina praecavenda, sed contra omne ius et fas ea magistratibus civilibus arrogata facultate, quam numquam habuerunt nec legitime habere possunt.

Quicumque ita agunt, perperam dant oblivioni sanctiorem esse familiam Statu, hominesque in primis non terrae et tempori, sed caelo et aeternitati generari. Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroqui capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem conicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est.

Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec *eugenicis* nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet Sanctus Thomas Aquinas, cum, inquirens num humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam alia mala, sed iure meritoque negat quod ad corporis laesionem ; « Numquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur, vel mutiletur vel verberetur. » (*Summ. theol.* IIa-IIae, q. CVIII a. 4 ad 2.)

Ceterum, quod ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat.

Errores circa fidem mutuam coniugum.

v) Iam ut ad alterum caput errorum, quod fidem coniugii respicit, veniamus, quidcumque in prolem peccatur, consequens est in fidem quoque coniugii peccari quodammodo, cum alterum alteri sit conexum matrimonii bonum. At totidem praeterea contra coniugii fidem singillatim enumeranda sunt errorum et corruptelarum capita, quod eadem fides complectitur domesticas virtutes : castam scilicet utriusque coniu-

gis fidelitatem, uxoris honestam viro obtemperationem, firmam denique germanamque inter utramque caritatem.

Fidelitatem igitur primo corrumpunt, qui huius temporis opinionibus ac moribus de falsa quadam nec innocua amicitia cum extraneis indulgendum putant, et maiorem quandam in mutuis hisce rationibus sentiendi atque agendi licentiam coniugibus concedendam esse asserunt, idque eo magis quod (ut autumant) non pauci habeant congenitam indolem sexualem, cui intra angustos conubii monogamici limites satisfacere non possint. Quapropter honestorum coniugum rigidum illum animi habitum, qui omnem cum extraneis libidinosum affectum et actum damnat et recusat, obsoletam quandam esse censent mentis animique debilitatem, aut abiectam et vilem obtrectationem seu zelotypiam; et ideo, quaecumque de fide coniugali retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas.

Nobilis quidem castorum coniugum animus commenta haec, vel sola natura duce, ut vana et turpia respuit profecto atque contemnit; et hanc naturae vocem approbat sane atque confirmat cum Dei mandatum : *Non moechaberis* (*Exod.* xx, 14), tum illud Christi : *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* (*Matth.* v, 28.) Nullae autem humanae consuetudines vel exempla prava, nullaque progressae humanitatis species poterunt unquam huius divini praecepti vim infirmare. Nam quemadmodum unus idemque *Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula* (*Hebr.* xiii, 8), ita una eademque Christi doctrina permanet, ex qua ne unus quidem apex praeteribit, donec omnia fiant. (Cf. *Matth.* v, 18.)

De « mulieris emancipatione. »

Quicumque vero nuptialis fidei et castimoniae nitorem scribendo dicendoque obscurant, iidem errorum magistri fidam honestamque mulieris viro obtemperationem facile labefactant. Audacius etiam complures ex iis indignam illam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutiunt; aequalia inter coniuges omnia esse iura; quae cum unius servitute violentur, quandam mulieris *emancipationem* superbissime praedicant peractam esse vel peragendam. Hanc autem triplicem, sive in domestica societate regenda, sive in re familiari administranda, sive in prolis vita arcenda vel perimenda, statuunt, et *socialem, oeconomicam, physiologicam* vocant : physiologicam quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus, sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut solvendas volunt (hanc autem non emancipationem, sed nequam facinus esse iam satis diximus); oeconomicam vero, qua volunt

mulierem, etiam inscio et repugnante viro libere posse sua sibi negotia habere, gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis; socialem denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiisque etiam publicis addicatur.

x) At ne haec quidem est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christianae nobilisque mulieris et uxoris muneri debetur; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem (sin minus specie, re tamen vera) redigetur, fietque, up apud ethnicos erat, merum viri instrumentum.

Aequalitas autem illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita; in iisque profecto uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in ceteris, inaequalitas quaedam et temperatio adesse debet, quam familiae bonum ac debita domesticae societatis et ordinis unitas firmitasque postulant.

Sicubi tamen sociales et oeconomicae condiciones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debent, auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare, habita quidem ratione eorum, quae exigunt diversa sexus feminei indoles naturalis, morum honestas, commune familiae bonum, modo etiam essentialis ordo societatis domesticae incolumis maneat, qui altiore quam humana, id est, divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest.

Sed ulterius etiam progrediuntur recentiores coniugii osores, eo quod germano solidoque amori, coniugalis felicitatis et intimae dulcedinis fundamento, caecam quandam sufficiunt indolis convenientiam consensionemque ingenii, quam sympathiam vocant, qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo iunguntur animi, ac plene dissolvi. Quid hoc erit aliud nisi domum super arenam aedificare? Quam, cum primum obiecta fuerit adversitatum fluctibus, ait Christus Dominus labefactandam esse continuo et collapsuram : *Et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina illius magna.* (*Matth.* vii, 27.) At contra, quae supra petram constituta fuerit domus,

mutua nempe inter coniuges caritate, et deliberata ac constanti animorum coniunctione solidata, nulla concutietur adversitate, nedum evertatur.

Errores circa sacramentum : matrimonium civile.

γ) Praestantissima quidem hactenus duo priora christiani coniugii bona vindicavimus, Venerabiles Fratres, quibus hodierni societatis eversores insidiantur. Sed sicut haec bona tertium, quod *sacramenti* est, longe antecellit, ita nil mirum quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari. Et primum quidem tradunt, matrimonium rem esse omnino profanam mereque civilem, nec ullo modo religiosae societati, Ecclesiae Christi, sed uni societati civili committendam; tum vero addunt a quovis indissolubili vinculo nuptiale foedus esse liberandum, coniugum secessionibus seu divortiis non modo toleratis, sed lege sancitis; ex quo denique fiet ut, omni spoliatum sanctitate, coniugium in rerum profanarum ac civilium numero iaceat.

Primum illud in eo statuunt, quod actus ipse civilis sit pro vero contractu nuptiali habendus (*matrimonium civile* id vocitant); actus religiosus autem sit additum quiddam, vel ad summum, plebi superstitiosiori permittendum. Deinde, sine ulla reprehensione volunt ut liceat conubia a catholicis hominibus cum acatholicis misceri, nulla religionis habita ratione neque quaesito religiosae auctoritatis consensu. Alterum, quod sequitur, in perfectis divortiis excusandis ponitur, et in legibus iis civilibus laudandis ac provehendis, quae ipsius vinculi solutioni favent.

Quod ad religiosam cuiusvis coniugii et multo magis christiani matrimonii et sacramenti indolem attinet, cum quae de hac re notanda sunt, Leonis XIII Litteris Encyclicis, quas saepe commemoravimus quasque Nostras quoque diserte iam fecimus, fusius tractentur gravibusque fulciantur argumentis, ad eas hinc remittimus nec nisi perpauca nunc Nobis repetenda ducimus.

Vel solo rationis lumine, maxime si vetusta historiae monumenta investigentur, si constans populorum conscientia interrogetur, si omnium gentium instituta et mores consulantur, satis constat sacrum quiddam ac religiosum inesse in ipso naturali coniugio, « non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum », cum « habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio » (Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880). Consurgit enim sacra coniugii ratio, quae intime cum religione et sacrarum rerum ordine coniuncta est, cum ex origine illa divina, quam supra commemoravimus, tum ex fine ad ingenerandam educandamque Deo subolem, ac Deo item coniuges christiano

amore mutuoque adiumento addicendos; tum denique ex eiusdem naturali coniugii officio, providentissima Dei Conditoris mente instituto, ut quoddam sit transvehendae vitae quasi vehiculum, quo parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt. Ad haec accedit nova dignitatis ratio ex Sacramento petita, qua matrimonium christianorum evasit longe nobilissimum atque ad tantam excellentiam provectum, ut *mysterium magnum, honorabile... in omnibus*, apparuerit Apostolo. (Cf. *Ephes.* v, 32; *Hebr.* xiii, 4.)

Quae religiosa matrimonii indoles, celsaque eius gratiae et coniunctionis Christum inter et Ecclesiam significatio, sanctam ab sponsis postulat erga christianum conubium reverentiam sanctumque studium, ut matrimonium quod ipsi inituri sunt, ad archetypum illud ipsum quam proxime accedat.

Alius abusus : matrimonia mixta.

ε) At multum in hoc deficiunt, et aliquando non sine salutis aeternae periculo, qui temere mixtas ineunt nuptias, a quibus maternus Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos, quemadmodum ex multis apparet documentis, illo Codicis canone comprehensis, qui haec decernit : « Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur. » (*Cod. iur. can.*, c. 1060.) Quod si Ecclesia interdum, pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus his praescriptis (salvo iure divino, et per opportunas cautiones remoto, quantum fieri potest, perversionis periculo) dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnihil detrimenti ex istis nuptiis non capiat.

Unde in prognatos haud raro derivatur lugenda a religione defectio vel saltem praeceps decursus in religiosam illam negligentiam seu, quam vocant, indifferentiam, infidelitati impietatique proximam. Illud etiam accedit quod in mixtis nuptiis multo difficilior redditur viva illa animorum conformatio, mysterium, quod diximus, arcanam nimirum Ecclesiae cum Christo coniunctionem, imitatura.

Facile enim deficiet arctior animorum communio, quae sicuti est Ecclesiae Christi signum et nota, ita christiani coniugii signum sit oportet, decus et ornamentum. Nam distrahi solet aut saltem relaxari animorum vinculum, ubi in rebus ultimis et summis, quas homo veneratur, idest in religionis veritatibus et sensibus, dissimilitudo mentium habetur et voluntatum intercedit diversitas. Ex quo periculum est, ne

langueat inter coniuges caritas, itemque labefactetur domesticae societatis pax et felicitas, quae ex cordium potissimum unitate proficiscitur. Nam, ut iam ante tot saecula antiquum Ius Romanum definierat: « Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio. » (MODESTINUS [in Dig., l. XXIII, II: *De ritu nuptiarum*], l. I, Regularum.)

Damnatur divortium.

aa) At maxime, ut iam monuimus, Venerabiles Fratres, restitutionem istam perfectionemque matrimonii a Christo Redemptore statutam augescens in dies divortiorum facilitas impedit. Quin immo neopaganismi fautores, tristi rerum usu nihil edocti, in sacram coniugii indissolubilitatem, legesque eam iuvantes, acrius in dies invehi pergunt, ac licere divortia decernendum esse contendunt, ut alia scilicet, eaque humanior, lex obsoletis legibus sufficiatur.

Divortiorum autem causas ii quidem multas in medium proferunt et varias; e personarum vitio seu culpa alias profectas, alias in rebus positas (subiectivas illas, has obiectivas appellant); quaecumque denique individuam vitae societatem asperiorem efficiunt atque ingratam. Has porro causas ac leges multiplici ex capite probari volunt: ex utriusque bono coniugis in primis, sive alter innocens est atque a reo propterea secedendi suo iure gaudens, sive sceleribus obnoxius, eaque de causa ab ingrata et coacta coniunctione seiungendus; deinde e bono prolis, quae recta institutione destituitur vel eiusdem fructus amittit, cum nimis facile, e parentum discordiis aliisque male factis offensionem passa, a virtutis via abstrahatur; denique ex communi bono societatis, quod postulet, primo ut ea matrimonia exstinguantur penitus, quae iam nihil valeant ad id assequendum quod natura spectat; dein ut coniugibus discedendi potestas fiat lege, cum ut avertantur crimina quae ex eorumdem coniugum convictu vel consociatione facile essent pertimescenda, tum ne magis in dies ludibrio habeatur iudiciale forum et legum auctoritas, eo quod coniuges, ad exoptatam divortii sententiam impetrandam, aut crimina, ob quae iudex ad normam legis solvere valeat vinculum, consulto committant, aut eadem se commisisse, coram iudice, licet rerum condicionem clare ipse perspiciat, insolenter mentiantur atque peierent. Quamobrem blaterant, leges omnibus his necessitatibus, mutatisque temporum condicionibus, hominum opinionibus, civitatum institutis ac moribus esse omnino conformandas: quae vel singula, maxime vero omnia in unum collecta, facultatem divortiorum certis de causis concedendam prorsus esse luculentissime testentur.

Alii, ulterius mira procacitate progressi, matrimonium utpote contractum mere privatum, consensui item arbitrioque privato utriusque contrahentis, ut fit in ceteris privatis contractibus, prorsus esse relinquendum opinantur, quavis propterea de causa dissolvendum.

Verum, contra has quoque insanias omnes stat, Venerabiles Fratres, una lex Dei certissima, a Christo amplissime confirmata, nullis hominum decretis vel scitis populorum, nulla legumlatorum voluntate debilitanda: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* (*Matth.* XIX, 6.) Quod quidem si iniuria homo separaverit, irritum id prorsus fuerit; iure propterea, ut plus semel vidimus, Christus ipse asseveravit: *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* (*Luc.* XVI, 18.) Et haec Christi verba quodcumque respiciunt matrimonium, etiam naturale tantum et legitimum; omni enim vero matrimonio convenit illa indissolubilitas, qua illud partium beneplacito et omni saeculari potestati, ad vinculi solutionem quod pertinet, est omnino subtractum.

Memoria item renovanda est sollemnis iudicii, quo Concilium Tridentinum sub poena anathematis haec reprobavit... (*Concil. Trid.*, sess. XXIV, c. 7.)

Quod si non erravit neque errat Ecclesia, cum haec docuit et docet, ideoque certum omnino est matrimonii vinculum ne ob adulterium quidem dissolvi posse, in comperto est reliquas tanto debiliores, quae afferri solent, divortiorum causas multo minus valere nihilique prorsus esse faciendas.

Ceterum quae supra contra vinculi firmitatem e triplici illo capite obiiciunt, ea facile dissolvuntur. Incommoda enim illa omnia arcentur ac pericula propulsantur, si quando, in extremis illis adiunctis, discessio permittatur coniugum imperfecta, id est incolumi atque integro vinculo, quam lex ipsa Ecclesiae concedit claris canonum verbis, quae de separatione tori et mensae et habitationis decernunt. (*Cod. iur. can.* c. 1128 sq.) Iam secessionis huiusmodi causas, conditiones, modum simul et cautelas, quibus et liberorum institutioni et familiae incolumitati fiat satis, atque incommoda item omnia, sive ea coniugi, sive proli, sive ipsi civili communitati impendent, quoad poterit, praecaveantur, legum erit sacrarum statuere, et ex parte saltem, etiam civilium legum, pro civilibus scilicet rationibus atque effectibus.

Quaecumque autem ad firmitatem coniugii indissolubilem asserendam afferri solent et supra attigimus, constat eadem eodemque iure valere sive ad necessitatem facultatemque divortiorum excludendam, sive ad potestatem ea concedendi cuilibet magistratui negandam; quot item pro priore illa stant praeclara emolumenta, totidem contra apparent in altera parte detrimenta, cum singulis tum universae hominum societati perniciosissima.

Atque, ut iterum sententiam decessoris Nostri afferamus, quantam materiam bonorum in se coniugii indissolubilis firmitas continent, tantam malorum segetem divortia complecti, vix attinet dicere. Hinc videlicet, incolumi vinculo, tuta ac secura matrimonia conspicimus, illinc, coniugum secessionibus propositis vel ipsis divortiorum periculis obiectis, ipsa foedera nuptialia mutabilia aut certe anxiis obnoxia fieri suspicionibus. Hinc mutua benevolentia consociatioque bonorum confirmata mirifice; illinc, ex ipsa secessionis facta potestate, extenuata miserrime. Hinc coniugum castae fidei addita peropportuna praesidia; illinc infidelitati perniciosa incitamenta suppeditata. Hinc liberorum susceptio tuitio, educatio provecta efficaciter; illinc gravioribus usque detrimentis affecta. Hinc inter familias cognatosque discordiis multiplex praeclusus aditus; illinc discordiarum occasio oblata frequentius. Hinc facilius oppressa, illinc iacta copiosius multoque latius semina simultatum. Hinc potissimum dignitas officiumque mulierum, in societate sive domestica sive civili, redintegrata feliciter ac restituta; illinc indigne depressa, siquidem in periculum coniciuntur uxores « ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. » (Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.).

PARS OCTAVA

De Novissimis.

(*De statu animarum post mortem, de resurrectione, de Christo iudice vivorum et mortuorum, de caelo, de purgatorio et inferno.*)

I

DOCUMENTA ANTIQUIORA

(*S. I-XIV, ad Constitutionem* BENEDICTI XII).

1436. a) APOSTOLICUM: Καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. — b) NICAENUM (325) (I. X.) καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. — c) EPIPHANII *fides longior* (375): ἐρχόμενον ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος·... πιστεύομεν... καὶ εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ κρίσιν δικαίαν ψυχῶν καὶ σωμάτων, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον... καὶ πάλιν ἀναθεματίζομεν τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ πάσας τὰς αἱρέσεις τὰς μὴ ἐκ ταύτης τῆς ὀρθῆς πίστεως οὔσας. — d) *Symbolum C P (IV saec.)*: καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος ... Προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

1436. a) Credo... sanctorum communionem... carnis resurrectionem, vitam aeternam. — b) Venturus iudicare vivos et mortuos. — c) Et cum eodem corpore venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis... Credimus,... et in resurrectionem mortuorum ac iustum animarum corporumque iudicium et in regnum caelorum et in vitam aeternam... Condemnamus etiam illos qui mortuorum resurrectionem minime confitentur necnon et haereses omnes quae huic sanctae fidei minime consentaneae sunt. — d) Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis... Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen

1437. Damasus, *in Confessione fidei (ante 384)* : 15. Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est iudicare vivos et mortuos, A. S.

1438. Toletanum I *(Pastoris libellus s. V.)* : Resurrectionem vero futuram manere credimus omnis carnis... 10. Si quis dixerit vel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, A. S.[1]

1439. *Quicumque (saec. VI) : Praeter ea quae iam n. 177 relata sunt* : Sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos; ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem, et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.

1440. *Statuta Ecclesiae antiqua (saec. VI)* : (Christus) resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae resumptione in qua veniet iudicare vivos et mortuos. Quaerendum etiam ab eo [qui episcopus ordinandus est] si credat huius quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his quae in hac carne gesserunt vel poenas vel gloriam.

1441. Pelagii I *fides (556-557)* : Quem credo et confiteor secundum testificationem angelorum, sicut ascendit in caelos ita venturum iudicare vivos et mortuos. Omnes enim homines ab Adam usque ad consummationem saeculi natos et mortuos, cum ipso Adam eiusque uxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, et adstare ante tribunal Christi, *ut recipiat unusquisque propria corporis prout gessit sive bona, sive mala* (II Cor. v, 10), et iustos quidem per largissimam gratiam Dei, utpote vasa misericordiae in gloriam praeparata, aeternae vitae praemiis donaturum, in societate videlicet angelorum, absque ullo iam lapsus sui metu, sine fine victuros; iniquos autem arbitrio voluntatis propriae, vasa irae apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnoverunt, aut cognitam diversis capti praevaricationibus reliquerunt, in poenis aeterni atque inextinguibilis ignis, ut sine fine ardeant, iustissimo iudicio traditurum.

1442. Bracarense *(563)* : 12. Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S.

---

1. *De resurrectione* lege Gelasium I, *in Tomo adversus Pelagianos*, n. 20-26, PL 59, 132-137; Thiel 592-98; Coll. Avellana, n. 70-89, p. 428-30.

1443. *Fides* Gregorii I Magni *(c. 590)* : Sedet ad dexteram Patris unde venturus est iudicare vivos et mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus sanctis perpetua praemia regni caelestis, iniquis autem supplicia ignis aeterni, innovaturus saeculum per ignem.

1444. Toletanum IV *(633)* : Venturus est in futuro ad iudicium vivorum et mortuorum, cuius morte et sanguine mundati, remissionem peccatorum consecuti sumus, resuscitandi ab eo in die novissima in ea qua nunc vivimus carne et in ea qua resurrexit idem Dominus forma, et percepturi ab ipso alii pro iustitiae meritis vitam aeternam, alii pro peccatis supplicii aeterni sententiam. *Eadem habet* Arelatense VI, *a.* 813.

1445. Toletanum VI *(638)* : Cuius resurrectione sumus resuscitati, quem etiam venturum in fine exspectamus saeculorum cum resurrectione omnium, aequissimo suo iudicio redditurum iustis praemia et impiis poenas.

1446. Toletanum XI *(675)* : Virtute propria sua suscitatus e sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur vera fide (*al.* veram fieri) resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aërea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) surrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus et movemur. Illic ad dexteram Patris sedens, exspectatur in finem saeculorum iudex omnium vivorum et mortuorum. Inde cum sanctis Angelis et hominibus veniet ad faciendum iudicium, reddere unicuique mercedis propriae debitum, *prout quisque gesserit* in corpore positus *sive bonum, sive malum* (II Cor. v, 10). Ecclesiam sanctam catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Sub qua fide et resurrectionem mortuorum veraciter credimus et futuri saeculi gaudia exspectamus. Hoc tantum orandum nobis est et petendum, ut, cum peracto finitoque iudicio tradiderit Filius regnum Deo Patri, participes nos efficiat regni sui, ut per hanc fidem, qua illi inhaesimus, cum illo sine fine regnemus. — Haec est confessionis nostrae fides exposita... per quam etiam ad Deum gloriose ascenditur in saecula saeculorum. Amen.

1447. Romanum *(680)* : Iterumque venturum iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

1448. Foroiuliense *(791)* : In eadem (natura humana) iterum venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem, redditurus unicuique secundum opera sua impiis utique supplicium sempiternum, iustis vero vitam aeternam.

1449. Leonis III *fides (809)* : Inde iam venturus iudicare vivos et

mortuos, quem impii iudicantem videbunt in ea forma qua crucifixus est, non in ea humilitate qua iniuste iudicatus est sed in ea claritate, qua iuste iudicaturus est mundum cuius maiestatis visio aeterna est omnium sanctorum beatitudo.

1450. Nicephori CP *fides (811)* : Πιστεύω καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν ἡνίκα ἡ τοῦ κόσμου μεταστοιχείωσις γίνηται, ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν ἐνδύσηται ἀθανασίαν καὶ τὸ φθαρτὸν ἀφθαρσίαν περιβάληται.

1451. Leonis IX *fides (1053)* : Inde, sicut ascendit, venturum iudicare vivos et mortuos et redditurum unicuique secundum opera sua.. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis quam nunc gesto et vitam aeternam.

1452. **Abaelardi** *errores* (Senonense *1141*) : 15. Quod etiam castus timor excludatur a futura vita. — 17. Quod adventus in fine saeculi possit attribui Patri.

1453. *Fides pro* **Waldensibus** (Innocentius III, *1208*) : Et in eadem (carne) venturus est iudicare vivos et mortuos... Corde credimus et oro confitemur huius carnis quam gestamus et non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum et singulos pro iis quae in hac carne gesserunt recepturos vel poenas vel praemia, firmiter credimus et affirmamus. Eleemosynas, sacrificium ceteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus.

1454. Lateranense IV *oec. XII (1215)*, cap. I de fide catholica : Venturus in fine saeculi, iudicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis : qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam et isti cum Christo gloriam sempiternam.

1454 bis. Innocentius IV *in ep.* Sub catholicae *episc. Tusculano, 6 mart. 1254* :

23. Denique cum veritas in Evangelio asserat, quod *si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc saeculo, neque in futuro dimittetur ei* [Mt 12, 32]; per quod datur intelligi quasdam culpas in praesenti, quasdam vero in futuro saeculo relaxari, et Apostolus dicat, quod « *uniuscuiusque opus, quale sit ignis probabit* » et « *cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem* » [1 Cor 3, 13, 15], et ipsi Graeci vere ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui, suscepta paenitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen et minutis decedunt, purgari post mortem, et posse suffragiis Ecclesiae adiuvari : Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo et proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones et auctoritates Sanctorum Patrum, Purgatorium nominantes, volumus, quod de cetero apud ipsos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quae prius per paenitentiam non fuere remissa, sed parva et minuta purgantur, quae post mortem etiam gravant, si in vita fuerunt relaxata.

24. Si quis autem absque paenitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio aeternae gehennae ardoribus perpetuo cruciatur. — 25. Animae vero parvulorum post Baptismi lavacrum, et adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam pro i-nus transvolant sempiternam.

1455. *Fides* **Michaelis Palaeologi** *(1274)* : Inde venturum iudicare vivos et mortuos et redditurum unicuique secundum opera sua sive bona fuerint sive mala... Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis quam nunc gestamus et vitam aeternam... Quod si vere paenitentes in caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis, sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari : et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in caelum recipi.

1450. Credo postquam mundus hic fuerit innovatus et quodammodo transelementatus et carnis quoque resurrectionem futuram quo nimirum nostrum hoc mortale induat immortalitatem et corruptibile incorruptionem.

Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit et firmiter asseverat, quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

1456. *Haec eadem habet usque ad* puniendas, **Decretum unionis Graecorum,** *in* FLORENTINO (*1439*), *paucis mutatis. Item* si vere... in *Dei* caritate; *om.* seu — explanavit, *scribit* et ut a poenis huiusmodi releventur, — illorumque animas; *om.* secrum, manentes; *addit post* exutae : corporibus; *scribit* in caelum mox recipi. *Hic addit ex* BENEDICTO XII (*Infra n. 1458*) : et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; *scribit* in *actuali* mort di peccato vel solo, *omisso* cum. *Textum* Decreti pro Graecis *referunt* Fides Graecorum GREGORII XIII (*1575*) *et* Fides Orientalium BENEDICTI XIV (*1743*).

1457. *Errores* **Beguardorum** (CLEMENS V *et* VIENNENSE *1311-12*). 4. Quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata — 5. Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum.

II

BENEDICTI XII

(*Const.* Benedictus Deus[1], *29 ian. 1336*).

1458. **a)** *Controversia :* Sane dudum tempore fel. rec. Ioannis XXII praedecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicae facultatis magistros, super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc saeculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto : an Divinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem et iudicium generale et super nonnullis aliis orta materia quaestionis, ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imaginationes de visione divinae essentiae ab animabus huiusmodi diversa et diversimode ostendere nitebantur... Cumque idem praedecessor noster ad quem praedictorum determinatio pertinebat ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet... tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit.

b) *Definitio :* Defuncto itaque praedecessore praefato nos... hac in perpetuum valitura constitutione auctoritate apostolica definimus : quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, necnon sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae, ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resump-

---

1. Cf. LE BACHELET, BENOIT XII, *Constitution* Benedictus Deus, in DTC, t. II, col. 657-96; documenta controversiae, saec. XIV, apud DENIFLE-CHATELAIN, Chartularium, t. II, 1, n. 970-87.

tionem suorum corporum et iudicium generale post ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum regno et paradiso caelesti cum Christo, sanctorum Angelorum consortio aggregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam, et etiam illorum, qui postea decedent, eandem divinam videbunt essentiam ipsaque perfruentur ante iudicium generale; ac quod huiusmodi divinae essentiae eiusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes; quodque, postquam incohata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione [*al.* intermissione] seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata exstitit et continuabitur usque ad finale iudicium et ex tunc usque in sempiternum.

Definimus insuper, quod, secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam, ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines *ante tribunal Christi* cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* (II Cor., v, 10). Decernentes praedictas nostras diffinitiones seu determinationes et ipsorum singulas ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps praedictarum nostrarum diffinitionum seu determinationum ac singularum ipsarum contrarium scienter et pertinaciter tenere, conferre, praedicare, docere aut defendere verbo vel scripto praesumpserint, contra eum sicut contra haereticum debito modo procedatur.

III

POST CONSTITUTIONEM BENEDICTI XII

A) De statu animae defuncti.

1459. *Error* rosminianus *(1887)* : 23. In statu naturali, anima defuncti exsistit perinde ac non exsisteret : cum non possit ullam super se ipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.

B) De Purgatorio.

1460. *Errores* Lutheri (Leo X, *1520*) : 3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu caeli. — 4. Imperfecta caritas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni. — 37. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quae sit in canone. — 38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes : nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi vel augendae caritatis. — 39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas. — 40. Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur quam si per se satisfecissent.

1461. Lovaniense *(1556), in formula christianae et catholicae fidei* : 34. Firmiter credendum est post hanc vitam purgatorium esse animarum in quo solvitur poena peccatis adhuc debita. Eisdem tamen subvenitur sacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum sicut et indulgentiis, quo citius ab ea liberentur. — 35. Animae defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in caelo

et animae impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis[1].

1462. Tridentinum *(Sessio XXV, 3 dec. 1563)* :

Decretum de purgatorio.

Cum catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit sancta Synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores *quaestiones*, quaeque ad *aedificationem* non faciunt (1 Tim 1, 4), et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quae specie falsi laborant evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae aliaque pietatis opera quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta pie et devote fiant; et quae pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus, et ecclesiae ministris, et aliis qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

In fide Pii IV *(1564)* : Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

1463. Leo XIII, *in ep.* Quod anniversarius, *die Paschalis 1888 occasione iubilaei* : De plenitudine infiniti spiritualis thesauri ad eos quoque dilectos Ecclesiae filios, largius quo fieri possit prodesse cupimus qui morte iustorum obita de militia huius vitae migrarunt cum signo fidei ac mysticae vitis inserti propagini, ita tamen ut prohibeantur ingressu in aeternam requiem usque dum divinae iustitiae ultrici pro

1. Multa alia concilia provincialia, s. XVI, tractant de Purgatorio, ut *Senonense* (1528, M 32, 1173-74); *Moguntinum* (1549, c. 46, M 1416) *Narbonense* (1551, M 1251 c), *Cameracense* (1565 M 33, 1416), etc.

contractis debitis ad minimum reddant quadrantem. Movemur autem tum piis catholicorum votis... tum lacrimabili poenarum quibus defunctorum animae cruciantur atrocitate. , *et infra* : Sic nimirum piae animae, in quibus noxarum reliquiae terribili cruciatuum magnitudine eluuntur, peropportunum ac singulare solatium percipient ex hostia salutari.

C) De inferno.

1464. *Error synodi* **Pistoriensis** (Pius VI, *1794)* :

De poena decedentium cum solo originali.

26. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa, poena damni citra poenam ignis puniantur; perinde ac si hoc ipso, quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani : — falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.

1465. Baltimorense II *(1866) tit. I c. 5 n. 21* : Illorum autem penitus damnamus neotericorum errorem qui divinam praetexentes misericordiam vel poenarum in inferno aeternam denegant durationem, vel adeo earundem mitigant severitatem ut vix atrocitati peccatorum iustissimo Dei iudicio puniendae, idoneae ac dignae videantur ; monemusque catholicos scriptores omnes quatenus in eiusmodi arcanis Dei consiliis pertractandis ab omni speculationis novitate sedulo abstineant, sanaeque doctrinae forma verborum utantur.

1466. *Responsio* S. Paenitent. *30 apr. 1890* : Paenitens se sistit coram confessario et inter alia declarat opinari quod in inferno ignis non sit realis sed metaphoricus, scilicet quod inferni poenae, quaecunque illae sint, sunt vocatae ignis aliquo dicendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad indicandas atrocissimas inferni poenas nulla adest imago aptior ad ideam inferni efformandam. Hinc parochus quaerit an liceat relinquere paenitentes in hac opinione et an liceat eos absolutione donari? Notat autem parochus quod non agitur de opinione alicuius individui sed est opinio generaliter admissa in quodam pago ubi dici solet : infantes solum persuade, si potes, quod sit ignis in inferno — R. Huiusmodi paenitentes diligenter instruendos esse et pertinaces non esse absolvendos.

D) De caelo.

1467. *Propositiones* **rosminianae** *damnatae* (Leo XIII, *1887*). 38. Deus est obiectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum ad extra. — 39. Vestigia sapientiae ac bonitatis, quae in creaturis relucent, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in aeterno exemplari collecta sunt ea Ipsius pars quae ab illis videri possit (che è loro accessibile), ipsaque argumentum praebent laudibus, quas in aeternum Deo Beati concinunt. — 40. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriae, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare, nisi eo modo, qui finitis intelligentiis sit accommodatus : scilicet Deus se illis manifestat, quatenus cum ipsis relationem habet, ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

E) De fine mundi et secundo adventu Christi.

1468. *Error* **Zanini de Solcia** (Pius II, *1459*) : 1. Mundum naturaliter consumi et finire debere, humiditatem terrae et aeris calore solis consumente, ita ut elementa accendantur. — 2. Et omnes christianos salvandos esse.

1469. *Responsio* Comm. Biblicae, *18 ian. 1915* :

De *Parousia*, seu de secundo adventu D. N. I. X. in epistolis sancti Pauli apostoli.

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de « Parousia », ut aiunt, seu de secundo adventu D. N. I. X. sermo est, exegetae catholico permissum sit asserere Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit?

Resp. *Negative.*

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum, quo

omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit.

Resp. *Affirmative.*

III. Utrum attenta locutione graeca « ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι », perpensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tanquam longius petitam et solido fundamento destitutam reicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI, retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat, quin ullo modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae ut Apostolos, seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo?

Resp. *Negative.*

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICUS

additis fontibus et complementis[1].

Symbolum Apostolicum : **611 517 518 639 782-85 1436 524 262*a* 825*a* 1001*c* 1436**.

CLEMENS I 92? - 101?

Post. 92......... Epistola ad Corinthios 1 : **335** 7 : **335** 40-41 : **311** 42 : **389** 57 : **312** 59 : **335** 63 : **335** | J 9 FUNK Patres Apostolici t. 1.

CALLISTUS I 217-22.

217-22......... Edictum de paenitentia ex Tertulliano, *de Pudicitia* c. 1, | J 79 (qui id tribuit Zephirino [199-217], ut solebant ante eum), PL 2 980-1; CV 20 220 : **1245**.

CORNELIUS I 251-3.

251.............. CARTHAGINIENSES Sententia de lapsis reconciliandis, in ep. *Statueramus quidem*, Cornelio, inter ep. Cypriani 57, n. 1, 5 | PL 3 853, 860; CV 2 650-1, 655 : **1246**.

251-2......... Ep. Ἵνα δὲ γνῷς, Fabiano Antiocheno, apud Eusebium HE VI 43, 11 (PG 20. 622; Eusebius Werke II 2 618) | J 106, PL 3 741-44 : **390**.

251-2......... Libellus confessorum schismaticorum, ex Cornelii ep. *Quantam sollicitudinem*, Cypriano, a. 252 (inter cyprianicas 49), n. 2 | J 111; PL 3 721; CV 2 611 : **391**.

STEPHANUS I 254-7.

254.............. Cypriani ep. 68 *Faustinus collega*, Stephano, n. 5 | PL 3 996-8; CV 2. 748 : **1247**

---

1. Numeri characteribus crassioribus descripti sunt numeri *Thesauri*. — Ubi tacetur nomen scriptoris agitur de ipso pontifice cuius nomen in media pagina describitur. Post | indicantur fontes.

Innocentius I 401-417.

404 15 feb. .... Ep. 2 *Etsi tibi* Victricio episc. Rotomagensi n. 11 | J 286 PL 20 475 b : 1038 *a*.

405 20 feb. .... » 6 *Consulenti tibi* Exsuperio Tolos. | J 293 PL 20 n. 5-6 498-9 : 1249 ; 12 500-1 : 1356 ; 13 501-2 : 885, 39 *a*.

407. .... Carthaginiense can. 6 | M III 808 : 1398 (Cod. can. Afr. 102).

410. .... Ctesiphontis Synodus Symbolum | M III 1168 : 631.

414 13 dec. .... Ep. 17 *Magna me* Rufo Thess. n. 11 | J 303 PL 20 533 ab : 1036 *b*.

c. 415. .... » 24 *Et onus* Alexandro Antioch. n. 4 | J 310 PL 20 550-1 : 1036 *c*.

416 19 mart. ..... » 25 *Si instituta* Decentio Eugub. | J 311 PL 20 n. 1-2 551-2 : 341 *a*; 6 554-5 1072; 10 559 1250; 11 559-61 : 1281 1294 1298.

417 27 ian. .... » 29 *In requirendis* episc. Afris | J 321 PL 20 n. 1 582-3 : 341 *b*.

» » .... » 30 *Inter ceteras* episc. Milevitanis | J 322 PL 20 n. 1 590 : 341 *c*.

ann. inc. .... » 37 *Mirari* Felici Nucerino | J 314 PL 20 n. 1 603 : 341 *d*.

» » .... » 41 *Diu mirati* Laurentio Seniensi | J 318 PL 20 607-8 : 428. — Adde 845 cap. 4-7.

Zosimus 417-18.

417 29 sept. ...... Ep. 5 *Multa contra* episc. Vienn. et Narbon. J 334 PL 20 666 : 128.

418 21 mart. ..... » 12 *Quamvis Patrum* episc. Afris | J 342 PL 20 n. 1 676-7 : 342.

» 1 maii. ..... Carthaginiense XVI can. 1-8 | M III 811-6; IV 326-9 (falso Milevitanum): [redacted]

» post 1 maii. Zosimi *Tractoria* | J 343 PL 20 693 b : 844 845 c. 8-9.

Bonifatius I 418-22.

419 19 sept. ...... Ep. 4 *Beatus Apostolus* Rufo Thess. | J 350 PL 20 n. 1 760 : 343 *a*.

422 11 mart. ..... » 13 *Retro maioribus* Rufo Thess. | J 363 PL 20 n. 1-2 775-6 : 343 *b*.

» » » ..... » 14 *Institutio* episc. Thess. | J 364 PL 20 n. 1 777 : 343 c.

» » » ..... » 15 *Manet* Rufo et cett. episc. | J 365 PL 20 n. 1 4 5-6 : 779 a 781 ab 782 ab : 343 *d*.

c. 420. .... Leporii libellus | M IV 522-4, Hahn § 214 : 669-70 659 671-3.

Caelestinus I 422-32.

428 26 iul. .... Ep. 4 *Cuperemus* episc. Vienn. et Narbon. | J 369 PL 50 n. 3 431-2 : 1251.

430 8 maii. ...... » 17 *Cum Deo* Commonitorium pro legatis suis ad Ephesinum | J 378 PL 50 503 a : 344 *a*.

431 22 iun. ...... Ephesinum I oec. III act. 1 Depositio et damnatio Nestorii | M IV 1211-2 cd : 574 *a*.

» 11 iul. .... » act. 3 Philippi legati pontificii oratio | M IV 1295-6 : 344 *b*.

» 22 iul. .... » act. 6 Damnatio symboli cuiusdam nestoriani | M IV 1361-4 : 215 674 *b*.

» post 22 iul... » act. 7 can. 1 et 4 damnatio Pelagianorum et Nestorii | M IV 1471-4 : 237.

» .... Ep. 21 *Apostolici* Venerio et cett. | J 381 PL 50 n. 3 530 a : 124.

Post epistolam istam : Pseudo Caelestinus *Praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum de gratia Dei auctoritates* cap. 3-13, n. 4-15 | PL 50 531-7 : 845. Cf. Portalié : Célestin Ier, lettre contre les semipélagiens et les capitula annexés, in DTC II col. 2052-61 et comment. D. Cappuyns, de S. Prospero, in *Rech. de Th. Anc. et méd.* (1929).

Xystus III 432-40.

433 .... Symbolum unionis | M V 291-2 et 305-6 : 675.

» 17 sept. .... Ep. 6 *Si ecclesiastici* Ioanni Antioch. | J 392 PL 50 n. 5 609 a : 345.

Leo I Magnus 440-461.

s. V. .... Fides Ps. Damasi 633. Cf. Künstle, *Antipriscilliana* 47 sq.

» .... Toletanum I (Libellus Pastoris) | M III 1003-4, Künstle *Antipriscilliana* p. 43-5 : 560 676 782-5 678 1436 644. Canones 1 : 617 2-4 : 560 5. 676 6 : 560 7 : 676 8 34 9 : 617 10 : 1436 11 : 614 12 : 39 13 : 676 14 : 560 15 : 625 16 : 1351 17 : 624 18 : 346 et 1909. Cf. Aldama (1934).

c. 442. .... Ep. 1 *Relatione* episc. Aquileiensi | J 398 PL 54 n. 3. 595 : 346.

444 12 ian. .... » 5 *Omnis admonitio* episc. Illyr. | J 403 PL 54 n. 2 615 b : 347 *a*.

445 21 iul. .... Ep. 9 *Quantum dilectioni* Dioscoro Alex. | J 406 PL 54 n. 1 625 a : 347 *b*.

» iul. .... » 10 *Divinae cultum* episc. Vienn. | J 407 PL 54 n. 1 629 : 347 c.

447 21 oct. .... » 16 *Divinis praeceptis* episc. Siciliae | J 414 PL 54 n. 5 700-1 : 1055.

449 13 iun. .... Ep. 28 *Lectis dilectionis* Flaviano CP seu *Tomus* 423 PL 54 755-80 677-83. De hac et seq., cf. ed. Silva-Tarouca |

» » » .... » 31 *Quantum praesidii* Pulcheriae | J 425 PL 54 n. 4 763 et 794 : 347 *d* c. 144 *a*.

450 mart. .... » 59 *Licet de his* clero et plebi CP | J 447 PL 54 n. 5 871-2 : 687.

451 13 apr. .... » 80 *Gaudemus* Anatolio CP | J 460 PL 54 n. 2 914 : 684

» 23 » .... » 82 *Quamvis per* Marciano imp. | J 462 PL 54 n. 1 918 a : 129.

» 26 iun. .... » 93 *Optaveram* Synodo | J 473 PL 54 n. 1 937 : 347 e

» 22/25 oct. .... Chalcedonense, occ. IV, act. 5 et 6 : Definitio fidei | M VII 107-18 : 688-90.

» 31 oct. .... » act. 15 can. 6 | M VII 361-2 : 1316; can 28 | M 369-70 : 298.

» in. nov. .... » ep. ad Leonem I (inter huius epp. 98) n. 1 | PL 54 951-2 : 348.

452 27 ian. .... Leonis ep. 102 *Optassemus* episc. Gallis | J 479 PL 54 n. 3 986-7 : 685.

» 11 iun. .... Ep. 108 *Sollicitudinis* Theodoro Foroiuliensi | J 485 PL 54 n. 5 1013-4 . 1252.

» 25 nov. .... » 109 *Gravia sunt* Iuliano episc. | J 486 PL 54 n. 3 1016-7 : 686.

453 11 iun. .... » 119 *Quantum* Maximo Antioch. | J 495 PL 54 n. 2 1041-2 : 347 *f*, n. 6 1045-6 : 171.

458 21 mart. .... » 159 *Regressus* Nicetae Aquileiensi | J 543 PL 54 n. 6 1138-9 : 1037 *a* 1252 : n. 7 1138-9 : 1037 *a*.

» 24 oct. .... » 166 *Frequenter* Neoni Ravenn. | J 543 PL 55 n. 1-2 1192-4 *b* : 1040 1037 *b*.

458-59 .... » 167 *Epistolas* Rustico Narbon. | J 544 PL 54 : inquis. 4 1204-5 : 1359; inq. 8 1205-6 : 1253; inq. 16-18 1208-9 : 1041.

459 6 mart. .... » 167 *Magna* epis. Campaniae | J 545 PL 54 n. 1 1210 : 1055 *b*; 2 1210-11 : 1224.

Simplicius 468-83.

c. 475-80 .... **Lucidi** presbyteri libellus ex sententia Arelatensis vel Lugdunensis | PL 53 683-5 : 847.

476 9 ian. .... Ep. *Quantum presbyterorum* Acacio CP | J 572 PL 58 n. 2-3 41-2; Th. 178 : 213 *a*.

» 10 ian. .... » *Cuperem* Basilisco | J 573 PL 58 n. 5-6 40 Th. 82 : 213 *b*.

Felix III (II) 483-92.

483 mart. .... Ep. *Postquam sanctae* Acacio CP | J 592 PL 58 n. 7 897-8 Th. 287 : 291

485 5 oct. .... » *Olim nobis* Felicis et Synodi romanae presbyteris CP | Th. ep. 11 n. 3-4 254-5 et 255 6, Avellana CV 35 ep. 70 n. 6 9-10 157-9 : 299 349.

490 init. .... » *Multa sunt* Flavitae CP | J 613 PL 58 ep. 13 974 b; Th. ep. 14 5 p. 269 : 990

Gelasius I 492-6.

492 post 1 mart. . Ep. *Quod pleno* Euphemio CP | J 620 Th. ep. 3, 6 p. 315 : 991.

493 28 iul. .... » *Licet inter* Honorio | J 625 PL 59 ep. 5 30*d*., Th. ep. 4 n. 1 p. 321, Avellana CV 35 ep. 98 n. 1 p. 437 : 350 *a*.

» c. fin. .... » *Ego quoque* Fausto | J 622 PL 59 ep. 4 27, Th. ep. 10 n. 3 p. 342 : 1208.

c. 493 ? .... *Dicta adversus Pelagianam haeresim* | J 627, Th. tr. 5 n. 7-10 p. 578-83, Avellana CV 35 ep. 97 n. 24-35 p. 410-15 : 632-35 848 634-5 849-50.

494 init. .... Ep. *Famuli* Anastasio Aug. | J 632 PL 59 ep. 8 42-3 Th. ep. 12 n. 2-3 p. 350-52 : 465 350 *b*.

» 11 mart. .... » *Necessaria* episc. Lucaniae | J 636 PL 59 ep. 9 n. 9 et 10 col. 42, Th. ep. 14 n. 9 et 10 p. 367-8 : 350*c* 1056 *b*.

» c. fin. 495 aug. » *Concesso* Tarentinis | J 647 De consecr. d. 4 c. 17, Fd I 1367 : 1056 *a*.

495 1 feb. .... » *Valde mirati* episc. Dardaniae | J 664 : 350 *d* PL 59 ep. 18 c. 63 bc, 66 c, 67 ac, Th. ep. 26 3 p. 395; 5 399; 5-6 400-1; Avellana CV 35 ep. 95 n. 10 p. 372, n. 26 368, n. 28-31 379-80. 300 : PL 71-2; Th. n. 10 405-7; Avellana n. 53-7 387-9.

495 .... » *Quid ergo* Orientalibus | J 665 PL 59 ep. 15 p. 95 c-96 a; Th. ep. 27 n. 8 430 : 466.

492-6 .... Tr. *de duabus naturis* | Th. tr. 4 n. 2 3 8 9 10 14 15 p. 531-2 535-6 537-8 539 541-3 : 892-9.

» .... » *de damnatione nominum Petri et Acacii* | J 669 PL 59 ep. 15, 89-90; Th. tr. 2 n. 8-10 p. 528-30 : 350 *e*.

495-6 .... » *de anathematis vinculo* | J 701 PL 59 105 bc Th. tr. 4 n. 6 562 : 1235 1234.

Anastasius II 496-98.

496 nov.-dec. .... Ep. *Exordium* Anastasio imp. | J 744 Th. ep. 1 n. 8-9 c. 620-3 : 992.

497 .... » *In prolixitate* Laurentio de Lignido, (saepe sub nomine Gelasii I) | J 748, PL 59 ep. 2 Gelasii 20-1, Th. ep. 3 n. 2 p. 625-6, Avellana CV 35 ep. 81 n. 3-7 p. 226-8 : 700-1.

498 23 aug. .... » *Bonum atque* episc. Galliae | J 751, Th. n. 2-4 p. 634-5 : 645; n. 6 635 : 646; n. 7 636 : 646.

Symmachus 498-514.

s. VI .... Gelasianum | Th. ep. 42 p. 454-71, ed. E. von Dobschütz in TU 38, 4 (1912), textus p. 3-3 et 15-60, cum commentario uberrimo; I. 1 539 2 784 3 : 632; II : 38*a*; III 1-2 : 354; 3 : 393; IV 1-5 : 133; V 1-9 396.

Gregorius I Magnus 590-604.

591 feb. .... Ep. *Consideranti* patriarchis | J 1092 I 25 (24)[1] PL 77 478-9 EH I 36-7 : 136.
» mart. .... » *Ioseph* Petro Terracinensi | J 1104 I 35 (34) PL 77 489 EH I 47-8 : 423.
» april. .... » *Respondere* Leandro Hispalensi | J 1111 I 43 (41) PL 77 497-8 EH I 57 : 1023.
» iun ...... » *Scribendi* Virgilio et Theodoro episc. | J 1112 I 47 (45) PL 77 510-1 EH I 71-2 : 424.
» sept-oct ..... » *Supplicaverant* Bacaudae episc. | J 1157 I 10 (II 6) PL 77 457 EH I 105 : 425.
593 iul. .... » *Quamvis causae* Ioanni CP | J 1257 III 52 (53) PL 77 649 EH I 209-10 : 435.
594 iul .... » *Quorundam* Theodelindae reginae | J 1308 IV 38 (33) PL 77 712-3 EH I 269 : 358*a*.
» aug .... » *Si ita ut* Bonifatio | J 1313 IV 43 (41) PL 77 718 EH I 277 : 358*b* 436.
595 iun ...... » *Omnipotens Deus* Constantinae | J 1352 V 21 (39) PL 77 749c EH I 327 : 640.
» 12 aug ..... » *Ad hoc* episc. Galliae | J 1375 V 54 (59) PL 77 785-6 EH I 371 : 631.
597 mart. ...... » *Memor bonitatis* Georgio presb. | J 1475 VII 15 PL 77 869 EH I 458-9 : 768.
» iun .... » *Desiderata* Gregoriae | J 1468 VII 25 (22) PL 77 878 EH I 465 : 859.
» sept. .... » *Suscepi* Anastasio Ant. | J 1489 VIII 2 PL 77 906 EH II 3 : 225.
» » .... » *Quanta* Brunichildae reginae. | J 1491 IX 11 (VIII, 4) PL 77 954-6 EH II 7 : 429.
598 apr. .... » *Pervenit* Agnello Terracinensi | J 1507 VIII 18 (19) PL 77 921 EH II 21 : 430.
» oct. .... » *Fraternitati* Ioanni Syracusano | J 1551 IX 59 (27) PL 77 957-8 EH II 60 : 356*c*.
599 maii ...... » *Dilectionis* Secundino | J 1673 IX 52 (147) PL 77 989-90 EH II 144 : 1050
» iul. .... » *Cum piae* Virgilio Arel. | J 1745 IX 111 (216) PL 77 1042 EH II 203-4 : 356*d*.
» iul. .... » *Quod fraternitati* Sereno Mass. | J 1736 IX 105 (208) PL 77 1027-8 EH II 195 : 826.
600 aug .... » *Sicut aqua* Eulogio Alex. | J 1790 X 39 (21) PL 77 1096-99a EH II 257-8 : 773-6.
601 feb. ...... » *Magnas* Theoctistae | J 1807 XI 45 (27) PL 77 1162 EH II 294 : 1050.

---

1. Numerus intra parenthesim designat ordinem epp. in ed. E(wald)—H(artmann), alter ed. PL.

601 iun-iul ...... Ep. *Quia caritati* Hiberniae episc. | J 1844 : XI 67 (52) PL 77 1205-7 et 1208 b EH II 325 et 327 : 1036 et 1318.
» iul. .... » *Lator* Eusebio Thessal. | J 1847 XI 74 (55) PL 77 1213 EH II 330 : 434.
Inc. temp. .... Fg ex Decr. 35 q. 9 c. 4 : 356*e*; 28 q. 2 c. 2 : 1387.
» » ...... Fides Gregorii | PL 77 1327-29, Hahn § 221 : 569 722 782-5 1443 262*d*.

Honorius I 625-38.

633 5 dec. ...... Toletanum IV cap. 1. | M X 615-6, Hahn. § 179 : 570 723 782-5 1444 cf. 782*e* 177*c*; cap. 6, M 619 : 1024; c. 10 M 621 d : 1217 ; cap. 17 M 624 ab : 120.
634. .... Ep. 4 *Scripta fraternitatis* Sergio CP | J 2108 PL 80 471-3 : 725-26
» .... » 5 *Scripta dilectissimi* Sergio CP | J 2024 » » 475 : 727.
638 8 ian ...... Toletanum VI | M X 661-3, Hahn § 180, fides : 571 cf. 533 724 782 784 1445 262*e* 177*d*.

Ioannes IV 640-2

640. .... Ep. *Scripta quae* Scotis | J 2040 PL 80 602 bc : 860.
641. .... » *Dominus* Constantino imp. | J 2042 PL 80 604 b-6 b : 728.

Martinus I 649-653.

649 31 oct. ..... Lateranense Secretarius V | M X 1151-62 HL § 307 can. 1 : 572, cf. 619 ; can. 2-16 : 729 ; 17 : 137 ; 18 : 730 ; 19-20 : 137.

Vitalianus 657-72.

c. 668 .... Ep. *Inter plurima* Theodoro Cantuariensi | J 2095 PL 87 1008 c : 357.

Adeodatus 672-6.

675 nov. .... Toletanum XI Fides | M XI 131-7 : 573-9 731-3 782 784-5 1446 784-5 1446 262*f* cf. 1001*e* 1446 177*e*

Agatho 678-81.

679 (680) 17 sept Heothfeldense | M XI 177 b : 533 cf. JTS XX pp. 29, 34-5
680 init. .... Mediolanense | M XI 206-8 (PL 13 651-4 : Anonymi *expositio fidei*) : 580 734.
» 27 mart. .... Ep. *Omnium*, nomine Synodi Romani imperatoribus | J 2110 M X 289-92 Hahn § 184 : 581 735-6 782-785 1447 131.
» » ..... » *Consideranti*, nomine proprio, imperatoribus | J 2109 M X 237 c-40 b Hahn § 236 : 582 737 243 *bc* 738.
680-1 .... Fg ex Decr. I d. 19 c. 2 : 358.

681 28 mart. .... CP III oec. VI (680-1) actio 18 553 d-6 c : 739 40.
» 16 sept. ..... CP III oec. VI (680-1) actio 18, definitio | M XI 635 c-40 c : 741-6.

Leo II 681-3.

682 sept.-dec. .... Ep. *Regi regum* Constantino imp. | J 2118 PL 96 408 b : 746.
» » ...... » *Cum diversa* Hispanis | J 2119 PL 96 414 b : 746.
» » ...... » *Cum unas* Ervigio regi | J 2120 PL 96 419 cd : 746.

Sergius I 687-701.

688 11 maii...... Toletanum XV, ex apologia Juliani Toletani, | M XIII 10-1 : 583; 12 bd-13 a : 747; 15 ac : 748.
693 2 maii...... Toletanum XVI | M XII 67 bd : 584.
687-701 ...... Decreta Sergii 160-161 | J 2156 : 1320.
s. VII-VIII...... *Liber diurnus* RR. PP. : 186 1067 | ed. Sickel p. 6, 69.

Gregorius II 715-32.

719 15 maii...... Ep. *Exigit* Bonifatio | J 2157 PL 89 496 c : 363.
726 22 nov. ..... » *Desiderabilem* eidem | J 2174 PL 89 525 d : 1042

Zacharias I 741-52.

745 oct. .... Romanum : damnatur Clemens | PL 89 835 d : 783; ep. Bonifatii PL 89 753 b : 783.
746 1 iul .... Ep. *Virgilius* Bonifatio | J 2276 PL 89 929 : 1015.
748 1 maii. ..... » *Sacris liminibus* eidem | J 2286 PL 89 943 d : 1018 943 d-44 a : 1018 943 d-46 a : 1014 946 ac : 1043

Stephanus II (III) 752-57.

754......... Responsum 14 | PL 89 1087 bc 1016.

Stephanus III (IV) 768-72.

769 14 april...... Lateranense actio 3 | M XII 719 c-20 a 1331; actio 4 M XII 720 : 327.

Hadrianus I 772-95.

785 post 26 oct. . Ep. *Pastoralibus* Tarasio CP | J 2449 PL 96 1238-9 c : 360.
785-91 .... » *Institutio* Hispanis | J 2479 PL 98 376 ab : MGE, III 637 : 751.
787 13 oct. ...... Nicaenum II oec. VII act. 7 definitio | M XIII 377 c-80 b [illegible]; act. 8 acclamationes | 415-16 de : 830 750 28; can. 3 420-1 : 1331.

793 .... Ep. *Si tamen licet* Hispanis | J 2482 M XIII 865 d-869 a MGH L. s. IV, II 1.123 126 : 752.
794 iun. .... Francofordiense Ep. *In nomine* Hispanis M XIII 884 c 890 b-12 a 893 b : 753 749. Cap. 1 909 c : 753.

Leo III 795-816.

796-7 maio. ..... Foroiuliense | M XIII 842-4 : 585-6 755 782-5 1448 755.
799 .... Felicis Urgellitani retractatio | M XIII 1035-6 : 754.
809 .... Symbolum fidei missum monachis montis Oliveti | M XIII 978-9 : 589-90 756 782-5 1449 282 *g*.
811 .... Nicephori CP fides ex ep. ad Leonem papam | PG 100 181 c-83 d : 591 3 184-8 c : 757-60 187 d-9 b : 782-5 188-9 h : 1450 188-9 bc : 1004 f 1890-92 a : 331; 191-92 ab : 138.
813 .... Cabilonense II can. 37a | M XIV 99 : 1073; can. 48 104 ab : 1282.

Leo IV 847-55.

850 c. fin. .... Ticinense can. 8 | M. XIV 932-3 : 1283 1292 1302 1290 1295.
853 .... Carisiacense 4 capitula | M XIV 920-1 : 881.
c 853. .... Ep. *Vidimus* Ignatio CP | apud J 2647 ex coll. Britannica ep. 42 : 364.
855 8 ian. .... Valentinum III can. 1-6 | M XV 3-7 : 882.

Nicolaus I 858-67.

858 .... Ep. *Relatum est* Carolo Calvo | J 2833 PL 119 1119, ep. 115 : 447.
862 24 nov. ..... » *Fidelium* Hermentrudi reginae | J 2704 PL 119 804 c ep. 23 : 363 *a*.
863. .... Lateranense c. 1-2 | M XV 811 : cf. 658-9 can. 7-8 PL 119 795 : 782 1051.
863 .... Lateranense c. 5 | M XV 652 c : 362.
865 c. nov. ...... Ep. 86 *Proposueramus* Michaeli imp. | J 2796 PL 119 947 d : 469, 944 d 5 a 947 a 948 c : 363 *b*, 952 c : 469; 954 d-5 b : 363 b; 960 bd : 470.
866 13 nov. ...... Responsio ad consulta Bulgarorum | J 2812 PL 119 978 sq. 8 : 1360 9 : 1159 15 1027 18 431 41 : 427 51 : 1271 71 : 363 78 : 1248 102 : 427 104 : 1019.
867 23 oct. ...... Ep. 152 *Omnium nos* Hincmaro de Graecis | J 2879 PL 119 1155-7 : 301-3.
inc. temp. .... Decr. I. 1 | PL 119 1183 a : 471; II 3 1183 b 363 *d*; XVIII. 8 1198 d : 471; 3 1197 d : 1360.

HADRIANUS II 867-72.

868 2 feb........ Ep. 3 *Legationis* Synodo Tricassinae | J 2894 PL 122 1262 c : **364**.

870 28 feb....... CP. IV oec. VIII act 10 can. lat. | M XVI 160 sq; graeci M 397 sq HL § 493 t IV. 521 sq.; 1 : 160 397-400 : **139**; 3 161-2 400 : **832**; 11 (10 gr.) 166-7 404 de : **650**; 12 (gr. om.) 167 ab : **472**; 17 (gr. 12) 171 405 b : **473**; 21 (gr. 13) 174 405 c : **365**.

IOANNES IX 898-900.

898 p. april...... ROMANUM cap. 5 | M XVIII 224 : **994**.

IOANNES XV 985-96.

993 3 feb........ ROMANUM Bulla canonizationis s. Udalrici | J 3848 PL 137 845 d-6 b : **833**.

LEO IX 1049-54.

1053 april....... *Fides* in ep. *Congratulamur* Petro Ant | J 4297 PL 143 771-3 : **594 761 782-5 1451 634** *a* **594 262** *h* **1001** *g* **1451 34 863 648 239 30** *a* **140**

NICOLAUS II 1059-61.

1059 13 april..... ROMANUM declaratio de simoniacis a Nicolao facta | M XIX 899 : **1322**

ALEXANDER II 1061-73.

1066-7........... Ep. *Quae in canonibus* Stephano Alvernensi | J 4614, Loewenfeld n. 112 p. 55 : **1259**.

GREGORIUS VII 1073-85.

1073 1 sept..... Ep. *Licet* Rodulfo Suaviae | J 4790 I 19 PL 148 30 : **474**.

1074 20 april..... » *Litteras* Sancio regi | J 4841 I 63 PL 148 339 : **475**

1076 25 aug...... » *Multa* Herimanno Metensi | J 5000 IV 2 PL 148 454 : **476**.

1077 31 maii..... » *Notum fieri* Germaniae | J 5035 IV 24 PL 148 470 : **477**.

1079 11 feb....... ROMANUM **Berengarii** iusiurandum | M XX 524 d : **1122**

URBANUS II 1088-99.

1091 28 mart..... BENEVENTANUM can 1. | M XX 1147 c : **1312**.

PASCHALIS II 1099-1118.

1102 p. 12 mart.. LATERANENSE Formula oboedientiae Sedi Apostolicae | M XX 1147 c : **437**.

1106 22 oct...... GUASTALLENSE Capitulum de ordinationibus | M XX 1209 e : **1323**.

1117 23 april..... Ep. *Legimus* regi Danorum | J 6562 ex Giesebrecht : **478**.

CALLISTUS II 1119-24.

1117 1 oct ..... Ep. *Ante Sarracenorum* Rogerio com. Siciliae | J 6563 ex Giesebrecht : **479**

1119 8 iul...... TOLOSANUM Callisto II praeside can. 3 | M XXI 226-7 : **955**.

1123 27 mart... LATERANENSE I oec. IX | M XXI 282 sq HL § 612 t V 631 sq., can. 1 : **1324** 3 : **1407** 4 : **480** 10 : **1329**.

INNOCENTIUS II 1130-43.

1139 4 april..... LATERANENSE II oec X | M XXI 26 sq HL § 615 t. V. 725 sq, can. 2 : **1325** 22 : **1237** 28 ex conc. Tolosano a. 1119 : **240 955**

1141 2 iun....... SENONENSE damnatio **Abaelardi** | M XXI 568-70 DTC I 44-5, 1-3* : **595** 4-5 : **762** 6 : **864** 7-8 : **627** 9-10 : **864** 11* : **762** 12 : **400 1309** *a* 13 : **864** 14 : **595** 15* : **1452** 16* : **641** 17* : **1452** 18* : **783** 19* : **864** Hic, ut in texto, notantur stellula quae absunt ab elencho propositionum quae Romam missae a Senonensi ibi ab Innocentio II damnatae sunt.

1141 16 iul...... Ep. 447 *Testante* Henrico Senonensi | J 8148 PL 179 517 a : **241**. Capitula 14 de quibus sermo est in hac epistola fere eadem sunt ac superiora. Adde 9 : **1123**. Habentur in PL 182 1049-54, ubi allegantur textus Abaelardi *(Incipiunt capitula haeresum Petri Abaelardi)*. Cf PORTALIÉ, Abélard (articles condamnés par Innocent II) in DTC I 43-8. Sed videndus nunc RIVIÈRE, in *Rech. de Th. Anc. et méd.* 1933, 5-22.

s. inc............. Ep. *Apostolicam* episc. Cremonensi | J 8272 PL 179 624 : **1059** (In Decret. Greg. III 43 tribuitur Innocentio III).

EUGENIUS III 1145-1153.

1148 mart.-april.. REMENSE Fides de Trinitate contra Gilbertum Porretanum M XXI, assertiones Gilberti 711-2 : **596**; Symbolum ab Eugenio approbatum 712-3 : **597** (res acta est post ipsum concilium). Cf VERNET, Gilbert de la Porrée in DTC VI 1351-2.

ALEXANDER III 1159-81.

1170 28 maii.... Ep. *Cum in nostra* Willelmo Senonensi | J 11806, PL 200 685 DCh I n. 3 p. 4 : **783**.

1177 8 feb....... » *Cum Christus* Willelmo Remensi | J 12785 DCh I n. 9 p. 9 : **784**.

1179 mart. ..... LATERANENSE III occ. XI | M XXII 232-2 : **242**.
a. inc. .... Fg ep. episc. Brixiensi | J 13787 Dec. Greg. III 327 : **1397**
» .... » » arch. Salernitano | J 14091 Decr. Greg. III 35 2 : **1392**. IV 4 3 : **1382**.
» .... » » Pontio Claromontensi | J 14200 Decr. Greg. III 42 1 2 : **1020 1044**.

LUCIUS III 1181-5.

1184 aug.-nov.... VERONENSE Decr. *Ad Abolendam* contra haereticos | M XXII 477 sq : **956 243**.

INNOCENTIUS III 1198-1216.

1198 15 iul..... Ep. *Cum ad Sedem* Ymberto Arel. | P 329 PL 214 304 c : **1361**.
» 30 oct... .. » *Sicut universitatis* Acerbo | P 403 PL 214 376 vel 216 1186 : **481**.
1199 1 maii. ... » *Quanto te* Ugoni Ferrariensi | P 684 PL 214 588 d **1388**.
» 3 » .... » *Quanto debeat* Germanis | P 686 PL 216 997 : **482**
» 12 iul .... » *Cum ex iniuncto*, eccles. Metensi | P 780 PL 214 698 : **47**, laudatur in ep. Pii VII.
» 16 nov..... » *Quanto de Vicario suo CP* | P 868 PL 214 772 : **1074** *a*.
1201 feb.-apr.... » *Gaudemus* episc. Tiberiadensi | P 1325 PL 214 1269 c-70 a : **1377** (textus paululum mutatus in Decr. Greg. IV 19 8 Fd II 724) 1270 ac : **1372** (id 723-24) 1270 d-71 a : **1389** (ib. 724).
1201 sept.-oct.... Ep. *Maiores* Ymberto Arel. | P 1479 Dec. Greg. III 42 3 Fd II 644-46 : **1064-1066 983**.
1202 29 nov..... » *Cum Marthae* Ioanni Lugdunensi | P 1779 PL 214 1119-22 : **953 1123 1135 1137**.
1204 25 feb ..... » *Cum Venisset* Basilio Trinovitano | P 2138 PL 215 285 c-6 a : **1074** *b*.
1206 12 ian.. .. » *Ex parte tua* Andreae Lundensi | P 2651 PL 215 774 a : **1393**
» 1 mart.... » *Non ut apponeres* Thoriae Nidrosiensi | P 2695 PL 213 813 a : **1005**.
» 28 aug..... » *Debitum pastoralis* episc. Metensi | P 2875 PL 215 986 a **1028** cf **1060**.
1208 18 dec...... » *Eius exemplo* arch. Terraconensi : Fides Durando de Osca et Waldensibus imposita | P 3571 PL 215 1510 c-12 Incipit : Pateat omnibus fidelibus, quod ego Durandus de Osca et I. et E. et B. et omnes fratres nostri corde credimus etc. : **598 34** *a* **765 986 1067 1074** *c* **1138 1326 1202 1286 1354** *a* **624 172** *a* **638 1463 399 492**.

1209 5 mart...... » *In quadam* Ugoni Ferrariensi | P 3684 PL 216 16 : **786** *a*.
1212 18 aug .... » *Scriptum est* Maximo notario | P 4577 PL 216 675 : **394**.
1215 nov........ LATERANENSE IV occ. XV | M XXII 981 sq. HL § 647 t. V 1323 sq. cum textu cap. 1.
» Capitula : 1 *De fide catholica*, 981-2 **593 612 599 766 782-5 1454 262** *k* **1139 1001** *A* **1202 1354** *b*.
LATERANENSE 2 : *De errore abbatis Ioachim* 981-2 : **600-2**
» 3 : *De haereticis* 985-989-90 : **244** *a*, **172** *b*.
» 4 : *De superbia Graecorum contra Lat.* 989-90 : **304**
» 5 : *De dignitate Patriarcharum* 989-92 : **395**.
» 21 : *De confessione facienda et non revelanda a sacerdote et saltem in Pascha communicando* 1007-10 : **1151 1260 1225**.
» 62 : (*De reliquiis sanctorum*) 1049-50 : **834**.

HONORIUS III 1216-27.

1220 13 dec .. Ep. *Perniciosam* Olao Upsalensi | P. 6441 Decr. Greg. III 41 13 Fd II 643 : **1101**.

GREGORIUS IX 1227-41.

1228 7 iul....... Ep. *Ab Aegyptiis* (*Tacti dolore*) magistris Paris. | P 8231 DCh. I n. 59 p. 114-6 : **169**. (Denifle solus dat textum integrum).
1229 20 aug..... Formula damnationis haereticorum | P 8845 et 9675 Decr. Greg. V 7 15 Fd II 789 : **244** *b*.
1231 23 april . Ep. *Cum sapientiae* Wilhelmo et aliis | P 8719 DCh I n. 87 p. 143 : **190**.
1232 9 dec...... » *Presbyter* Olao Lundensi | P 9050 Decr. Greg. I 16 3 Fd II 135 : **1314**.
1227-34...... .. Fg. *Si conditiones* | P 9664 Decr. Greg. IV 5 7 Fd II 681 : **1363**.
1241 8 iul....... Ep. *Cum sicut* Sigurdo Nidrosiensi | P 11048 BaR 1241 n. 42 : **1006**.

INNOCENTIUS IV 1243-54.

1254 6 mart..... Ep. *Sub catholicae* episc. Tusculano | M XXIII 578-80 n. 5 : **1075** ; 28 : **1454** *bis*.

ALEXANDER IV 1254-61.

1256 5 oct....... Bulla *Romanus Pontifex* | P 16565 DCh. I n. 288 p. 331-3 : **414**.
» 23 oct..... Capitula ab Odone de Duaco et Christiano iureiurando firmata | DCh. I n. 293 p. 339-40 : **415**.

CLEMENS IV 1265-68.

1267 28 oct...... Ep. *Quanto sincerius* arch. Narbonensi | P 20154 : BaR a. 1267 § 35 DCh I n 417 p. 470 : **1124** cf. responsionem arch. ibid. n. 418 p. 470.

GREGORIUS X 1271-76.

1274 6 iul....... LUGDUNENSE II oec. XIV, sessio 4 : [Legitur epistola **Michaelis Palaeologi** imp CP in qua emittitur professio fidei | M XXIV 69-76. Haec fides, quoad primam partem, eadem est, paucis verbis mutatis, atque fides Leonis IX, supra ad a. 1053 · **594 781 782-85 1455 534*a* 594 262*h* 1001*g* 1455 34**. Sic concluditur : Haec est vera fides catholica et hanc in supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia. — Secunda pars : **1202 1455 957 1076 1142 1378 366.**

De Summa Trinitate, M XXIV, 81 : **635.**

IOANNES XXI 1276-77.

1277 april....... **Ioannis Vecci** patr CP epist. ad Ioannem papam | PG 141 946-7 : **536.**

BONIFATIUS VIII 1294-1303.

1300 22 feb...... Bulla *Antiquorum* | P 24917 Extr. comm. V 9 g Fd II 1303 : **1262.**

1302 18 nov ..... » *Unam sanctam* | P 25189 Extr. comm. I 8 1 Fd II 1245 : 6 : **294 483 294.**

BENEDICTUS XI 1303-4.

1304 17 feb...... Const. *Inter cunctos* | P 25370 Extr. comm. V 7 1 Fd II 1298 : **1218.**

CLEMENS V 1305-14.

1311-12.......... VIENNENSE oec. XV Const. *De summa Trinitate et fide catholica.* | Clem I 1 Fd II 1133 HL § 702 t. VI, 672-3 : **767 786 651 1068.**

Damnatio **Beguardorum et Beguinarum** | Clem. V 1 3 Fd II 1183-4 HL § 682-3 · Secta quaedam abominabilis quorundam hominum qui Beguardi et quarundam infidelium mulierum quae Beguinae vulgariter appellantur, in regno Alemanniae... damnabiliter insurrexit, tenens et asserens, doctrina sua sacrilega et perversa, infernus designatos errores : Primo videlicet etc 1-2 : **865** 3 · **401** 4-5 : **1457** 6 · **865** 7 om. (de mulieris osculo et actu carnali), 8 . **865**. Addit : Sectam ipsam cum praemissis erroribus damnamus et reprobamus omnino inhibentes districtius ne quis ipsos de cetero teneat approbet vel defendat. Cf. VERNET Beghards, in DTC II 528-35.

IOANNES XXII 1316-34.

1318 23 ian...... Const. *Gloriosam Ecclesiam*, de **Fraticellis** | DPA I 1 291-2 484 1-2 : **402** 3 : om. de iuramento, 4 : **887** 5 : **224** conclusio : **245*b***. Cf VERNET Fraticelles in DTC VI 770-84.

1321 25 iul. ..... » *Vas electionis*, de erroribus **Ioannis de Polliaco** | Extr. comm. V 3 2 Fd II 1291-2 : **1232*o***.

1323 13 nov...... » *Cum inter* de controversia circa paupertatem **Christi** | Extr. Ioan. XXII 14 4 Fd II 1229 : **779.**

1327 23 oct...... » *Licet iuxta* contra **Marsilium Patavinum et Ioannem de Ianduno** | DPA I 1 304-11 ; exponuntur 1 : 304 2a col. et 305 1a col. circa med. : **493**, 2 365 ima col. 1a et summa 2a : **374**; 3 306 2a col. med. : **493**; 4 308 ima col. 1a : **403**; 5 309 med. col. 2a : **438**. Resumuntur et condemnantur p. 311 med col. 1a, ubi legitur ad secundum : quod beatus Petrus apostolus non fuit plus caput Ecclesiae quam quilibet aliorum apostolorum; ad 4m addit : Sed quod unus habet plus alio hoc est secundum quod imperator concessit plus vel minus et sicut concessit revocare potest. Damnationis formula : **246**

1329 27 mart..... » *In agro dominico* contra **Ekardum** | DPA I 322-4, Denifle in Arch. II 636-40. 1-3 **620**, 4-25 : **666** 26 : **620**. Additur : Obiectum praeterea exstitit dicto Ekardo quod praedicaverat alios duos articulos sub iis verbis, 1 art. : **649** 2 : **620**. Damnatio : **247**. Cf. VERNET Eckart in DTC IV 2057-81

BENEDICTUS XII 1334-42.

1336 29 ian...... Const. *Benedictus Deus* | M XXV 985-87, DPA I 1 821-2 : **1458.**

CLEMENS VI 1342-52.

1343 25 ian...... Bulla *Unigenitus* | Extr. comm V 9 2 Fd II 1304 : **1263.**

1351 29 sept..... Ep. *Super quibusdam* Consolatori Catholico Armenorum | BaR a. 1351 Tota haec epistola est quasi expositio quaedam per interrogationes doctrinae catholicae : **367 1077.**

URBANUS V 1362-70.

1368 23 dec...... Const *Ex supremae* de erroribus **Dyonisii Foullechat.** DPA I 1 382 : **780.**

GREGORIUS XI 1370-78.

1371 8 aug....... Inquisitores, iussu Pontificis, damnant errores **Petri de Bonageta et Ioannis de Latone** | DPA I 1 397 2a col. : **1148**

1372 15 mart..... Const. *Non absque multa* Herbordo de erroribus **Alberti Alberstadensis.** | DPA I 1 391-2 : **653*b***.

1425 15 iun. .. .. CONSTANTIENSE oec. XVI sess. 8, decr. *Cum in nonnullis*, de communione sub. una specie | M XXVII 727-8 HL § 759, t. VII, 284-5 : **1178**, approbatum a Martino V bulla *In eminenti*.

MARTINUS V 1417-31.

1418 22 feb. .... Bulla *Inter cunctas*, damnans, post CONSTANTIENSE, errores **Ioannis Wicleff** (sess. 8, 4 maii 1415), **Ioannis Hus** (sess. 15, 6 iul. 1415) et addens interrogationes **Wicleffitis et Hussitis** proponendas | M XXVII 1204-15, HL § 738, t. VII 511-28.

» » Eadem die Bulla *In eminenti* eadem documenta referens et decretum de communione sub una specie | BaR a. 1418 n. 2-3 cf. M XXVII 1215-29 :

Sequitur tenor articulorum **Ioannis Wicleff** : 1-2 : **1140** 3 **1125** 4 : **888** 5 · **1103** 6 : **642** 7 : **1219** *a* 8-9 : **375** *a* 10 : **494** 11-3 · **439** 14-15 **404** 16 : **494** 17 : Populares possunt ad arbitrium dominos delinquentes corrigere : 18 · **494** 19 . **835** 20 : **416** 21-4 : **416** 25 : **835** 26 : **867** *a*, 27 : **628** 28 : **1078** 29 · **226** *a* 30 · **439** 31 : **416** 32-3 : **484** 34-5 **416** 36 . **494** 37 : **375** *b* 38 **168** *e* 39 : **494** 40-1 : **375** 42 : **1267** 43 om. (de iuramentis) 44-5 **416**.

Tenor autem articulorum **Ioannis Hus** sequitur et est talis : 1-3 · **405** 4 : **768** 5-6 : **405** 7 : **376** 8 : **405** 9-13 : **376** 14 **440** 15 . **405** 16 : **867** *b* 17-9 : **440** 20 · **376** 21 · **867** *b* 22-4 **376** *b* 25 : **248** 26-7 : **376** 28 **405** 29 . **376** 30 : **404**.

Super praemissis autem articulis, quilibet de eis suspectus seu in eorum assertione deprehensus, iuxta modum interrogetur infra scriptum (*Interrogationes de Wicleffitis et Hussitis*) : 1-4 om. 5-6 : **406** 7-8 : **248** 9-10 om 11 : **248** 12-4 om. 15 : **995** 16-7 · **1141** 18 : **1177** 19 : **971** cf. **1079** 20-1 . **1232** 22 **989** 23-5 : **377** 26-8 : **1268** 29 : **836** 30 : **417** 31-3 . **441** 34-6 : **495** 37-9 · **406**.

EUGENIUS IV 1431-47.

1439 6 iul. ..... FLORENTINUM oec. XVII : I *Decretum pro Graecis*, in bulla *Laetentur caeli* | M XXXI 1030-1, omissis male aliquot versibus, 1030 b ; HL § 616, t. VIII, 1038-40 refert textum, ut in nostro *Thesauro*, ex ipso authentico edito a. 1857 a Milanesi : **537 538**, **1099**, **1456**, **388 398**

» 22 nov. .... » II *Decretum pro Armenis*, in bulla *Exultate Deo* | M XXXI 1047-60 ; J. DE GUIBERT, *Le décret du concile de Florence pour les Arméniens, sa valeur dogmatique*, in BLE 1919 pp. 81-96 150-62 195-215 ; ibid. pp. 196-208 textus ex originali ut a Balgy editum est et collatio cum opusculo

s. THOMAE *De symbolo fidei et Ecclesiae sacramentis*, fonte huius decreti praecipuo :

Deputavimus de omni statu huius sacri concilii viros iuris divini et humani doctissimos, qui cum omni cura studioque et diligentia rem istam cum ipsis[1] pertractarunt oratoribus[2], ab eis accurate inquirentes eorum fidem tam circa divinae unitatem essentiae et divinarum personarum Trinitatem quam D. N. I. X. humanitatem et septem Ecclesiae sacramenta et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis Ecclesiae pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus[3] et tractatibus post[4] non mediocrem testimoniorum inspectionem quae ex sanctis Ecclesiae Patribus et doctoribus deducta sunt et earum de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire iudicavimus ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unoque ipsa stabilis ac[5] perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae fidei veritatem quam super praemissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante FLORENTINO Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus :

In primis ergo damus eis sanctum symbolum a CL episcopis in oecumenico CP concilio editum cum illa additione *Filioque* ipsi symbolo declarandae veritatis gratia et urgente necessitate licite ac[6] rationabiliter apposita, cuius tenor talis est : *Credo* etc.[7].

2° Tradimus eis diffinitionem IV universalis concilii Chalcedonensis, in V postea et VI universalibus conciliis renovatam, de duobus naturis in una Christi persona, cuius tenor talis est...

3° Diffinitionem de duobus voluntatibus duabusque Christi operationibus in praedicto sexto concilio promulgatam cuius tenor talis est...

4° Quoniam hactenus ipsi Armeni, praeter has tres Nicaenam, CP et Ephesinam primam synodos, nullas alias universales postea celebratas nec ipsum beatissimum huius sanctae sedis antistitem Leonem, cuius auctoritate ipsa Chalcedonensis synodus exstitit congregata, susceperunt asserentes eisdem fuisse suggestum tam synodum ipsam Chalcedonensem quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorii haeresim, diffinitionem fecisse, instruximus eos et declaravimus huiusmodi falsam fuisse suggestionem... iniunximusque ut..., non solum dictas tres syno-

1. Edd. *istis*. — 2. Edd. addunt *et*. — 3. Edd. *collocutionibus*. — 4. Edd addunt *que*. — 5-6. Edd. *et*. — 7. Edd. *talis est tenor*.

dos sed et omnes alias universales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut et ceteri fideles, reverenter suscipiant.

1439 22 nov..... 5° Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium quam futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula : 950.

De sacramentis in genere : 958 965 969 960 982.
de baptismo : 1001 1004 1013 1025 1048.
de confirmatione : 1080.
de eucharistia : 1097 1107 1136 1143 1127.
de paenitentia : 1204 1231 1207
de extrema unctione : 1287 1300 1296 1293 1284
de ordine : 1315.
de matrimonio : 1364.

6° Compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis praebemus oratoribus cuius tenor talis est : *Quicunque* etc.

7° Decretum unionis cum Graecis consummatae pridem in hoc sacro oecumenico Florentino concilio promulgatum est, cuius tenor talis : *Laetentur*, etc.

8° [De festis quibusdam ab Armenis iisdem diebus atque a ceteris celebrandis] decernimus tanquam veritati et rationi consentaneum ut iuxta totius reliqui orbis observantiam debeant sollemniter celebrare.

Cf. Balgy *Historia*, pp 104-24; Petit *Arménie* (*Croyance et discipline*) in DTC VI 1944-68.

1442 4 feb...... III *Decretum pro Iacobinis* (*Iacobitis*) in bulla *Cantate Domino* | M XXXI 1734-43 : Nos... hanc quae sequitur veram necessariamque doctrinam hodie in hac sollemni sessione, sacro approbante oecumenico concilio Florentino in nomine Domini tradidimus: In primis igitur sacrosancta Romana Ecclesia : 803 613 36 37*b* 621 769 770 789 986 1069 614 263.

Amplectitur autem approbat et suscipit sanctam Nicaenam synodum CCCXVIII Patrum, CP etc. [de synodis oecumenicis et ipsa Florentino approbanda], in qua inter alia Graecorum et Armenorum sanctissima unio consummata est et multae circa utramque unionem saluberrimae diffinitiones editae sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur (I et II).

Sequitur de forma verborum consecrationis : 1138 1098 1144 : et de legitimitate quartarum nuptiarum | M XXXI 1741 d : 1355.

Decretum datum est anno I. D. 1441, pridie nonas februarii, ex ratione computandi Florentina. Unde re vera est 4 feb 1442. Cf de ipso concilio HL lib 48-9 t. VII ubi fere nihil de Armenis (p. 1079-80) et Vogt *Florence* (*Concile de*) in DTC VI 24-50.

Pius II 1458-64.

1459 14 nov.... Const. *Cum sicut* damnans errores Zanini de Solcia canonici Pergamensis | BaR r. 1459 n. 31, qui ausu sacrilego contra sanctorum Patrum dogmata... (1-2) : 1466 (3) 622 (4) 703 (5) : 796 (6) : 790 *a* (7) : 1125 *a* (8 et 10) . om. de re morali (9) : 868 (11) : 796, affirmare et tenere polluto ore asserere praesumebat... praedictis erroribus sponte renuntiaverat... DPA I. n. 253.

1460 18 ian....... Bulla *Execrabilis* de appellatione ad Concilium generale | BR V 149; BRL I 389 Cf. Pastor . . gall. III 94 n. 1 : 370.

1464 1 aug...... Bulla *Ineffabilis* de sanguine Christi | BR V 181 BRL I 380 : 787.

Sixtus IV 1471-84.

1476 28 feb..... Const. *Praeexcelsa* de Immaculata Conceptione | Extr. comm. III 12 1. Fd II 1286 : 803.

» 8 aug...... Bulla *Salvator noster* pro Ecclesia Xanctonensi | in Archives historiques de la Saintonge et de l'Aunis X (1882) p. 64 : 1264.

1477 27 nov..... Bulla *Romani Pontificis* | apud Amort De origine indulgentiarum (1735) p. II pag. 292-3 1265.

1479 9 aug...... Bulla *Licet ea* damnans errores Petri de Osma (Oxomensis) | DPA II 368 a; Menendez Pelayo *Heterodoxos españoles* (1880) t. I, l. III c. 6, § 3 p. 548-66, ubi refert primum damnationem quam Alphonsus Carrillo, arch. Toletanus, protulit de propositionibus « quas Petrus de Osma et eius sequaces praedicti pertinaciter affirmare non verebantur... » Sequuntur propositiones damnatae in bulla, paulum diversae quoad formam praesertim, ab iis quae vulgatae sunt ex iudicio Toletano, ut comparanti evidens erit :

Textus authenticus : (1-2) : 1219 *b* (3) : 1227 (4) : 1255 (5) : 1269 et 378 (6) : 1203

Textus vulgatus : 1-3 : 1219 4 : 1227 5 : 1255 6 : 1269 8 : 378 9 : 1203.

Animadverte 1-2 authenticas easdem esse atque 1-3 vulgatas, ut 5 auth et 6 atque 8 vulg. Septima vulgata tantum abest (378). At Pontifex addit in Bulla : « et alias quas propter earum enormitatem silentio praetereundas ducimus ». Damnationem arch. Toletani renovat ipse « pro potioris cautelae suffragio omnes et singulas propositiones praedictas falsas, sanctae catholicae fidei contrarias, erroneas et scandalosas et ab evangelica veritate penitus alienas, sanctorum quoque Patrum decretis et aliis apostolicis constitutionibus contrarias fore ac manifestam haeresim continere dicta auctoritate declaramus ».

1483 4 sept...... Const. *Grave nimis* de Immaculata Conceptione | Extr. comm. III 12 2 Fd II 1285-6 : 804.

INNOCENTIUS VIII 1484-1492.

1487 4 aug...... Bulla *Etsi ex indirecto* | BR V 327 damnans theses Pici de Mirandula : **159 a.**

LEO X 1512-1517.

1513 19 dec...... LATERANENSE V oec. XVIII, sess. 8, Bulla *Apostolici regiminis* | M XXXII 842 VI § 895 t. VIII 419-21 : **652 1946.**

1516 19 dec ..... » sess. 11, Bulla *Pastor aeternus* | M XXXII 967 HL § 905 t. VIII 528-32 : **374.**

1518 9 nov....... Bulla *Cum postquam* card. Caietano | LE PLAT, *Mon. Trid.* II, p. 23 : **1268.**

1520 15 iun...... Bulla *Exsurge* contra errores **Martini Lutheri** et sequacium | M XXXII 1051-53 1 : **977** 2 : **1049** 3 : [illegible] 5 : **1206** 6-7 : **1209** 8-9 **1220** 10 : **1236** [illegible] 12 : **1236** 13 : **1233** 14 : **1209** 15 : **1158** 16 : [illegible] 17-22 **1270** 23-24 : **442** 25-29 : **379** 30 : **249** 31-2 : **869** 33-34 : **442** 35-36 : **869** 37-40 : **1460** 41 : **417** [bis]. Adde : **332.**

Praefatos omnes et singulos articulos seu errores tanquam ut praemittitur respective haereticos aut scandalosos aut falsos aut piarum aurium offensivos vel simplicium mentium seductivos et veritati catholicae obviantes damnamus, reprobamus atque omnino reiicimus ac pro damnatis, reprobatis et reiectis ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus et declaramus.

PAULUS III 1534-49.

1546 4 feb....... TRIDENTINUM, oec XIX, sessio 3, de symbolo fidei | M XXXIII 19, CT. V 579-80 : **144 b.**

» 8 apr....... » sessio 4, decr. de canonicis scripturis | M XXXIII 22, CT. V 91 : **27 37 127.**

» » .... » sessio 4, decr. de editione et usu ss. librorum | M XXXIII 22-23, CT. V 91-2 : **40 41 44**

1546 17 iun ..... TRIDENTINUM, sessio 5, decr. de peccato originali | M XXXIII 27-8, CT. V 238-40 : **870-71 805.**

1547 13 ian. ..... » sessio 6, decr. de iustificatione | M XXXIII 32-43, CT. V 791-99 : **872-92.**

» 3 mart ...... » sessio 7, canones :

I. De sacramentis in genere | M XXXIII 51-3, CT. V 994-95 : **951 964 967 970 974 976 978 80 984 985.**

II. De baptismo | M XXXIII 53-4, CT. V 995-6 : **1002-3 1008 1011 1047 1052-3 1061 1063.**

III. De confirmatione | M XXXIII 55, CT. V 996 : **1081.**

IULIUS III 1550-55.

1551 11 oct ..... TRIDENTINUM, sessio 13, decr. de ss. Eucharistiae sacramento | M XXXIII 80-85 : **1112-21**

» 25 nov..... » sessio 14, doctrina de sanctissimis Paenitentiae et Extremae Unctionis sacramentis :

De Paenitentia | M XXXIII 91-97, canones 99-102 : **1188-1200, 1201**

De Extrema Unctione | M XXXIII 97-99, canones 102 : **1275-79, 1280.**

PAULUS IV 1555-59.

1555 7 aug ..... Const. *Cum quorundam* | BR VI 500 : **604, 789, 790.**

1558 11 sept.... LOVANIENSE, formula christianae et catholicae fidei | M XXXV 514 : **1461.**

PIUS IV 1559-65.

1562 16 iun..... TRIDENTINUM, sessio 21, doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum | M XXXIII, 121-28 : **1169 954 1171 1173 1175 1170 1172 1174 1176.**

» 17 sept. .... » sessio 22, doctrina de sacrificio Missae | M XXXIII 128-32 : **1086-96.**

1563 15 iul...... » sessio 23, vera et catholica doctrina de sacramento Ordinis ad condemnandos errores nostri temporis | M XXXIII 138-140 : **1304-08.**

» 11 nov..... » sessio 24, doctrina de sacramento Matrimonii | M XXXIII 149-51 : **1348-50 1370 1374 1383 1391 1395 1398 1399 1402 1408 1410.**

» » decretum de reformatione Matrimonii c I (*Tametsi*) ib. 152-3 : **1415-16.**

» 3 dec..... » sessio 25, decretum de **Purgatorio** | M XXXIII 170-71 : **1462.**

» » de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus | M XXXIII 171-2 : **819-23.**

1563 4 dec ..... TRIDENTINUM, sessio 25, decretum de indulgentiis | M XXXIII 194-4 : **1271.**

1564 24 mart.... Const. *Dominici*, Regulae de libris prohibitis (Index Tridentinus) reg. 3-4 | M XXXIII 229 : **45 a.**

» 13 nov..... Professio fidei Tridentina in bulla *Iniunctum* | M XXXIII 220-22.

[aucta de VATICANO, 20 ian. 1877, A SS. X, 74], initio CIC sub titulo *Professio catholicae fidei.* — *Sic incipit :* **Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei quae sancta Ecclesia utitur,** videlicet : Credo [CP]. *Deinde* **121 43 999 892 1096 1121 1462 824 1271 262 f 141 177 f,** conclusio :

1564 13 nov..... Hanc veram catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ita ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Pius V 1566-72.

1567 1 oct..... Bulla *Ex omnibus* damnans errores **Mich. Baii** | DPA III n. 109-15 : **893-902, 972** (pr. 71).

1-9 : **894** 10 : **901** 11-5 : **894** 16 **896** 17-9 : **894** 20 : **897** 21-4 : **893** 25 **895** 26 : **893** 27-30 : **895** 31-3 : **899** 34 : **898** 35 : **895** 36 : **896** 37 : **895** 38 : **896** 39-41 **895** 42-4 : **899** 45 : **900** 46-9 : **897** 50-1 : **898** 52-4 : **897** 55 . **893** 56-8 : **900** 59 : **901** 60 **901** 61-2 : **894** 63-4 : **899** 65-6 : **896** 67-8 : **897** 69-71 : **899** 72-3 : **901** 74-6 : **898** 77 : **901** 78-9 **893**.

Gregorius XIII 1572-85.

1575............ *Professio fidei* **Graecis** praescripta | BRL. II. 429. Incipit ut Fides Tridentina Pii IV, post symbolum CP addit : Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia quae sacra oecumenica synodus *Florentina* super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est *etc*, ut n. **538 1099 1456 368**. Tum addit *fidem Tridentinam* Pii IV : **142** et quae *supra* ad a. 1564, 13 nov.

Clemens VIII 1592-1605.

1595 30 aug..... Instructio super ritibus italo-graecorum, § 5 : **1082 1288** ; § 4 : **1326** | BR X 212.

1596............ Instructio (de Indice) initio Indicis huius anni et sequentium usque ad novum Indicem a. 1900 : **45** *b*.

1602 20 iun...... Decr. S. Off. de absolutione absentis | DPA III, n. 171 **1230**.

Paulus V 1605-21.

1607 5 sept..... Declaratio de Auxiliis, missa ad PP. Generales OP et SI | Schneemann *Controversiarum* p. 292-3 : **920**. *ibid.* 291 votum autographum ipsius Pauli V : **920** *n*. et 296 declaratio facta legato Hispaniae : **920** *n*.

1611 13 ian...... Decr. S. Off. de materia Extremae Unctionis, allegatum in decr. 14 sept. 1842 : **1289**.

Innocentius X 1644-55.

1647 24 ian.. .. Decr. S. Off. de duplici capite Ecclesiae | DPA III n. 248 : **380**.

1653 31 maii..... Const. *Cum occasione* damnatio 5 propositionum Ianseuii DPA III 261-2, **903**.

1654 23 apr.. ... Decr. S. Off., damnatio librorum ianseniarorum | *Recueil* 1697, p. 90-1 : **921**.

Alexander VII 1655-67.

1656 16 oct ..... Const. *Ad sacram* | DPA III. n 281 : **904**.

1661 8 dec....... Bulla *Sollicitudo*. | BRI VI 152 : **808**.

1665 15 feb...... Const. *Regiminis*. | DPA III. n. 315 : **905**.

1665 24 sept .... Decr. S. Off. damnans 28 propositiones | DPA III n. 321-22 : 1 : **924** 2-3 : *om.* 4 . **1243** 5-10 . *om.* 11 : **1221** 12 : **1243** 13 : **1241** 14 : **1221** 15 . **1265** 16 : **1241** 17-23 . *om.* 24-25 : **1222** 26-28 . *om.*

1666 18 mart .... Decr. S. Off. damnans 17 propositiones (29-45 post 28 praecedentes) | DPA III. n. 323-4 : 29 37 : *om.* 38-39 : **1156** 40-43 : *om.* 44 : **443** 45 : **446**

1667 5 maii...... Decr. S. Off. de attritione | DPA III. n. 324-5 : **1210**.

Innocentius XI 1676-89.

1679 12 feb...... Dec. Cg. Concilii de communione frequenti | DPA III. n. 346-7 : **1160-62 1242**.

» 2 mart.... Decr S. Off. damnans 65 propositiones | DPA III. n. 348-52 : 1 : **962** 2 : *om.* 3 : **153** *a* 4-18 : *om.* 19-20 : **1596** 21 : **153** 22-23 : **176** 24-54 : *om.* 55 . **1152** 56 **925** 57 : **1211** 58-9 : **1223** 60-1 : **1212** 62-3 : *om.* 64 : **1214** 65 : **925** ; conclusio (damnatio) **234**. *Adde* 50 : **1435** *bis* *g*.

1679 23 nov..... Decr. S Off. damnans 2 propositiones | DPA III. n. 362, **926**.

1682 18 nov..... Decr. S. Off. damnans propositionem de secreto confessionis | DPA III. n. 354 : **1228**.

1687 19 nov..... Const. *Caelestis Pastor* damnans 68 propositiones **Mich de Molinos** iam damnatas in Decr. S. Off. 28 aug. 1687 | DPA III n. 362-3 et 357-62 : 1-5 . **927** 6-9 : **928** 10-15 : **929** 16-17 : **930** 18-22 : **931** 23 . **932** 24-26 : **933** 27-31 : **934** 32-36 : **935** 37-40 : **936** 41-53 : **937** 54-63 : **938** 64-68 : **939**, *ibid.* formula damnationis.

ALEXANDER VIII 1689-91.

1690 4 aug. .... Const. *Inter multiplices* | BRL X. 217 : 382.

» 24 aug. .... Decr. S. Off. damnans 2 propositiones | DPA III. n 365. 926.

1690 7 dec. .... Decr. S. Off. damnans 31 propositiones | DPA III. n. 371-2 : 1-2 : 906 3 : *om.* 4-13 : 906 14-15 : 1211 16-19 : 1256 20-21 : *om.* 22-3 : 1157 24 : 801 25 : 837 26 : 809 27 : 1021 28 : 1026 29-31 : 383, 124. *Damnatio* : Idem SS. statuit et decrevit 31 praedictas propositiones tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticas et haereticas respective esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat et prohibet, ita ut quicumque illas aut divisim aut coniunctim docuerit defenderit ediderit, aut de his etiam disputative publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem.

INNOCENTIUS XII 1691-1700.

1699 12 mart. .... Breve *Cum alias* damnans 23 propositiones (Fenelonii) | DPA III. n. 402-406, ubi simul textus gallicus propositionum : 1-3 : 940 4-6 : 941 7-14 : 942 15-19 : 943 20-23 : 944. Damnatur liber : *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure* : quippe ex cuius lectione et usu fideles sensim in errores ab Ecclesia catholica iam damnatos induci possent ac insuper tanquam continentem propositiones sive in obvio earum verborum sensu, sive, attenta sententiarum conexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas ac etiam erroneas respective, tenore praesentium damnamus et reprobamus.

CLEMENS XI 1700-21.

1703 25 ian et 10 maii ... Resp. S. Officii ad episc. Quebec. de baptismo et veritatibus fidei credendis. Collect. Prop. I, 256 1 et 250,2 : 1069 *bis*.

1705 16 iul. .... Const. *Vineam Domini* — DPA III. n. 448 : 188 c.

1713 8 sept. .... Const. *Unigenitus* damnans 101 propositiones Paschasii Quesnel | DPA III n. 462-75 : 1 : 910 2-5 : 909 6-8 : 911 9-11 : 909 12-13 : 908 14-29 : 909 30-33 : 908 34-37 : 907 38-43 : 909 44-69 : 910 70 1257 71-78 : 407 79-85 : 46 a ; 86 : 1109 87-9 : 1212 90 : 444 91-101 : 444 ; *damnatio* : 250.

CLEMENS XII 1730-40.

1733 2 oct. ...... Bulla *Apostolicae* | DPA III. n 589-10 . 922. *Ibi primum Pontifex dolet* plerosque etiam nunc (nostrorum) intolerabili pertinacia contendere constitutionis (*Unigenitus*) doctrinam sanctorum Augustini et Thomae de divinae gratiae efficacia esse perstrictam ; — *dein, post* sunt merito (922) *addit* : quominus sententias ea de re tueri pergant quas hactenus palam et libere ubique etiam in huius almae Urbis luce docuerunt et propugnarunt.

BENEDICTUS XIV 1740-58.

1742 26 maii. .... Const. *Etsi pastoralis* | BRL XVI. 96 : 1083.

1743 16 mart. .... Professio fidei pro Orientalibus | BRL XXI 148. Simoni arch. Damasceno :

« Forma autem professionis fidei quam emittis haec est » : eius conspectum habes : 143. Incipit Fides Tridentina Pii IV, dein sequitur de synodis oecumenicis 143, 528, 674, 691, 719, 745, 830. « LP quartam, octavam in ordine et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum et sanctum Ignatium Patriarcham restitutum. » Sequitur de *Florentina* : 143, ubi compendio traditur doctrina eius de processione Spiritus Sancti, de azymis, de purgatorio et suffragiis pro defunctis, de visione beatifica, de primatu, de legalibus non observandis ; — postea de *Tridentina*, ut in fide Pii IV, ordine et paucis sententiis immutatis 143, « et profiteor quae in ea definita et declarata sunt et praesertim » : 1098 in fine, 1124 in fine, de missa et de Eucharistia, 999 de septem sacramentis, 1025, de baptismo ex *decreto ad Armenos*, 1398 de matrimonio. « Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. » Tum de indulgentiis 1271, 143, 183 « Insuper Romano Pontifici beati Petri principis Apostolorum successori ac Iesu Christi vicario veram oboedientiam spondeo ac iuro » Sequitur eadem conclusio atque in formula Tridentina : Hanc fidem, etc. 177

1745 7 iul. ...... Breve *Suprema* de nomine complicis non exquirendo | BRL XVI 305 . 1229.

1748 .... Ep. *Dum praeterito* ad Inquisitorem Hispaniae | AIP 17 (1878) col. 31. : 923

1757 13 iun. .... Decr. S. C. Indicis init. Indicis libr. prohib. *post* observationes Clementis VIII : 45 c.

Pius VI 1775-1799.

1779 20 sept. .... Breve *Divina* damnans librum Isenbiehl | BRC VI 145-6 : 110

1786 28 nov. ..... Breve *Super soliditate*, damnans librum Eybel : BRC VII 672-3 : 384.

1794 28 aug. .... Const. *Auctorem fidei* ex edit. Romana 1794: Damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex libro, itaico idiomate impresso sub titulo : *Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoja dell'anno 1786.* (Cf. BRC IX 398 sq). Post narratas tum res gestas ab episcopo Scipione Ricci in synodo habenda et edenda, tum rationes quibus Summus Pontifex eum ad meliorem viam reducere frustra conatus est addit: «Omnibus plene et mature consideratis complures ex Actis et Decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, sicut praefatum est, cuique appositis notis et censuris damnandas et reprobandas censuimus prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus. Sunt autem quae sequuntur

1 : 223 2 : 408 3 : 385 4-5 : 446 6-8 : 409 9-11 : 410 12-14 : 168 15 : 411 16 : 912 17 : 913 18 : 914 19-20 : 915 21 : 916 22 : 917 23-24 : 918 25 : 919 26 : 1464 27 : 863 1045 28 : 1106 29 : 1145 30 : 1104 31-33 : 838 34-35 : 1258 36 : 1213 37 : 1244 38 : 1254 39 : 1218 40-43 : 1272 44-45 : 1244 46-50 : 445 51-57 : 1332 58 : 1411 59-60 : 1375 61-63 : 879 64-65 : 840 66 : 1110 67 : 486 68 : 445 69-72 : 841 73-74 : 842 75 : 445 76 : 226 *b* 77-78 : 412 79 : 226 *c* 80-92 : 416 93 : 413. Dein conclusio 251, 605-606, 388. Sequitur prohibitio et damnatio libri.

Pius VII 1800-1823

1803 8 oct. .... Breve ad Carolum de Dalberg | Denzinger, *Enchiridion* ed. 11, n. 1600 : 1413.

1816 3 sept. ..... Ep. *Magno et acerbo* ad arch. Mohilovensem | ASS 9 582 : 47

Gregorius XIV 1831-1846.

1832 15 aug. .... Enc. *Mirari vos* de doctrina Lamennais | AG. I. 171 : 265 252 *a* 487 252 *a*.

1834 25 iun. ..... » *Singulari* de eadem | AG. I. 484 : 252 *b*.

1835 26 sept. .... Breve *Dum acerbissimas* damnans libros G. Hermes | AG II 85 sq : 253 184 253.

1840 28 iul. ...... Decr. Cg. Indulgentiarum, de altare privilegiato : 1273

» 8 sept. ...... Theses subscriptae ab Eug. Bautain ASS III 224 : 7 *a* 208

1842 14 sept. ... Resp. S. Officii de materia extremae unctionis | CPF n. 1494, *cum nota* : 1289.

Pius IX 1846-1878.

1846 9 nov. ...... Enc. *Qui pluribus* contra Hermesianos | AS[1] 5-7 : 195 *b* 212 176.

1852 27 sept. .... All. *Acerbissimum* de matrimonio civili | AS 117 : 1357.

1854 8 dec. ...... Bulla *Ineffabilis* de Imm. Conc. | Cf Malou II 502 sq. : 802 807.

1854 9 dec. ...... All. *Singulari* | AS 122-25 : 185 *b* 286.

1855 11-15 iun. .. Propositiones subscriptae ab A. Bonnetty | ASS III 224 : 209 196 *a* 76 226 *d*.

1857 15 iun. .... Breve *Eximiam* ad card. Geissel arch. Coloniensem de doctrinis Ant. Günther | AS 166-7 : 254 186 124 *a* 227 *a*.

1861 18 sept. .... Decr. S. Off. : Errores ontologistarum | ASS III 204-5 : 654.

1862 11 dec. ..... Ep. *Gravissimas inter* arch. Monaco-Frisingensi | A 219-24 . 255 187 *a* 201-203.

1863 10 aug. ..... Enc. *Quanto conficiamur* ad episc. Italiae | AS 129-30 : 267.

» 21 dec. ..... Ep. *Tuas libenter* arch. Monaco-Frisingensi | AS. 244-7 : 204 227 *b* 188 161 166.

1864 16 sept. .... Ep. S. Officii de unitate Eccl. | AAS XI (1919), 370-2 : 295-96.

» 8 dec. ...... » *Quanta cura* | ASS III 161 sq : 496-505 256.

Sequitur Syllabus *complectens praecipuos nostrae aetatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris* SS. D. N. Pii Papae IX.

1 : 623 2 : 630 3 : 24 *a* 4 : 184 *b* 5 : 216 *a* 6 : 15. 195 *a* 7 : 152 8 : 185 *a* 9 : 187 *b* 10-11 : [illegible] 12 : 206 *a* 13 : 227 *c* 14 : 205 *b* 983 *a* 15-18 : 268 *a* 506 19-20 : 507 21-33 : 507 (21 : 268 *b* 22 : 168 *a* 23 : 387 24 : 448) 34-38 : 387 39-55 : 508 56-64 : *om.* (de ethica), 65-66 : 1356 67 : 1385 68-70 : 1376 71 : 1416 72 : 1401 73 : 1356 74 : 1403 1412 75-76 : 509 77-80 : 510.

1866 .... Baltimorense II, tit. I, c. 5, n. 21 | CL 3. 398 : 1465.

1870 24 april. .... Vaticanum, oec. XX, sess. 3 : Constitutio dogmatica de fide catholica : *Dei Filius* | CL VII Prooemium, 249-250 : 1-4 257. — Cap. 1, de Deo rerum omnium creatore, 250 : 815; — Cap. 2, de revelatione, 250-1 : 5 13 21 22 25 30 40 42 — Cap. 3, de fide, 251-53 : 145 147 149 157 26 160 175 179. — Cap. 4, de fide et ratione, 253-4 : 182 194 *a* 198 207 210. — Canones 255-6 : I. 1-5 : 816 II. 1 : 6 2 : 14 3 : 23 4 : 31 III. 1 : 146 2 : 148 3-4 : 150 5 : 158 6 : 180; IV 1 : 183 2 : 199 3 : 211. *Conclusio* : 258.

---

[1] AS : Acta SS. D. N. Pii PP. IX. ex quibus excerptus est Syllabus editus die 8 dec. 1864. Romae 1865.

Leo XIII 1878–1903.

Pius X 1903-14.

habita modestia animi se iactitant; factoque audacius agmine, quidquid sanctius est in Christi opere impetunt ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam ausu sacrilego ad purum putumque hominem extenuant ..

Quia vero modernistarum (sic enim iure in vulgus audiunt) callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem seiunctas, ut nimirum ancipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes, praestat, Venerabiles Fratres, doctrinas easdem uno hic conspectu exhibere primum nexumque indicare quo invicem coalescunt, ut deinde errorum causas scrutemur ac remedia ad averruncandam perniciem praescribamus. Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas ac veluti in se commiscere, *philosophum* nimirum, *credentem*, *theologum*, *historicum*, *criticum*, *apologetam*, *instauratorem*: quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consecutionesque pervidere velit.

1. Iam ut a *philosopho* exordiamur: 8 9 155 14 197 24 *b* 17-18 218.
2. Atque haec, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. Iam si ad *credentem* progressus: 156 269 122 191 *a-d*.
3. Hic iam, V. F., nobis fit aditus ad modernistas in *theologico* agone spectandos: 191 *e-h* 953 19 975 33 310 811-2 169 457 219 20 (add. ex Pio IX, n. 212 216 *a* 210).
4. Sed postquam in modernismi assectatoribus philosophum, credentem, theologum observavimus, iam nunc restat ut pariter *historicum*, criticum, apologetam, reformatorem spectemus: 192 *a-g* 99 *a*: 192 *h*.
5. Sed ad *apologetam* transeamus: 181 *a-c*; 99; 181 *c*.
6. Pauca demum superant addenda de modernista ut *reformator* est: 228 997 457 948 1404. Quid igitur in Ecclesia intactum relinquunt quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronuntiata sit reformandum?
7. *Damnatio*: 260 10-11 20 181 *i* 260 229.
8. *Remedia*: 231-33.

1907 18 nov. .... Motu proprio *Praestantia* | ASS XL 724: 102.

1908 29 iun. .... Comm. Bibl. de Isaiae libri indole et auctore | ASS XLI 613-4: 118.

1909 30 iun. .... Comm. Bibl. de 3 prioribus capp. Geneseos | AAS I 567-9: 106.

1910 1 maii. .... Comm. Bibl. de psalmis | AAS. II 354-5: 107.

» 8 aug. .... Decr. S. Cg. Sacrament. *Quam singulari* | AAS II 582 sq 1183-86.

» 1 sept. .... Iusiurandum antimodernisticum | AAS II 669-72: *Sic incipit*: Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita quae huius temporis erroribus directo adversantur. *Dein* 12 151 262*m* 217 154 261 186 193 190 192 123. *Conclusio*: Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, etc.

» 26 dec. .... Ep. *Ex quo nono* ad Delegatos apostolicos in Oriente | AAS III 117-21.: 306-8.

1911 19 iun. .... Comm. Bibl. de Evangelio secundum Matthaeum | AAS III. 294-6: 111.

1912 26 iun. .... Comm. Bibl. de Evangelio secundum Marcum et Lucam | AAS IV 463-5: 112; de Synopticis: 113.

1913 12 iun. .... Comm. Bibl. de libro Actuum apostolorum | AAS V 291-3: 116.

» » .... Comm. Bibl. de epistolis pastoralibus Pauli apostoli | AAS V 291-3: 117.

1914 24 iun. .... Comm. Bibl. de epistola ad Hebraeos | AAS VI. 417: 118.

Benedictus XV ab a. 1914.

1914 1 nov. .... Enc. *Ad beatissimi* | AAS VI 576-7: 235.

1915 18 iun. .... Comm. Bibl. de parousia | AAS VII 357-58. 1469.

1917 .... Codex Iuris Canonici: 107: 313 108 § 3: 313 218-19: 333 239 § 1-4-5: 1085 745 § 1, 2: 1062 747: 1062 752 § 1-3: 1062 770-72: 1056 780-82 § 1-3: 1060 814: 1097 815 § 2: 1100 816: 1099 817: 1102 819: 1108 845 § 1-2: 1149 852: 1180 853: 1150 854: 1187 856: 1155 857: 1167 859 § 1, 4: 1152 860-61: 1152 863: 1167 864: 1153 866: 1154 867: 1167 870: 1207 871-2: 1239 873 § 1: 1239 874: 1239 878: 1239 879 § 1: 1239 881 § 2: 1239 882: 1239 884: 1239 885: 1205 886: 1238 887: 1261 888 § 1: 1261 889: 1226 890 § 1: 1226 892 § 2: 1239 901-2: 1215 905: 1239 907: 1221 911-13: 1274 925-6, 928, 930: 1274 937: 1281 938 § 1-2: 1297 939: 1297 940-3: 1301 944: 1303 945 947 § 1-4: 1291 948-9: 1313 951: 1318 953: 1330 959: 1313 968: 1316 971: 1316 973 § 3: 1316 976-7: 1316 1012: 1365 1013: 1366 1016: 1444 1017: 1434

INDEX ALPHABETICUS

rerum et verborum[1].

(1) Numeri crassiores locos in quibus ex professo res tractatur indicant, littera p. numero praemissa paginas indicis chronologici, stellula (*) additiones quasdam in his paginis. — Omittuntur nomina propria ex Gelasiano n. 37 et indicos haereticorum, cf. infra s. v. haeretici.

Imprimebant Tolosae, *via dicta Saint-Rome, 39*

Fratres DOULADOURE

anno Domini

millesimo nongentesimo vigesimo

mense februario

operam conferentibus Ludovico Rocca

et Stephano Montan, *artificibus.*

Iterum excudebant

A. D. 1936, mense iulio.